Columnę fabii Lincei minus cognitarum, rariorumque stir=
pium Prima et secunda Parſ; Item de aquatilibus, aliisque
nonnulliſ animalibus libellus; deinde de Purpura ab ani=
mali testaceo fusa. Romę apud mascardum 1616. 4 – cum
triplici fastigio, effigie auctoris, et Typis aeneiſ 152.
Raritatis extremę, mireque simul integritatiſ Editio.

Index Tabularum

Pars Prima stirpium

Pag. 12. 23. 27. 31. 34. 35. 46. 54. 67. 74. 78. 82. 86. 90. 94. 97. 101. 104.
109. 112. 121. 124. 131. 135. 137. 144. 146. 147. 150. 153. 156. 161. 165.
170. 171. 174. 175. 178. 179. 183. 185. 188. 189. 192. 196. 197. 202. 203.
206. 209. 221. 224. 227. 230. 231. 233. 236. 237. 240. 242. 243.
246. 247. 249. 252. 253. 256. 259. 262. 263. 265. 268. 269. 272
273. 276. 277. 280. 284. 285. 288. 290. 291. 294. 297. 300. 301. 307. 311.
313. 315. 317. 320. 322. 323. 326. 327. 331. 334. 336. 338. = Tot. 101.

Aquatilium

Pag. II. VI. XII. XVI. XXII. XXIV. XXX. XXXVI. LII. LIII. LX.
LXIX. LXXII. Tot. XIII

Pars secunda Stirpium

Pag. 1. 7. 9. 12. 13. 20. 21. 24. 26. 27. 30. 31. 36. 46. 50. 51. 57. 60
61. 64. 67. 69. 71. 73. 76. 77. 80. 82. 83. 86. = Tot. 30.

De Purpura

Pag. 1. 13. 16. 20. 22. 27. 30. 33. = Tot. 8.

Totalitas Tabularum N. 152.

Planci

Planci Jani. De vita Fabii Columnæ Lincei, Linceorum notitia et adnotationes in aliquot Plantarum ejusdem Fabii Historia. Florentiæ 1744. apud Viviani 4. cum Tabulis aeneis 38, et Iconibus 2. in principio Operis.

Pre-Linn
QK41
.C61
1616

FABII COLVMNAE LYNCEI

MINVS COGNITARVM RARIORVMQVE NOSTRO CŒLO ORIENTIVM STIRPIVM ΕΚΦΡΑΣΙC

Qua non paucæ ab Antiquioribus THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, PLINIO, GALENO *alijsq; descriptæ, præter illas etiam in Φυτοβασανω editas. disquiruntur ac declarantur.*

ITEM

DE AQVATILIBVS ALIISQVE NONNVLLIS ANIMALIBVS

libellus

Ad Ill.mum et Excell.mum Dnm.

MARTIVM COLVMNAM

Zagarolæ et Columnæ Ducem etc.

Omnia fideliter advivum delineata, atque æneis — Typis expressa

Cum Indice in Calce Voluminis locupletissimo.

Mo. Bot. Garden,
1893

SVPERIORVM PERMISSV.
ROMÆ M.DCXVI
Apud Iacobum Mascardum.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Minus cognitarum ſtirpium ΕΚΦΡΑΣΙΝ excellentiſſimè ac diligentiſſimè à D. Fabio Columna conſcriptam, iuſſu Reuerendiſſ. P. F. Hyacinthi Petronij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici vidi, cumq; nihil in ea inuenerim quod religioni, vel moribus repugnet: cunctisq. rei herbariæ ſtudioſis vtilem, ac iucundam fore cognouerim, eandem prœlo digniſſimam iudicaui. Romæ die 10. Octobris 1616.

Antonius Butius Fauentinus Ciuis Romanus Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctor.

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Romanus, Mag. & Reuerendiſſ. P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri Socius, Ord. Præd.

ILLVSTRISS. AC EXCELLENTISS. D.

MARTIO COLVMNAE
ZAGAROL. ET COLVMN. DVCI &c.

E Clariſſimo aurei Velleris Ordine, atque Catholici Regis à Conſilijs ſtatus, &c.

MARERII Comitatus montes in Æquicolis, inter cæteros non modò tuæ ditionis, Dux Illuſtriſſ. ac Excellentiſſ. ſed alienorum etiam omnium quos viderim, rariorum ſtirpium feraciſſimos eſſe planè aſſerere poſſũ: cõplures quidẽ earũ à me primùm illic obſeruatæ, deſcriptæ, ac delineatæ nunc proponuntur, vix eorũ aliqua parte luſtrata; cùm etiam ſciã in ijs alias quamplurimas nuſquam ab vllo adhuc obſeruatas oriri. Quapropter, volumen hoc meum tuis refertum ſtirpibus, tibiq; meritò debitum, a me, qui tuus etiam ſum, ob inſignem tuam in me humanitatem, ac magnificentiam tibi deuinctiſſimo nunc oblatum, Heroico tuo nomine inſignitum eo, quo tibi ſubditos, ac me tui obſequentiſſimum ſoles, hilari fronte excipere, fouere, atque tueri ne dedigneris: inuidos quidem ac detractores conſtricta maxilla permanſuros fore non dubito tua virtute, prudentia, ac dignitate perterritos. Omnium profectò diſciplinarum genere ornatiſſimus es; Moralibus verò atque quod magis Principem Virum decet atque decorat, Policitis, quẽ nõ antecellis? Quod in pace belloq; conſilium tuum! Quis non hians, te de rebus huiuſmodi diſſerente, ſummam tuam prudentiam non admiratur, tuoq; ab ore non pendet? Verùm quid ego tuis in laudibus immoror? Non hic locus; nõ meis eges elogijs Maxime Heros, neque ipſe ad id munus ſum idoneus; Omnes te colunt, charus es Regibus; in Vrbe, atque Orbe clariſſimus: maxima denique maximis conduntur. Meũ igitur hoc munus exiguum, ſed propenſæ meæ in te voluntatis, & obſeruantiæ monimentũ ne deſpicias, atque ita excipias rogo, vt in maioribus operam ponere te annuẽte nitar. Interim Deo Opt. Max. ſupplex preces fundam, vt te tuoſq; incolumes, fœliceſq; ad ſummos ſeruet annos, diuq; lætus interſis populo Quirini. Vale, & meam in te obſeruantiam ama. Romæ XIII. Kal. April. 1610.

Illuſtriſſ. ac Excellentiſſ. D. Tuæ

Adictiſſimus

Fabius Columna.

BENEVOLO LECTORI. S.

QVAE tandem, candide Lector, inter multos aduerſæ fortunæ caſus, ægritudines, atque animi perturbationes, quibus toto hoc decẽnio ſoliciti fuimus, naturę oblectamẽto, atque animi aliquãdo recreãdi cauſa datũ fuit obſeruaſſe, nunc tibi qualiacũque ſint communicare voluimus: ne quod in altera Plã tarum aliarum recenſione à nobis tunc edita polliciti fuimus, minimè ſeruare voluiſſe videremur. Dioſcoridis quidem nouus commentarius aut Epitome, quem perficere valdè cuperemus, domeſticis negotijs anxij, adhuc plerisq; indiget obſeruationibus, ac etiam illis abſolutis typorum immodica deterret impenſa, latuitq; ob id volumen hoc impreſſum, Iconibus vacuum iam triennio. Has igitur interim plãtas edere licuit, quarum aliquas in Mateſio monte Campoclarenſium Bouianæ diœceſis obſeruauimus, dum illius Caſtri arcẽ ſubditione fratris noſtri ampliorem reddi curabamus; alias deinde in Apuliæ Cirinolano agro. Quamplures poſtremo Æquicolorũ mõtibus & collibus, dũ illic præclariſſimi Ducis Zagarolæ MARTII COLVMNAE vices gereremus, imperium exercẽtes, vt incolarum finium regundorum lites dirimeremus, per ſylueſtria montanaq; loca iter aliquando agentes reperimus, rariores, quidem omnes minus cognitas, aut deſcriptas. Nunquam his vacare datum fuit, ſucceſiuis quibuſdam tantum diebus pauca hæc animaduertentes notauimus. Non paucas Antiquorum hiſtorijs magis reſpondentes plantas hoc volumine proponimus, numero tãtundem excedentes, quas annis præteritis φυτοβασάνῳ deſcripſimus: harũ pleræque medico vſui quotidiano ſyrupis antidotisq; immiſceri debent, non parui faciendæ plantæ, pro quibus alias facie viribusq; alienas ab officinis vſurpari tanquam veras innoteſcet, non ſine graui errore, hominumq; maximo detrimento. Quod cum nobis deteſtandum videretur, iccirco alias in medium magis reſpondentes afferre conati ſumus quoad nũc fieri pro noſtra cognitione potuit. Non enim ex ijs ſumus; qui reliquis omnibus aduerſantibus vnicâ tantùm notula ex Antiquorum hiſtoria ſuæ plantæ vix reſpondente, ſtatim legitimæ plantæ nomine illam inſignitam ſummo faſtu proferunt. Non parum quidem nobis actum videtur, ſi pluribus notis reſpondentem plantam propoſuerimus, quàm antea cæteri recentiores legitimas ſuas in cœlũ elatas habere tradiderint. Nec illas adeò audacter veras eſſe contẽ

demus,

demus,potius quidem magis reſpondentes cæteris,ab alijs propoſitis,ſi pro illis,alias Recentiores aliquos exhibuiſſe contigerit. Vtinam & nobis noſtrates montes aliquos,nō dicimus Cretam,Cyprū, vel Græciæ partes,aut Ægyptum luſtrari liceret,vt quæ diu reliquis ignota fuêre,atque etiamnum non pauca noſtro iudicio ignorantur perquirere,ac inueſtigare poſſemus. Plurima locis illis oriri traduntur ab Antiquis,nobis atque cæteris ignota;quamuis non deſint recentiorum aliqui,nihil ex illis ignotum ſibi fore putantes:nos verò adhuc pleraq;ignorare fatemur,illaque vt nobis cognita eſſent aliquando nullis laboribos parceremus. Nō enim plantarum copiam, at illarum delectū affectamur.Qua propter vt veritati magis accedere videremur hiſce noſtris lucubrationibus,non potuimus,non aliorum ſententijs derelictis,vel oppugnatis, noſtram proferre opinionem,Antiquorū,ni fallimur,auctoritate quoad potuimus cōprobatam.Nec illam pertinaciter tueri audebimus, ſi aliquando à nobis,vel alijs firmior,atque verior adinuenta fuerit.In hiſce quidem veſtigandis plantarum copia,aſſidua obſeruatio, nec nō Antiquorū lectio maximè proficit;atque eo magis hiſce quis vtetur, meliorem de hijs poterit iudicium proferre. Quid nos potuimus qui nunquā antehac ab vrbe Neapoli abſentes,nullis luſtratis montibus Φυτοβάσανον tunc edidimus? atque nunc vix animū inter alias moleſtias adducere potuimus,quamuis pauca hæc loca pertranſiuerimus?Componant de his volumina,qui hæc maximè profitentur,quique publica impenſa cultos atque exuberantes plantarum copia hortos habent,quique Mœcenatum auxilio fulciuntur:illis quidem comoditas præcipua,nullæ aliæ ſunt curæ,his vacāt,atque de his libere poſſunt cogitare.Nos autem pro fortunæ virium, atque ingenij imbecillitate hæc etſi ineleganter,minusq́;accuratè materno ſtylo,(herbarijs pharmacopæisq́;loquentes)fideliter tamen quoad potuimus deſcripſimus,nihil fictum proponentes:atque tàm notas,quàm icones veras tradidimus;illarumq́; partes,vt ſunt flores,fructus, atque aliquando ſemina, maiore icone ſingulis plantis addidimus,vt quilibet in dignoſcendis plantis parum verſatus illis tātum perſpectis, facillimè plantā illā adinuenire,atque conferre poſſit.Fatemur quidem nimis in illarum notis deſcribendis prolixos fuiſſe; ne alijs,vt nobis ſæpè contigit,nimia Recētiorum ſcriptorū breuitate,aut etiā notarum omiſſione,figuris tantum adpoſitis,nos remittentium, nō parum difficultatis in illis indagandis habere, ac etiam num quænam ſint,an ne in rerum natura extent ambigere,vel aliquando calliditate effictas,ideā putare.Harum non pauca,de quibus aliàs pluribus

ribus Deo dante,italo Dioſcoridi addidiſſe auctorem illum animaduertimus,Germanis antiquioribus illo, quibus deeſſe videbantur præferendus vt cenſeretur:alijſque deinceps locum inuentionis præriperet.Sed quàm indignè picturis illis artificiosè mutilis nos atque ſeipſum deceperit pudet referre. Candidiores quidem in hac parte Trãſalpinos fateri cogimur.Verioreſq;icones doctiſſimis eorũ commentarijs appoſuiſſe clariſs.viros Rembertum Dodonæum, Lobelium,& alios,cæteriſq;anteferendum Carolum Cluſium, quorum labore ac doctrina magis ac magis Medicinæ pars iſta φαρμακευτικὴ maximè illuſtrata videtur.Horum lectione,maximeq; doctiſſimis Cluſij obſeruationibus nos hiſce ſtudijs profeciſſe fatemur.Sed non deſunt alij,inter quos doct.Gaſpar Bauhinus,eiusq;frater,quorum induſtria & labore Dioſcoridis volumen clarius eſt redditum:& ex noſtris Ferdinandus Imperatus nemini poſthabẽdus,cuius in hiſce rebus laborem atque peritiam non ſolum ſui ipſius volumen doctiſs. ſed aliorum quoq; multò ante commentaria edita teſtantur. Deſcripſimus iccirco loca in quibus primùm illas adinuenimus,germinandi cauleſcendi,atque perfectionis modum ac tẽpus. Addidimus alia quædam ad priuatam illarum cognitionem oportuna:& etiam ſapores atque odores:vt ex illis quodammodo qualitates percipere poſſit ſtudioſus.Virium nobis haud licuit præſertim de nuper inuentis plantis facere periculũ,doctioribus reliquimus, & Medicis quibus data eſt à lege auctoritas.Vtinam Antiquorum Theophraſti nõ inquam illius Paracelſi damnatæ memoriæ,nec non Dioſcoridis præſertim genuinum haberemus textum,vt aliqua nobis certiora eſsẽt quibus maximè adhærere poſſemus,vt certiora quædam in medium adduceremus;pleraque in illo etiam deſiderantur, de quibus ſuis locis aliquando lectorem fecimus certiorem.Pauca hæc igitur tam ex Antiquorum placitis collecta,& recenſita,quàm noſtro labore nuper conquiſita,& deſcripta hilari accipe vultu atque candida perlege mente.Quod ſi DEO Opt. Max. placuerit otia nobis aliquando largiri δυστυχίαν auertendo,tibiq; grata hæc fuiſſe cognouerimus,non minus quàm antea animum his addicere pro viribus conabimur,elucubratiora,vtilioraq;proponemus, & iam nõ pauces rariores alias plantas,Purpuræ animal inſectorium, & pleraque teſtacea rariora, in voluminis ſpeciem ferè congeſſimus;vt aliquando Deo fauente ſtudioſis pateat omnibus;Appendicis, vel Tomi ſecundi nomine.

Vale.

FABII COLVMNÆ LYNCEI

Minus cognitarum plantarum
prima, & ſecunda pars

Purpura; & aliorum aquatilium
obſeruationes

Omnia fermè nunc primum edita.


FABIVS COLVMNA NEAPOLITANVS GENERE ROMAN. ANN. AETAT. XXXVII
SIC IVDICAT AEQVE.
QVID SVPER CANDELABRVM
VIS EADEM
ABSQ. HIS SOLIDIOR
FVLCIT
ET ORNAT

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

RARIORVM ſtirpium refertum Volumen, quod tibi ſtudioſe Lector nunc præbeo, medicæ rei profeßoribus, atque naturalium rerum veſtigatoribus perutile; illud ſi accuratè perpendes, præter variam Plantarum, aliarumq; rerum cognitionem, cum Antiquorum hiſtorijs maximo ingenio ac induſtria collatarum; reperies quidem in eo textuum Antiquorum Græcorum, tàm ſenſuum, quàm verborum acutas, accuratas, atque fidas interpretationes: necnon & modum quo Auctor noſter in conferendis plantis vſus fuerit; quem ſi poſthac veluti optimum in veſtigandis plantis modum, ac methodum imitari quiſque conabitur, facilè genuinas Antiquorum plantas comparabit. Non ſolùm enim Græca verba quædam interpretatu difficilia inueſtigauit, ſed & grammaticas obſeruationes quandoque in medio adduxit, vt veriora propoſuiſse videretur. Stirpium, rerumque aliarum hiſtorias ita priuatim deſcripſit, vt nihil pro illarum cognitione deeſse cenſeri queat: ac etiam vt minimum laboris in his adipiſcendis ſtudioſus perciperet, icones ex viuis plantis, alijsq; rebus ſumma cum fide ac ſolertia delineatas appoſuit; in quibus priuatim è regione veluti Anatome rei, flores fructus, eorumq; conceptaculos, & partes ſingulas internas atque externas, ſemina, & minima quæq; addidit, vt ex ſola pictura facilis etiam illius rei cognitio redderetur. Et quidem nec alius eadem facere potuiſset, niſi idem Auctor hiſtorias literis mandare, idemq; icones delineare, ac ſculpere non ignoraſset. Obiter quoque aliarum plurimarum ſtirpium habetur mentio, quibus proficere poteris huius operis lectione: atque non ſolum proprijs capitibus res deſcriptas, verùm etiam pleraque ſcitu digna reperies. Quæ verò proprijs capitibus deſcribuntur, præter pauca quædam, omnia rariora, minimeq; ab alijs hucusq; deſcripta, aut delineata fuiſse cognoſces. Vale.

FRANCISCI MAVRI MAIDENSIS Philoſophi & Medici, Epigramma de Auctore.

ROMANAM FABIVS cunctando reſtituit rem,
Et verè dictus Maximus ille fuit.
Naturæ hic FABIVS rimando reſtituit res,
Dicitur & verè celſa COLVMNA caput.
Gloria Romulidum certè immortalis vterque,
Prænitet at iuuenis Fama, ſubitque polum.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΤΟΥ ΟΥΕΡΡΙΡΙΟΥ ΕΚ ΚΟΙΝΩΝΙΑΣ ΙΗΣΟΥ
Ἐπίγραμμα εἰς Φάβιον τὸν κολόυμναν.

Τὴν πόλε, καὶ πόντον, καὶ ἠέρα, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς
Ἧν κατὰ τὴν τέχνην ἡ φύσις εἰργάσατο.
Εἶτα ποθοῦσα λίαν μορφὴν καὶ εἰκόνα πλάττειν
Τὴν ἰδίην, τεχνικῶς ἔπλασε τὸν ΦΑΒΙΟΝ.
Οὗτος νῦν πλάττει, φύσις ἄλλη, πᾶν πετεεινὸν,
Πᾶν ὅ, τι πόντος ἔχει, πᾶν ὅ τι γαῖα φέρει.

GREGORII CHIOMENTI CIRINOLANI Epigramma ad Auctorem.

SOL nouus, ac longè maior quàm Solis & aura eſt
Docte FABI, virtus floribus iſta tuis.
Sidereo accenſus terras nam lumine Titan
Naturæ abſtruſas rite recludit opes:
Tu tamen & vires plantis, & iura medendi
Atque ignota viris nomina reſtituis.
Ille quidem preſſas terra Sol excitat herbas,
Phœbe nouus, tu quod ſuccus, & herba poteſt.

MINVS COGNITARVM STIRPIVM, AC ETIAM RARIORVM ΕΚΦΡΑΣΙΣ.

FABIO COLVMNA AVCTORE.

Chamæleo albus Dioſcoridis, & de Ixine Theophraſti, Helxine Plinio. CAP. I.

CHAMÆLEONIS nomen plantæ colo- *Nomen.*
rem in folijs mutanti, eorundem obſerua-
tione, Antiquiores tribuerunt; eo quadru- *Etymon.*
pedem Chamæleonem æmulanti. Illius duo
genera tradiderunt; album, atque nigrum *Differētia.*
ad differentiam appellantes. Vtri autem, an ambobus coloris mutatio in folijs eueniat, ſuo loco dicemus. Omnium notas à diuerſis Scriptoribus traditas, foliorum, habitus, naturæ, atque loci admodum claras, parum in plantarum illis reſpondentium perquiſitione, ac inueſtigatione, difficultatis attuliſſe, neminem ambigere cenſemus. Non tamen plantas adhuc propoſitas ab alijs adeò veras eſſe putamus, vt etiam in illis aliquid deſiderari non poſſit. Chamæleonis albi quidem planta communiter ab omnibus Carlinæ nomine recepta, Ixinæ ſpinæ à Theophraſto, & Plinio relatæ hiſtoriæ potius quadrare, quàm albo Dioſcoridis Chamæleoni videtur. Illius quidem ortus in montibus tantùm frigidis, nec omnibus terris, vt Plinius ex Theophraſto refert: atque gummi, ſiue lacryma in fructus vertice ſummo manat, Mali effigie, atque magnitudine: vt Æquicolorum montibus in quamplurimis fructum habentibus plantis obſeruauimus:

 & in-

& incolarum dicto, ac more moniti, plurium capitum, ſiue fructuũ carnoſam illam eſui aptam Scolymi æmulam partem comedimus, manibus & ore viſco illo albo, ſiue lacryma infectis, ſapore dulci, non ingrato, ſed graui, aromatico, odore cerebrum petente: cuius notæ hæ ſunt ex Theophraſto excerptæ, veluti ab antiquiore ini-
Lib. 6. c. 4. tium ducentes. Ἡ ἰξίνη δὲ φύεται μὲν οὐ πολλαχοῦ. ῥιζόφυλλον δὲ ἐστιν ἀπὸ δὲ τῆς ῥίζης μέσης ὁ σπερματικὸς ἄκανος ἐπιπέφυκεν, ὥσπερ μῆλον, εὖ μάλα ἐπικεκρυμμένον ἐπὶ τῶν φύλλων. ἔτος δὲ ἐπὶ τοῦ ἄκρου φέρει τὸ δάκρυον εὔστομον, καὶ τοῦτο ἐστιν ἡ ἀκανθικὴ ἡ μαστίχη. Latinè: *Ixine vero oritur non quidem multis locis. ab radice verò folioſa eſt, ac è radice media ſeminifer acanus exoritur velut Malum, admodum occultatus à folijs: hic verò in vertice producit lacrymam ori gratam, & hæc eſt ſpinea Maſtiche.*
Lib 21. c. 16. Ex Plinio verò *Helxine,* [ſic enim Ixine interpretatur, nec vt aliqui putant corrupto textu, ſed data opera; nam alibi, de
Lib. 22. c. 17. Helxine parietaria loquens, ait: *Sed nos qualis vera eſſet Helxine, diximus priori libro.* Atque in antecedenti nullam aliam habet Helxinem, niſi ſupra relatam à nobis, quæ vt ex Hiſtoria patet, eadem eſt, quæ Ixine Theopraſti.] *rara viſu eſt, neque in omnibus terris eſt, ab radice folioſa, ex qua media veluti malum extuberat, contectum ſua fronde. Huius vertex ſummus lacrymam continet*
Lib. 22. c. 17. *iucundi ſaporis, acanthicen Maſtichen appellatam.* At alibi de Maſtiche loquens, niſi eandem, ſimilem omninò deſcribit. *Sed maſtix quoque gemina eſt, quoniam in Aſia, Græciaque, herba reperitur è radice folia emittens, & carduum ſimilẽ malo, ſeminis plenum, lacrymaq; erumpit inciſa parte ſumma, vt vix dignoſci poſſit à Maſtiche vera.* De Ixinæ natura, & lacryma varijs locis
Lib. 9. c. 1. mentionem fecit Theophraſtus. Nam alibi de lacrymam ſpontè ferentibus plantibus agens, ait; καὶ ἐπὶ τῆς ἀκάνθης τῆς ἰξίνης καλουμένης, ἐξ ὧν ἡ μαστίχη. *Et in ſpina Ixina appellata, ex quibus Maſtiche.*
Ibid. Et paulò inferius, ἔχει δὲ δάκρυον ἡ ἰξία. *Habet quidem lachrymam & Ixia.* Sed hìc Gaza ἰξίνη, pro ἰξία, legiſſe videtur, nam ſolito
Lib. 6 c. 3. more, *Carduus pinea*, vertit hoc loco. Et alibi, inter acanaceũ fructum gerentes plantas enumerat, ὀνόπυξος, ἰξίνη, χαμαιλέων, *Onopyxus, Ixine, Chamæleon.* Et paulò inferius, Æſtate florere ait, vt τετράλιξ καὶ ἰξίνη. *Tetralix, & Ixine.* Ex quibus Plinius ſimilia in ſua tranſcripſit, quæ nunc repetere non eſt opus. His igitur præterquam quod perbellè vulgatam Carlinam, album Dioſcoridis Chamæleonem à Doctioribus putatam, pallente flore, longis barbulis, ſiue radijs coronatam Aſteris vulgaris modo, Ixinæ hi-

ſtoriæ

ſtoriæ ſupra relatæ reſpondere apparet; ex Theophraſto etiam colligitur, ac eius tranſcriptore Plinio, diuerſam Ixinem, ſiue Helxinem, ab albo Chamæleone ab ipſis habitam fuiſſe: cum præter variam hiſtoriam, varijs locis narratam, tam breui verborum ſerie, de Ixine, & Chamæleone agant. Confirmatur hoc, nam præter ſupradicta loca, in quibus Theophraſtus, de Ixinæ & Chamæleone, veluti diuerſis inſimul verba facit; alio loco de Chamæleone vtroque agens, nullam de Ixine mentionem habuit, nec album, nec nigrum Chamæleonem, quos eadem oratione ferè perſtrinxit, *Ixinen*, aut *Ixiam* appellari, ſed *Acanum* à quibuſdam, *Lib.9.c.13* nec lacrymam, aut viſcum proferre aſſerit. Quapropter non ita facilè aſſerendum videtur, idem eſſe Ixinen cum albo Chamæleone, vt alij putant ex doctioribus. His adde quæ idem Theophraſtus de albo Chamæleone inquit, illius natalis loci hiſtoriam tradens, φύεται δὲ ὁμοίως πανταχοῦ, καὶ ἔχει φύλλον, &c. *Oritur autem itidem omnibus locis, & habet folium,* &c. De Ixine verò, φύεται μὲν οὐ πολλαχοῦ. *Ibid.* *Oritur quidem non multis locis*. Et Plinius, *rara viſu*. Quibus verbis diuerſus, ac vulgaris, frequentiorq; traditur Chamæleonis albi ortus, Ixinæ verò rarior, difficiliorisq; conſequutionis, cum non multis oriatur terris: nec in Chamæleone quicquã de lacryma ſiue gummi habetur, cum in Ixine, ſpontanea tradatur in ſummo vertice fructus. Ac vt diximus, veluti diuerſas plantas, ſed eodem modo conſimili fructu acanaceo præditas, inter alias acanaceas enumerat ſimul, ibi: ἀλλά τά γε τοιαῦτα πάντων, οἷον, ἀκάρνα, λευκακάνθα, χάλκειος, κνῆκος, πολυάκανθος, ἀτρακτυλίς, ὀνόπυξος, ἰξίνη, χαμαιλέων. *Lib.6.c.3.* *Verum eiuſmodi omnium, veluti Acarna, Leucacantha, Chalcheios, Cnecus, Polyacantha, Atractylis, Onopyxos, Ixine, Chamæleon.* Quæ omnia in Plinio videre licet, nec repetemus. Reſtat modo Plinij eiuſdem de Chamæleone vtroque hiſtoria conſiderandi, quam ex Theophraſto, aliisq; excepiſſe ſcimus; in qua *Lib.21.c.16.* vterque Chamæleo prolixè deſcribitur; & albus, Ixia appellari; *Lib.22.c.18.* quia quibuſdam locis viſcum gignat ſub alis foliorum. Et niger etiam, cuius mas & fœmina deſcribitur, & viſcum etiam ferre, ſed Vlophonon appellari. An autem iccirco idem ſit Helxine ab ipſo Plinio ſupra relata, & Chamæleo vterque; nam Vlophonon, Ixia dicitur à Dioſcoride & Nicandro. Ixia verò albus Chamæleo à *Lib.6. & lib.3. in Theriaca.* Dioſcoride, & Plinio ipſo refertur etiam appellari, affirmare nequimus. Et quidem ſi vt alij fecerunt, vellemus; nihil varia nomina, variam hiſtoriam, & varium loquendi modum, in deſcribendis

dis

dis rebus referre, atque Theophraſtum ac Plinium, Nicandrum, & alios antiquiores, quid de illis ſcriptis mandarent (quod aſſerere non audemus) ignoraſſe penitus eſſet dicendum. In qua re non parum animaduertenda nobis videntur, quæ ſupra retulimus. Si idem profectò eſſet Helxine, Ixine, aut Ixia cum Chamæleone, appellatio controuerti debebat; vt ſicut Chamæleo, Ixia, traditur appellari; quia viſcum ſub alis foliorum ferat. Sic è conuerſo Helxine, Ixine, ſiue Ixia, Chamæleon appellari, quia colorem foliorũ mutare ſoleat. Quod ratione ac hiſtoriæ neceſſitate tradi debuiſſet, vel ſaltem vno ex ſupradictis locis. Nec relinquenda eſt differentia etiam illa loci, vel partis, in qua gummi manare traditur vtraque. Ixine quidem in fructus vertice (vt obſeruauimus) Chamæleo verò inter alas foliorum. Sed non parum etiam mirari ſu-
Lib.9.c.1. bit Gazam, qui Theophraſti Ἴξιν alibi *Carduus pinea* verterit. Et alibi de lacrymam ſpontè ferentibus poſtremò, *Spina Ixina*, ibi, ἀκάνθης τῆς ἰξίνης, immemor forſan; aut quia additum erat verbum ἀκάνθης, putans fortè differre, nam alibi ἰξίνη, tantùm ſcriptum in-
Ibidem. uenitur: atque paulò inferius, ibi, ἰξία vertit *Carduus pinea*, ibi; *Quin & carduus pinea*, &c. in Græco textu, ἔχει δὲ δάκρυον, καὶ ἡ ἰξία. An autem hoc ratione fecerit, vel mendum ſit in Græco textu neſcimus: Theophraſtum quidem inter aculeatas, & acanaceas plantas ſemper ἰξίνη plantam numeraſſe animaduertimus: quare ſpinam eſſe haud erat illi dubitandum, vt verſionem legentium impedimento variaret. Sed ad Chamæleonis, & Ixinæ, vel Ixiæ æquiuocationem redeuntes, atque illam opinionem ſectantes, vt idem ſit Ixine, ſiue Ixia, & Chamæleo. De quo Chamæleone albo, an nigro ſit intelligendum? Ex ſupradictis quidem, quoad deſcriptionem plantarum, de albo Chamæleone videtur: vtraque enim ab radice folioſa, humilis, in medio fructum acanaceum gerit, & viſcum ſiue lacrymam fert; & ſi vario loco. Nec de nigro Chamæleone intelligi poſſe videtur, quamquam viſcum, ſiue lacrymam proferat
Lib.22.c. 18. etiam Plinij tantùm relatione; nam caulem gerit altum Plinij, Dioſcoridis, atque Nicandri dicto, atque flores in vmbellam; non vnicum acanũ Theophraſto atque Dioſcoride ex radice prodeuntem, affirmantibus. Sed Ixiæ nomen, non autem Ixinæ nigro Chamæleoni congruere videtur, nam Vlophonon, quod proprium nigri Chamæleonis eſt epithetum, idem cum Ixia eſſe refertur, de Ixia veneno intelligentes; non autem Ixine humili planta. Remanet lacrymæ qualitatis differentia, illa ori grata, vel iucundi

ſapo-

ſaporis,vt ait Plinius,Chamæleonis verò albi, quantum conijcere licet,dulci & graui odore;ſicut de illius radice traditur,ex qua manat. Ixiæ verò veneni Ocimi odore, atque ſapore: quæ illis concilianda relinquimus. Nunc autem videamus an Ixia, quæ inter venena enumeratur à Dioſcoride, gummi ſit,vel lacryma albi Chamæleonis, an verò quid diuerſum? nam & albus Chamæleo Ixia appellari tàm à Dioſcoride, quàm à Plinio refertur, quia viſcum, ſiue gummi ſub alis foliorum ſtillet. Et non parua videtur difficultas ob coniunctam in Dioſcoride, cum de venenis agit, traditionem ineſſe; ac etiam in Theophraſto, cum de Acanaceis,quandam inter Ixinen,Ixiam, & Chamæleonem cognationem eſſe; veluti ac de albo, & nigro Chamæleone loqui voluiſſent, Ixinen, vel Ixiam, pro albo Chamæleone intelligentes; & Chamæleonem, pro nigro Chamæleone accepiſſe. Sed contra hanc opinionem idem Dioſcoridis,& Plinij textus aduerſari videtur; nam &ſi quia viſcum ferat Chamæleo, Ixia iccirco appellari tradant; illud ita, ob ſimilitudinem ſcilicet intelligendum, quia viſci modo lacrymam ferat,non autem quia cum *Ixia* veneno idem eſſet, quod haud tacuiſſent. Nã Chamæleonis albi radix hominibus alexipharmacum eſt contra latas tineas, & in vino pota Theriace contra venenata,vt Dioſcorides & Nicander teſtantur. Atque non parua doſi vtuntur introſumpta, quæ ſi venenata eſſet, non nocere propter minimam quantitatem minimè dici poſſet; nam Acetabuli pondere,duas ferè vncias æquante ad latas ventris tineas necandas,pellendasq; præſcribitur, tàm à Theophraſto,quàm Dioſcoride, & Plinio: & ad difficultatem vrinæ,& Serpentium ictus decocta,vel in vino pota radix abſque menſura præſcribitur à Dioſcoride. Nec ideo putandum quod gummi, ſiue viſcum noceat, radix verò ex qua manat minimè poſſe: hoc enim miſerorum eſt refugium. Ixia quidem venenum, non viſcum ſiue gummi, ſed radix eſt Dioſcoridi læthalis, vt apertè liquet ex eius hiſtoria,in qua inter radices noxias recenſet. An autem, quia iam ſatis liquet albi Chamæleonis non eſſe viſcũ, nec radicem, ſit potius nigri Chamæleonis, adiuuat Dioſcoridis textus in capite de Ixia,in quo Ixia Vlophonon appellari traditur, ſicut etiam Vlophonon ait appellari niger Chamæleo Plinius: nec album Chamæleonem vnquam Vlophonon appellatum aliquis hiſtoriæ mandauit. Quare autem niger Chamæleo Vlophonon dictus fuit, à Plinio dici videtur, quia iuuencas anginæ modo ſtrangulet. Sed nobis huius Etymi ratio à veritate abeſſe videtur, non enim

Loco citat.

Lib. 6. in præfat.

Lib. 6. c. 1.

Lib. eod.

enim à Græcis per dictionem οὖλος, iuuenca, nec aliud animal intelligi poteſt, ſed οὖλος, pro ὅλος, aliquando accipi traditur, ita vt *totus mortifer*, Vlophonon interpretari poſſit οὖλος, & ὅλος, *totus*, *omnis*, & φόνος, *mortifer*, *occiſor*, ἀπὸ τοῦ φονέω, φονεύω, vel φονάω, quod eſt, *occido*, *interficio*, *mortem infero*. Vel potius οὖλος, *pernicioſus*, verti poteſt, vt *pernicie occidens*, οὐλόφονον interpretetur: quod proprietas eſt veneni. Ac non ſolum forſan velut albus Chamæleo minora animalia, ſicut oues, & canes, ſed maiora etiam niger Chamæleo, vt Iuuencas, quaſi maiore pernicie, atque vi in occidendo maiore animali ſit opus. Sed nos haud conſentire poſſumus, vt idem ſit nec albus, nec niger Chamæleo, & Ixia venenum dictum, ea maximè ratione, quia in Dioſcoridis textu de venenatis radicibus agente, Chamæleonem, atque Ixiam enumeratas inuenimus veluti radices varias, ſed veneno noxias ſimiliter, his verbis: ῥιζῶν δὲ, χαμαιλέων, ἀκόνιτον, θαψία, ἐλλέβορος, ἰξίας, ἀγαρικὸν, τὸ μέλαν, ἐφήμερον ὅ ἔνιοι κολχικὸν καλοῦσι, διὰ τὸ ἐν Κολχίδι γίνεσθαι. *Radicum verò, Chamæleon, Aconitum, Thapſia, Elleborus, Ixia, Agaricum nigrum, Ephemerum, quem aliqui Colchicon dicunt, quia in Colcho oriatur*. Ex quibus diuerſas eſſe radices colligitur, ſed venenatas; nec ſi idem eſſet cum albo Chamæleone, aut congener nigro, aut idem niger, ſeorſim deſcriptum eſſet, ſed poſt, aut ante verbum Chamæleon poſuiſſet hoc modo, *Chamæleon*, *Ixia*, *Aconitum*, vel *Ixia*, *Chamæleon*, *Aconitum*, &c. Sed & ex ſupra relato textu miramur etiam illos, qui volunt Ixiã eſſe viſcum, ſiue lacrymam Chamæleonis, vt ait Plinius, quæ ἰξὸς Græcis dicitur, & idem eſſe cum Ixia veneno inter venena à Dioſcoride relata; cùm apud Dioſcoridem non lacryma, aut viſcum, Ixia ſit; ſed radix plantæ Ixiæ dictæ, aut Vlophonon, nobis ignota: & hoc firmatur, nam Dioſcorides ſuprà ſtatim de liquoribus verba fecit, nec Ixiam enumerauit, vt de Thapſiæ liquore fecit. Cuius etiam radicem iterum inter radices enumerauit, nec Chamæleonem; quare non erit albus Chamæleo, qui Ixia appellatur, quia viſcum ferat, Ixia hic relata, cum non ſit liquor, ſed radix. At radix Chamæleonis albi non nocet hominibus, ſed Theriace eſt contra venenata. Nec etiam niger erit Chamæleo, nam abundè fuiſſet in initio relationis radicum, Chamæleonem præponere alijs, & quinto deinde loco Ixiam repetere, quæ ſicut niger Chamæleo, Vlophonon appellari etiam traditur. Adde, quod ſi Ixia radix venenata idem eſſet cum Chamæleone, ſicuti de Ephemero, quod Colchicum appellatur, ad differentiam Ephemeri alterius non vene-

Lib. 6. in præfat.

nati,

nati, ad cautelam præſcripſit, ita de Ixia, quæ ab alijs Chamælcon
appellaretur, quia Ixiam ſiue viſcum proferret, appoſuiſſe hiſtoriæ
ac doctrinæ medicinalis oportunitate debebat; quod fecit in Agari- *Lib.6.*
co, quod nigrum damnat in præfatione & in vltimo capite de ijs,
quæ ad ſanitatis recuperandæ cauſa intrò exhibentur, iterum cum
Veratro, Thapſia, Elaterio & alijs enumerat, vt periculum ſtrangu-
lationis euitetur. Sed pro ſubſidio hæc addantur. Vt idem cenſea-
tur Ixia Vlophonon dicta, & niger Chamæleo, hæc aſſertur ratio.
Etſi à Dioſcoride Chamæleon præponatur in præfatione alijs ve-
nenatis radicibus, in capitibus tamen illorum poſtea nihil de Cha-
mæleone, nec albo, nec nigro traditum reperitur; ſed de Ixia tãtùm *Lib.6.*
veneno ſigna, & remedia præſcribuntur: quare verbum illud, *Cha-
mæleon*, in præfatione adiunctum potius fuiſſe Dioſcoridi, quàm
Chamæleonis integrum caput deperditum: & ideo Ixia à Dioſco-
ride in ſuo capite Vlophonon appellari fuit notatum, ac ſi niger
Chamæleon ſcriptum eſſet; cum antea in cap. nigri Chamæleonis,
Vlophonon, & Ixia appellari animaduertiſſet: ac etiam à Nicandro *Lib. 3.*
Vlophonon ἰξιόεν appellatur. Niger enim Chamæleo cum ſit ex ero- *in Alexi-*
dentibus, vt notauit, non debet intrò ſumi. Illius vſus apertè quidē *pharm.*
à Nicandro damnatur, de Vtroq; Chamæleone verba faciens. *In The-*

Τῶν δὴ κυάνεον μὲν ἀναίνου. *riaca.*

Horum autem cæruleum omitte——

Cæruleum appellauit nigrum Chamæleonem, à floribus, quos Dio-
ſcorides *Hyacinthinos* dixit, verbo ὑακινθίζοντα; non ab radicis co-
lore fuſco. At dato, quod ita ſit, Vlophoni ſiue Ixiæ radicis vene-
natæ ſapor, vt à Dioſcoride notatur, Ocimi ſaporem, & odorem re-
ferre debet; atque hoc ſigno noſcendum venenum: a Nicādro Oci-
mi tantùm ſaporem: & ab vtroque, linguam inflammare, &c. Sed
Ocimi ſapor acris quidem, & non dulcis, ac boni odoris percipi-
tur; Chamæleonis albi radix, & viſcum dulci ſapore à Dioſcoride,
& melleo traditur à Nicandro, & graui odore: nigri verò Chamæ-
leonis radix, non illius viſcum, [de quo nihil Dioſcorides & Ni-
cander & Theophraſtus,] noxia, vt inflammatio ſequi poſſit, & ſine
odore, de quo nulla fit mentio, quapropter cum deſint Ocimi ſapor
& odor, & gummi ſiue viſcum, non erit niger Chamæleo, etiam
quod ex erodentibus & venenatis eſſe clarè conſtet. Sed de nigro
Chamæleone Dioſcoridem intellexiſſe dicimus, non verbo, *Ixia*,
ſed *Chamæleon*, quod in præfatione omnibus radicibus præpoſuit.
Atque Ixiam alterius plantæ ſic vocatæ radicem eſſe, non viſcum,

nobis vt Pharicum & Carpaſum ſucci venenatæ quoque plantę incognitæ; illamq; vt diuerſas cæteras radices, ſimul cum reliquis venenatis enumerauit. Hoc denique non aſpernendum etiam argumentum pro concluſione addimus: Dioſcoridem ideò quinto loco poſt verbum, *Chamæleon*, repoſuiſſe *Ixiam*; ne iuxta & ſimul *Chamæleon* & *Ixia* poſitæ, vtrumq; Chamæleonem intellexiſſe videretur: Icci̇rco alias intermedias varias radices interpoſuiſſe, vt nulli dubium foret diuerſam à Chamæleonibus eſſe Ixiam ibi memoratam. Nunc autem ad plantam redeamus albi Chamæleonis Dioſcoridis, cuius notas præ cæteris exactiùs deſcripſiſſe videtur, his

Lib. 3. verbis. χαμαλέον λευκὸς, ἰξίαν τοῦτον ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἔν τισι τόποις ἰξὸν εὑρίσκεσθαι πρὸς τὰς ῥίζας αὐτοῦ, ᾧ καὶ ἀντὶ μαστίχης χρῶνται αἱ γυναῖκες. ἔχει φύλλα ὅμοια σιλύβῳ ἢ σκολύμῳ, τραχύτερα δὲ καὶ ὀξύτερα, καὶ ἰσχυρότερα τοῦ μέλανος, καυλὸν δὲ οὐκ ἔχει. ἀλλ᾽ ἀφίησιν ἐκ τοῦ μέσου ἄκανθαν, ὁμοίαν ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἢ κινάρᾳ. ἄνθη δὲ πορφυροειδῆ, ὥσπερ τρίχας ἐκπαππουμένας. καρπὸν δὲ κνίκῳ παραπλήσιον. ῥίζαν ἐν μὲν τοῖς εὐγείοις γεωλόφοις παχεῖαν, ἐν δὲ τοῖς ὀρεινοῖς ἰσχνοτέραν λευκὴν διὰ βάθους, ὑπαρωματίζουσαν, βαρύοσμον, γλυκεῖαν. *Chamæleon albus, Ixiam illum appellant, quia in aliquibus locis viſcum reperitur circa radices ipſius: quo vice maſtichæ vtuntur mulieres. Habet folia ſimilia Sylibo, aut Scolymo, aſperiora verò, & acutiora, robuſtioraq; nigro. Caulem quidem non habet, verùm è centro ſpinam ſimilem Echino marino, vel Cinaræ. Flores verò purpuraſcentes velut capillos pappeſcentes. Fructum quidem Cnico adſimilem. Radicem in fertilibus collibus craſſam, in montanis verò graciliorem, albam intus, aliquantum aromaticam, graui odore, dulcem.* Hic animaduertendum cenſemus verbum illud ἐκπαππουμένας, ſubſtantiuo τρίχας, concordare: ſed nobis videtur impropriè, niſi corruptus hîc ſit textus: non enim capilli, cùm tenues iam ſint, in pappos iterum abire poſſunt, vt hîc dicitur: *veluti capilli pappeſcentes;* potius quidem veriſimile videtur, vt Chamæleonis flores in pappos abeant, & verbum illud ἐκπαππουμένας, corrigatur ablato σ. ἐκπαππουμένα, neutro genere, ἄνθη verbo reſpondens; vt ſenſus ſit,

Deſcriptio *flores pappeſcentes vt capilli*, capillorum ſcilicet modo tenues & diuiſi, papposi videantur: & ita re ipſa in planta obſeruantur. Huic deſcriptioni magis accedere videtur planta illa Cirinolæ frequentiſsima ſterilibus deuexis locis occidentalibus editis, ac etiam planis, purpuraſcante flore capillari Cynaræ æmulo; cuius effigies parum à vulgata Carlina, pro Chamæleone albo recepta diſtat. Huius radix craſſa eſt admodum & longa, foris ruffeſcens, intus alba,

ba, διὰ βάθους, vt Dioſcorides notat, lacteſcens, aromatico, graui parum odore, non iniucundo; cerebrum petente: dulci ſapore, edulis, quæ cum extirpatur, non illa poteſt adhiberi diligentia, quin minus vel fibrula aut aliquo modo non findatur; qua parte ſtatim lac emittit in grumos ob viſcoſitatem concreſcens, etiamq; grumis hærentibus inuenitur effoſſa circa ſummas radicularum ſoboles; ex qua fruticare obſeruauimus, & in plantas plures diuidi vetuſtate; in quibus ſingula capita orbiculata mali parui magnitudine, ſingulis foliorum vmbilicis hærentia inueniuntur echinata, vt in Vulgata Carlina, flore pallente, & humo hęrentia. Huic verò ſpinoſum caput ſiue Acanus, (ſic ēnim à Theophraſto hæc appellatur, ſpinoſum caput Carduorum) in quo flos concipitur, minimè, vt in Vulgari, à radiantibus foliolis illis, veluti corona diſpoſitis inter caput, & folia magna circundatur, quibus caret: nec floris vmbo planus, atque depreſſus conſpicitur inter pallentes barbulas illas magnas vndique radiantes, illumq; Chryſanthemi ritu coronantes; ac elatior, tumeſcẽs, ruffas minutasq. barbulas ſiue potius ſquamas, occultans; atque papposus. Foſculi quidem in quinque partes ſinguli diuiduntur, tenues admodum, vt capillares ferè videantur; non ſecus ac in floribus Scolymi ſiue Cynaræ, quibus ſimillimi effigie, colore verò non ita cæruleum imitantes, ſed potius purpuraſcẽtes: iccirco ὥσπερ τρίχας ἐκπεπταμένα dicuntur. His mareſcentibus candidum pappum emittunt interna ſemina ſingulis floribus ſubſidentia, vt in Cynara, & Acanaceis; verùm oblonga cinerea, ſplendida, non vt Cnici modo craſſa, ſed Cnici modo contenta & effigie. Iunio menſe acanum profert, Iulio dehiſcere incipiens ſuaueru bentem canam lanuginem oſtendit, quæ deinde Auguſto extuberans, purpureo colore perficitur floreſcentes: iterumq; Septembri perfecto caneſcens pappo & euolante cum ſemine. Folia huic pedalia, vel maiora, magis profundè inciſa, & ſpinoſiora Vulgari; Scolymi ſiue Cinaræ ſimiliore diuiſura; colore albicantia veluti caneſcentia, infernè hirſuta, quandoq; virentia: in eruptis Maio menſe obſeruauimus, vt diuerſa videretur planta. In vetuſtioribus, & areſcẽtibus rubentia, vt in cæteris plantis obſeruatur. Quod autem planta hæc, vt ex Plinio colligitur, rubentia, aut cærulea, variaq; proferat folia, nondum compertum habemus. At non albo Chamæleoni Dioſcorides hoc tribuiſſe videtur, cùm in fine Chamæleonis nigri hiſtoriæ nominis etymon, atque foliorum varietatem tradiderit, ſicut in initio eiuſdem nigri Chamæleonis hiſtoriæ, eius folia &

Lib. 9. c. 13

Tempus.


Chameleo albus Apuleii purpureo flore gummifer.

caulē rubeſcere dixit,& nos ita eſſe cenſemus. Chamæleonis enim
nigri vmbellata coma, in alijs candicans, alijs ad cæruleum incli-
nans,alijs vireſcens,quòd Eryngio montano quoque euenit,vt nos
in Apuliæ Cirinola vbi copioſè vterq; oritur,reperitur, antequam
flores dehiſcere incipiant: & folia quoque rubeſcentia, ſicuti &
caulem dodrantalem ad ſummum,etiam rubeſcentem,in alijs can-
dicantem, aut virentem data opera obſeruauimus. Obijcebatur
enim à Matthiolo caulem huic plantæ non purpuraſcere, atque
ideo præter cæteras notas,vt illi videbatur, Dioſcoridis hiſtoriæ
non reſpondere. At planta ab ipſo propoſita, nec ſupradictas no-
tas, nec vmbellam, nec flores Hyacinthinos proferre certum eſt,
nec in cāpeſtribus maritimis ſiccis cliuoſis, qualis eſt Apulię Ciri-
nola;ſed in frigidis admodum humentibusq; montibus oritur: & à
Vulgata Carlina parùm abeſt caule, vt pleriq́ue illam eandem eſſe
cum humili non cauleſcente cenſuerint & ad eadem vtantur: &
nos congenerem illi eſſe teſtamur. Ruſtici armentorū duces gum-
mi,quod in acano,& inter ſpinoſa foliola calycis manat, colligunt
ex hac in Apulia,& ex Vulgari in montibus excelſis,frigidis,illudq;
appellant,*Cera di Cardo*,quia concretum veluti Cera dureſcit, at-
que vbi attrahendi opus ſit eo vtuntur. Vix enim eſt planta cui
ſpontè gummi hoc non hæreat,vnicum ſaltim grumulū,quod Mat-
tiolo tam arduum fuit reperire, vt nunquam in Italia ſe album
Chamæleonem gummi manantem vidiſſe fateatur. Non ſecus ac *lib.6.cōm. in Dioſc.c. de Ixia.*
viſcum dum recens eſt adhæret, & in fila protenditur, colore can-
dido,nam ex lacteo ſucco concreſcit,& deinde collectum cærę mo-
do concreſcit, contrectatumq; inficitur nigreſcitq;. Hanc plantam
in Apuliæ Cirinola & vicinis locis obſeruauimus, vbi niger ſimul *Lib.2.c.7. method. cognit.ſimplic. & c.8.*
inuenitur Chamæleo verior, cæruleis floribus albis intus ſtamini-
bus,vmbellam habens confertam & latam, à Doctiſsimo Maranta
primum obſeruatus;qui locis cliuoſis, ſiccis, campeſtribus mariti-
miſq; vt Dioſcorides notat oritur. Vulgarem verò Carlinam pal-
lente,coronatoq; barbulis flore,[non quidem purpuraſcentem no-
ſtris regionibus,vt à Plantarum Auctore Lugdun. refertur,qui for
ſam re ipſa non vidit,) in *Mateſio* Campoclarenſium monte, &
Raſcino Æquicolorum,alijs excelſis iugis,& Appenninis montibus
ſæpius obſeruauimus. Nec verum eſſe animaduertimus Vulgarem
Carlinam, vt alij tradiderunt, caule carere, ſed aliquando illum
emittere. Quæ caulem habet,nunquam humilis eſt florida, vt Vul-
garis;at generę diuerſo folia profert anguſtiora,virentia, magiſq;

ſpinoſa:

ſpinoſa;floremq; minoribus barbulis,illisq; candicantibus;vmbobone intus floſculis purpurorubentibus, quamuis antequam expandantur lutei conſpiciantur. Quod niſi quis animaduertat,plantam obſeruans ad perfectionem vſque, diuerſas iudicabit eaſdem: Alias quidem luteo vmbone paruo, alias purpurorubente colore conſpiciens:in ipſa etiam planta hoc inueniens: plura namq; capita profert,ſingulis caulibus quos plures emittit,ſingula proferēs. Æquicolorum montibus in quibus copioſè fruticabat obſeruauimus, atque Capras huius cauleſcentis plantæ capita mandere vidimus. Radix huic nigra erat exeſa, caulis pedalis rubeſcens, tota planta viſcoſo candido lacte manat diſrupta,vt in Vulgari humili, concreſcitq; gummi modo,odore nihil differens;quare ni fallimur, deceptos illos putamus qui eandem humilem Carlinam & cauleſcentem eſſe tradiderunt: gummi etiam in capitibus hærens inuenitur. Nos autem congenerem eſſe dicimus. Appinximus è regione noſtri Chamæleonis immaturum Echinum demptis acanaceis foliolis illum vallantibus, vt ſquamoſa interna foliola ſiue barbulæ, quæ florem continent calycis vice Cinaræ modo, ante oculos poneremus. Addidimus etiam flores diſtinctos, ſeminibus paruis inſidentes, ac etiam grumos aliquos gummi concreti circa radicem exciſam & detruncatam; vt omnia quàm facillime conſiderari queant. Huius folia Naturæ luxu criſpa,atque denſa aliquando inuenimus Maio menſe Cirinolæ,propè Reguli Vineam deuexis editis illis locis;quæ ob humoris abundantiam,vt in alijs plantis euenire obſeruauimus etiam, degenerant: & apud nos ſicca memoriæ cauſa ſeruamus. Colore purpuroceruleis floribus etiam depictum vidimus album Chamæleonem in Antiquiſsimo Herbario manuſcripto Grçcis literis maiuſculis,alphabetico digeſto ordine,coloratis iconibus;quod Neapoli in Sancti Ioannis Carbonarię nuncupati ornatiſsima librorum copia Bibliotheca ſeruatur, membranacea pagina extructo;quod nuper anno 1605. Neapoli prętereuntes obſeruauimus euoluentes illud, quare hîc referre in ſtudioſorum gratiam libuit. Inuenimus quidem & alia quædam noſtris ſententijs,atque iconibus quodammodo congruere,tam antè à nobis in Phytobaſano editis,quàm nunc hoc volumine deſcriptis, non ſine animi noſtri iucunditate. Reſtat nunc ad maiorem huius plantę declarationem, vt Doctiſsimorum Matthioli & Marantæ controuerſias dirimemus;non parum de hac diſceptaſſe inter ſe videntur: quæ verò fuerit huius controuerſiæ cauſa paucis exponemus. Matthioli

Lib.4. Epiſtol. medic. Meth.cogn. ſimpl. lib. 2.cap.10.

Matthioli igitur albus Chamæleo depictus, cuius notas,vt ſolet in arduis cognitione plantis, omiſit ; illa eadem planta eſt,quæ vulgò Carlina humilis dicitur , excelſioribus, frigidiſq; montibus Neapolitani Regni frequens, à quibus vtrinque flumina ortum ducunt, ad vtrumque mare Thyrrhenum ſcilicet, atque Adriaticum decurrentia , tamquam à terræ continentis dorſo elatiore,vtramque plagam diuidentibus : flore prædita eſt pallido , magnis barbulis ſiue foliolis oblongis, leuibus , nitidis ſplendentibus , rigidis , obliquè radiorum ritu diſpoſitis , vt in Chryſanthemi flore obſeruatur,coronato : vmbonem depreſſum habente , minutis ac denſis floſculis luteis conſtructo . Eandem plantam exactiùs depinxère doctiſſimi viri Rembertus Dodonæus,Lobellius,& Petrus Pena,itemq́. Carolus Cluſius, additis tamen inter capitulum floris, ſiue Acanum , & folia magna humi iacentia , plura intermedia foliola,tertia parte breuiora,& anguſtiora, minusq; inciſa , quæ Acanum ſiue Capitulum illorum poſitu vndique radiante coronare videntur; quamobrem planta hæc triplici radiorum ordine ornari videtur . Primo foliorum maiorum, quæ humi ſparguntur . Secundo foliolorum , vt diximus, anguſtiorum tenuium ac frequentiorum,quæ Acanum circundant . Tertio denique barbularum floris, quæ ex ipſo Acano ſiue Echinato capite calycis vicem, antequam flos hiaret,explente,obliquè ac denſè circum exertæ conſpiciuntur,ex aculeatis admodum illis calycis folijs elatis florem ſepientibus , radiantis pyxidis effigiem præferentium . Quæ verò à Maranta deſcribitur,nõ enim picturis vſus eſt, illa eadem videtur, quam nos deſcripſimus, atque depinximus ; foliolis illis medijs carens,atque barbulas occultans, quibus maximè præter floris colorem ab illa diſtat. Cauſa verò quæ Marantam Fuchſij depictum Chamæleonem probare magis videtur impuliſſe,quamquam illius etiam picturam arguat; illam nos fuiſſe cenſemus ; quia Matthioli , & Fuchſij depictum Chamæleonem album , eandem plantam exprimere voluiſſe cenſuit, quam idem Maranta in Venuſino agro frequentem obſeruarat : putans forſitam aliam eiuſdem ferè effigiei flore luteſcente non inueniri alibi . Illorum quidem vitium fuit notas omittere plantæ propoſitæ, atque Dioſcoridis hiſtoria vti,qui purpureo flore Chamæleonem eſſe deſcribit, vt Venuſina erat . [Sed heu humana calamitas ! ea eſt hominum verſutia, vt ne facilè argui poſſent, ea quæ ab ipſis tamquam indagatoribus,commentatoribus,& expoſitoribus, vt ita dicamus , neceſſariò ad rei declarationem

Lib.2.c.10 method.cogn ſimpl.

expri-

exprimi deberent; ſilentio plerunque inuoluunt,& occultant, Antiquorum verba ſupponẽtes, atque hiſtoriam, tanquam rei propoſitæ, aut depictæ congruentem, aliorum verba & dicta referentes, propria dicenda verò omittentes.] Id etiam vt breuibus aliorum verbis per quàm Latinè loqui videantur. Non enim ex eorum ſcriptis colligere poterat priuatam plantæ hiſtoriam ac differentiam,qui nullam expreſſerunt niſi Dioſcorideam.Fuchſius quidem plantæ formam ex Dioſcoride tranſcriptam appoſuit. Matthiolus verò picturam tantùm, & vulgò notam Italis eſſe retulit. Quapropter illorum Chamæleones purpureis eſſe floribus, vt à Dioſcoride traditur, & ab ipſo in Venuſina planta obſeruatum erat, eandemq; illos exprimere voluiſſe ſibi perſuaſum; in ea prorupit verba, vt Matthiolo picturæ tantùm obijceret erratum,quod floris ſcilicet acanum ſtatim ſupra craſſam radicem appoſuerit hęrentem, atque Fuchſij magis probandam potius iconem,quia non ſtatim radici, ſed illius adnatis elatum ab illa caput expreſſerit: verùm & illum erraſſe, quia in illis ſurculis, caulis modo folia diſpoſita hærere finxerit, vt caulis ſpeciem potius, quàm radicularum habere videatur. Veriorem verò iconem eſse, vt ex craſsa radice, ac veluti matre aliæ radiculæ vel ſoboles pullulent, quæ Græcis παραβλαστήματα dicuntur, in quibus capitula inſideant inter folia, terræ proxima. Vera quidem hæc eſt plantæ hiſtoria. Nec ſimilia obiecisſet, ſi ab illa diuerſas, illos depinxiſse animaduertisſet. At in quibus deceptus ſit Maranta præter ſupradicta explicabimus. Doctus quidem vir, ſubtili, acriq; ingenio fuit, & in ſtirpium obſeruatione, ijsq; in examinandis diligentia profectò admirabilis, vt ex eius Methodi & Theriacæ voluminum lectione patet. [Vtinamq; plures Marantæ nunc viuerent.] Picturæ verò dignoſcendæ, ac diſtinguendæ non admodum naturæ dote ornatum ex ſupradictis ſuſpicamur. Poterat quidem ex illorum iconibus & picturis ſatis animaduertere, ac putare illorum Chamæleones inter ſe diuerſos eſſe, ac etiam ab ea, quam ipſe Venuſino agro reperierat longe diſtare: atque non minus errare illos potuiſſe in illarum expreſsione, quàm etiam diuerſas à ſua voluiſse exprimere cogitare. Fuchſij quidem caulis, & floris effigie; Matthioli verò ex pyxidato, & barbulis coronato magno flore, vt etiam Fuchſij:quæ in Venuſina planta, & reliquis Apuliæ locis prodeunte minimè exeruntur, flore Cinaræ modo intumeſcente. Hæc ſi ex pictura noſcere non ignoraſſet, non ea, ſed quæ nos diximus,protuliſse

tuliſse

tuliſſe forſan opinamur. Verùm non tantùm picturæ inobſeruatione, ac eorumdem depictarum plantarum frigidis in montibus orientiũ ignoratione, ſed potius quia Doctiſſimos illos viros purpureo flore, iuxta Dioſcoridis textum plantam expreſſiſſe firmiſſimè opinaretur; non ab hiſtoria alienam. At quia locus eſt opportunus,non tacebimus; non minus naturalium rerum indagatori, vt perfectior euadere poſſit,diſciplinarum ſcientiarum,linguarũq; varietatem eſſe conquirendam,quàm ipſam pingendi ac delineandi rationem, vel ſaltim illius quandam agnitionem. Non enim mente conceptis rerum hiſtorijs, ac earum differentijs, earundem ideâ veras effigies concipere poteſt picturæ diſciplina penitus ignarus. Sicuti,nec pictura expreſſas rerum icones,illas idea ad naturalem ſuum indiuiduum aptare poteſt: nec earum differentias, & minimas quaſque partes conferre ac examinare. Quare illam nobis aſſequi peritiam neceſſe videtur: vt ex pictura, rem ipſam idea videre putet, ſicuti è contra re ipſa conſpecta, eandem qua forma pictura exprimi debeat noſcere ſatis calleat. Sic enim Maranthæ,atque Matthioli ſupra enarratos lapſus profectò euitabit. Hac enim de cauſa doctiſſimi plerique Philoſophi ac Medici Simplicium medicamentorum cognitionem aſpernere videri malunt, cum ad illa agnoſcenda, atque examinanda naturæ defectu minus idoneos ſemetipſos ſentiant, hac ſupradicta Ideâ carentes: quod ſi fateri velint,vera dixiſſe videbimur. Hæc profectò potiſſima ignorationis huius Medicinæ partis primariæ connexæ occaſio,ſummo hominum damno, vt Medicorum quorundam proueniat ſuperbia, ac inuidia, qui ne ipſos hac parte deficere videantur, illam ſpernunt velut ignobilem. Sed vnde Medici dicuntur,niſi ab ipſo medendi actu? in quo ille medebitur Medicus,ſi locis contingat pharmacopolis carentibus artem exercere? an ne verbis? an ſufficiet noſcere morbum? Medici quidem nomine ex ſe ipſo priuari videbitur; tunc enim re ipſa medicamenta nouiſſe oportere fatebitur. Sed hic tacendum. Nunc autem Matthioli contexamus errata. Primùm eſt, quòd planta illa pro Chamæleone depicta, omiſſis à Maranta obiectis, non habet foliola illa intermedia minora minusq; inciſa, vt ſupra retulimus; quæ alijs iconibus additæ fuerũt, & Doctiſſ. Gaſpar Bauhinus in ſua Synoninijs ornata Matthioli operum editione, expuncta illa Matthioli, Tranſalpinorum iconem appoſuit tanquam veriorem, animaduertens forſan etiam, quod in Epitome Francofurtenſi longè peſſimè efficta erat ſuppo-

C ſita.

ſita. Secundum, quòd omiſſis Acani floris notis, tanquam purpureum florem proferentem plantam poſteris impoſuerit. Tertium, quòd in Epiſtola lib. 3. ad Marantam, pictorem ſuum aſſerit ex viua planta iconem deſumpſiſſe, quam nos ſcimus, & reliqui qui illam delinearunt ex Tranſalpinis, foliola illa intermedia viuis plantis nunquam deficere florentibus, quin minus cum Echino reperiantur. Quod autem plantam à Maranta deſcriptam in plures proceſſus radice diuiſa, in quibus aliquando ſinguli Echini ſingulis radicis adnatis inſideant, minimè impugnare voluerit, rectè feciſſe arbitramur; nam & in planta ab ipſo propoſita etiam euenit nō rarò, ſicut etiam an ſuæ Fuchſij planta depicta ſit præferenda poſteris iudicium relinquere: quod recti animi ſignum eſt perſpicuū. Fuchſij verò plantam pro albo Chamæleone depictam, neminem hæſitare quidem cenſemus, quin illam eandem eſſe cenſeat, quæ Carlina caulem habens dicitur, ab eodem Matthiolo pro nigro Chamæleone depicta & propoſita, necnon pertinaciter aſſeuerata. Non poſſumus hìc omittere, à Plantarum Lugdunen. Hiſtoriæ auctore ex eadem Matthioli notarum omiſſione florum Chamæleonis forſan cogitaſſe plantam illam purpureum habere florem, ac ita in ſua hiſtoria addidiſſe; quod ni ita foret, auiditate flagramur plantam ſimilem conſpectam habere; quam qui habuerit, nos certiores facere ne dedignetur ſummis precibus rogamus. Sed

Vires. Vires à Dioſcoride relatas addemus. *Hæc acetabuli menſura pota, educit lumbricum latum. Sumitur autem cum vino auſtero, & origani decocto. Sed & hydropicis commodè datur drachmæ pondere cum vino. Attenuat enim ipſos. Et decoctum eius ad vrinæ difficultatem bibitur. Eſt & theriaca aduerſus venenatas beſtias potæ cum vino. Occidit & canes & ſues & mures cum polenta ſub-*

Lib. 22. c. 18. *acta, aut aqua & oleo diluta.* Plinius addit, *Radicem eius aliqui conciſam ſeruari iubent funiculis pendentem, decoquuntq́; in cibo contra fluxiones, quas Græci rheumatiſmos vocant.* Theophraſtus

Lib. 9. c. 13 quidem ſimpliciter fluxum verbo ῥοῦς additque: *Et ſi hominem ægreſcentem experiri volueris an viuere poſſit, lauandum ea radice triduo iubent, hoc enim ſi tolerauerit, moriturum nequaquam*

Lib. 22. c. 18. *exiſtimant.* Ac etiam in fine omnium. *Omnium autem generum earum radices ſcorpionibus aduerſantur.* Sed & magicum quiddā addemus ex eodem Plinio irridendum remedium, vt ne quis ab alijs cerni poſſit. De Chamæleone quadrupede verba faciens: Eius ait, ſiniſtrum verò pedem torreri in furno cum herba quæ etiam

Cha-

Chamæleon vocatur, additoq; vnguento in paſtillos digeri: eos in ligneo vaſe conditos, præſtare ne cernatur ab alijs qui habeat. Hæc de planta Chamæleone Dioſcoridis magis noſtro iudicio reſpondente protuliſse nunc ſatis viſum fuit: meliora Deo dante aliquando acturos confidentes. Non defuturos opinamur, qui prolixitatem obijcient enarrationis noſtræ. At quia non Doctioribus, ſed minus peritis hæc ſcripſiſse maluimus, quantùm ſtirpium indagatori arduum ſit veriora perquirere, ex hiſce noſtris incõcinnis periodis excipere poſse putauimus; nec non & quantùm candoris oporteat alijs ſcribentem habere. Addendũ etiam cenſuimus
alios putaſſe Theophraſti albũ Chamæleonem differre ab illo Dio- Lib.9.c.13
ſcoridis, quia perperam legatur non habere aculeos in folijs, ſed
quia Scolymo folijs ſimile vtrunque idem fecit, & nigrum λειότερον Lib.6 c 3.
albo; potius cenſemus verba illa Scolymo poſse magis quadrare,
cuius ſpecies culta ſine ſpinis eſt, & ſylueſtris ſpinoſa; vel alio Lib.6.c.4.
modo mendum adeſse, cum dicat: Scolymi folia cum areſcunt nõ
amplius pungere. Atque hoc ex Plinij textu etiam mendoſo irre- Lib 21.c.
pſiſse cenſemus: ex quo clarè patet, Scolymi ex genere Carduorũ 16.
folia areſcentia minus pungere, quod contra eſt in alijs ſpinoſis Lib.20.c.
plantis. Et ſatiuum & ſylueſtre, cuius duo genera facit inueniri 23.
Latinis Cardui nomine, Græcis Scolymi refere, & confundere vi- Lib. 22.c.
detur. Chamæleonis verò folia aſperiora eſse albi, quamuis an- 13.
tea lib. 21.cap.16. in folijs non habet aculeos, ſcriptum reperiatur. Hæc alij cogitent, & nos etiam aliàs longa vt oportet declaratione conabimur perpendere, ſi Deo Opt. placuerit. Differt à nobis depictus Chamæleo albus, ab eo, qui Septentrionalium appellatur exiguus, vt ex icone colligitur, foliorum ſciſsura profundiore, atque acani magis ſpinis, vulgari ſimilibus, quæ illi deſunt, ſquamis tantùm depictis.

Atractylis Theophraſti, & Dioſcoridis, ſanguineo ſucco. Cap. II.

Atractylis dicta fuit, quia huius caule mulieres pro colu vte- Nomen, et Etymon.
bantur, vt ex Dioſcoride liquet, ᾧ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται ἀντὶ ἀ- Lib.3.
τράκτου. *quo mulieres vtuntur pro colu*. ἄτρακτος enim *fuſus*, & *colus*,
vertitur. Plinius verò ait, quia pro colu vtebantur Atractylis Lib.21.c.
dicta, eius verba hæc ſunt: *Vna mitior eſt, ſimili caule, tamen ri-* 15.
gido. Itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur ex illis, quare quidam Atratylida vocant. Sed quia ex Theophraſto, non ex Dio-

ſcoride Plinius excepiſſe videtur, aliqui Plinium ipſum, atque Gazam illius exemplo deceptos fuiſſe putant, Ruellium ſequentes qui vertit *Fuſo*, non *Colu*, in Theophraſti quidem textu non, ἀντὶ ἀτράκτυ. ſed διὸ καὶ σπλωίοις, ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν: *Quamobrem ex eo mulierum priſcarum nonnullæ colu vtebantur*. vertit Gaza Plinium imitatus. Marcell. Virg. verò ἀτράκτυ verbū *ad fuſos* vertit, & ἀτρακτυλὶς *Colus ruſtica*, & *Fuſus agreſtis* interpretatur. Sed in Commentario pro fuſo, & colu Atractylidis caule vti poſſe mulieres ait: *Cur autem Colum ruſticam, & fuſum agreſtem, ex herbæ figura factum eſt: quæ glabro nudoq; penitus caule ſurgens, & cum aruit inflexili duritie rigente aliquando cubitali altitudine, plerumque autem minor, nec niſi in ſummo folioſa & aculeata, in maiore illa altitudine Colum, in minore fuſos ruſticis fœminis ad laniſicium dedit*. Nos autem vocem ἄτρακτος pro *Colus*, ab Emblematum in Dioſcoridem ſcriptore, & interprete verſam videntes, ac Marcellum Virgilium ancipitem; Grammaticos conſiderantes variè vocem ἄτρακτος accipientes, Pollucem inuenimus, qui pro ſuperna parte Mali ſupra Antēnam accipit illam: & in nauigijs pars illa Mali craſſior & latior eſt, atque ſaltem trocleas habet concinnatas, in quibus funiculi circum dependent, atque etiam ipſa Antenna, vt deprimi, eleuariq; facilè pro oportunitate poſſit: quare non parum Coli effigiem cirroſam lana, aut lino repreſentare videtur magis, quàm fuſum, & ſi pro fuſo accipi etiam poteſt alio loco. Hic autem potius *Colus* vocem verſam retinendam duximus, facileq; adducimur Plinij auctoritate, qui vt ſupra diximus, quia colu vtebantur mulieres antiquæ, Atractylis à quibuſdam dicta refert. & quamuis non ex Dioſcoride, ſed Theophraſto excepit, & verbum illud *Colu* in Græco σπλωίοις, non ἀτράκτυ legatur, nos autem quia ad nominis Etymon facit, & nominis Atractylidis rationem reddere videtur, verbum illud etiam σπλωίοις conſiderandum cenſuimus, quod minus vſitatum videtur; & à linguæ Græcæ obſeruatoribus corruptum putatum, vt non σπλωίοις, ſed σπνίοις legi oporteat: ſed σπνίον variè etiam accipitur, vt tam *fuſus*, quàm *licium*, & *ſtamen* ſignificet, & σπλωίον, tam *Splen*, quàm *Emplaſtrum*, aut illud aliud quod medicamentum excipere poſſit, vt deinde aptè collocari imponiq; poſſit: in hac igitur verborum varia ſignificatione, minuſq; cognita, magis antiquum atque grauem Auctorem Plinium, multarum linguarum interpretem, quibus Auctores, quorum ope ſuam hiſtoriam compilauit, variè ſuo idioma-

Lib. 1.

te

te conſcripſerant volumina, ſequendum, ac retinendam interpretationem cenſemus: in qua non minus verſionem verbi, quàm rei hiſtoriam attendendam. Nec vt alij Ruellium in hac parte ſequendum curamus, nam & plantæ huius caulis ab imo nudus, & propè ſummum folioſus ac diuiſus, capitatusq; Cneci modo, vt illum Dioſcorides deſcripſit, colum potius, quàm fuſum repreſentare videtur: retulitq; nobis Græcus natione literatus, pro Colu accipi verbum σπλωίον, quia Spleni hærens Colus lateri figitur ad nendum. Sed relictis his Etymi varietatibus, vt liberum ſit cuilibet, quam voluerit verſionem recipere. Aliud nominis Etymon à nemine hucuſque animaduerſum, Plantæ proprium in medium afferemus: atque plantam hanc ideo Atractylidem dici, quia non ſecus ac Colus capitata eſt, ac villoſa; atque hoc, maximè prima facie a Cneco & Acorna, quibus ſimilis eſt, diſcerni; vt infra dicemus in plantæ obſeruatione. Hanc Dioſcorides Cneco ſimilem facit his verbis: Ἀτρακτυλὶς ἄκανθά ἐστιν ἐοικυῖα κνίκῳ μακρότερα δὲ πολλῷ φύλλα ἔχουσα ἐπ' ἄκρου τῶν ῥαβδίων· τὸ δὲ πλεῖον γυμνὸν τραχύ. ᾧ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται ἀντὶ ἀτράκτου. ἔχει δὲ καὶ ἐπ' ἄκρου ἀκανθώδη. ἄνθος ὠχρόν, ῥίζα δὲ λεπτὴ ἄχρηστος. *Atractilis ſpina eſt ſimilis Cneco longiora verò multò folia habens in ſummo alarum: reliquum verò nudum aſperum. quo etiam mulieres vtuntur vice Coli. Habet quidem & capita in ſummo ſpinoſa: florem pallidum: radix tamen tenuis & inutilis.* Theophraſtus verò diligentiore obſeruatione magis priuatas addidit notas in ſua hiſtoria, quibus nos certiores de plantæ identitate facti ſumus; nec alioquin veram Atractylidem ſtatuere potuiſſemus.

Auctoris Etymō Atractylidis proprium.

Atractylidem quidem non ſolum Cneco ſimilem, ſed eius ſpeciem fecit his verbis: τοῦ κνήκου δ' εἰσίν. ἡ μὲν γὰρ ἀγρία, ἡ δ' ἥμερος. τῆς δ' ἀγρίας δύο εἴδη. τὸ μὲν προσεμφερὲς σφόδρα τῷ ἡμέρῳ, πλὴν ὀρθοκαυλότερον. διὸ καὶ σπλωίοις ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. καρπὸν δὲ ἔχει μέλανα, καὶ μέγαν, καὶ πικρόν. &c. *Cneci verò ſunt, quædam ſylueſtris, altera verò vrbana. Sylueſtris verò genera duo. alterum quidem admodum ſimile vrbano, rectiore tamen caule. Quamobrem colu quædam priſcarum mulierum vtebantur. Fructum verò habet nigrum, magnum & amarum.* Et inferius: ἀτρακτυλὶς δέ τις καλεῖται, καὶ λευκοτέρα τούτων. ἴδιον δὲ ἔχει τὸ φύλλον, ὅτι ἀφαιρούμενον καὶ τῇ σαρκὶ προσφερόμενον, αἱματῶδη ποιεῖ τὸν χυλόν. διὸ καὶ φόνον ἔνιοι καλοῦσι τὴν ἄκανθαν ταύτην. ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινήν, καὶ φονώδη. ὀψὲ δὲ καὶ τελειοῖ τὸν καρπὸν πρὸς τὸ μετόπωρον. *Quæ verò Atractylis dicitur, & bis candidior, proprium habet eius folium, vt auulſum,*

Lib. 6. c. 4.

Ibid.

uulſum, & carni confricatum. ſanguineum reddat ſuccum: quapropter cædem, ſiue cruorem aliqui appellant ſpinam hanc: habet quidem odorem grauem & funeſtum. Serò tamen perficit fru-
Lib. 9. c. 1. *ctum circa Autumnum.* Et alibi de plantarum ſuccis loquens, ſanguineum ſuccum tribuit Atractylidi, his verbis: τοῖς δ' αἱματώδεις, οἷον τῇ κευτηρίᾳ, καὶ τῇ ἀτρακτυλίδι καλουμένῃ ἀκάνθῃ. *Aliquibus ſanguineus, vt Ceuteriæ, & ſpinæ Atractylidi appellatæ.* Nos autem verbum illud κεντηρίᾳ ignotum omnibus, κενταυρίῳ legendum cenſemus, Centaurium magnum accipientes; cuius radix rubeſcentem ſuccum emittit. Quare non mirum ſi in diuerſis illis nomenclaturis Dioſcoridis Androſæmon etiam appellari tradatur. Quem ſuccum ſanguineum recentiores cum non inueniſſent in planta ab illis propoſita, regionis varietati, atque tempori experimenti cauſam tribuerunt: non enim quouis anni tempore, & quouis modo, auulſo folio cruentum poſſe fundere ſuccum putarunt, ſed vel affrictum, maceratum, vel alijs modis. Quod fortè non dixiſſent, ſi ita auidè plantam hanc quæſiſſent ac obſeruaſſent, vt vt nos fecimus has dirimere volentes controuerſias, atque veri-
Deſcriptio. tatem inquirentes. Huius plantæ radix, folia, atque capitula virentia auulſa quouis anni tempore ab exortus initio & germinatione ad florum vſque productionem (poſtea quidem areſcit) ſanguineum ſuccum ſemper emittunt, in venulis ſeruatum, nam in carne aqueum vel virentem habet, vt infra in Aloë dicemus, atque hoc Cirinolæ Apuliæ oppido præteritis annis obſeruauimus in tenella etiam planta Februario menſe, ex autumnali ſemine deciduo forſan orta; cuius radix tenuis atque parua erat, duro cortice, foris pullo, dulci ſapore, graui odore: atque diſrupta etiam circa corticem venulas, ſiue fibrillas cruenta ſtilla emicante oſtendebat, ſed ad luteum inclinante; nondum enim in ruborem concocto colore. Folia prima carnoſa, humi hærentia, expanſa in orbem, lata, oblonga, triuncialia, vel longiora, per ambitum aculata, quæ poſtea lacinijs paulatim diſſecantur Calcitrapæ vulgaris & aliorum Carduorum modo; virentia, ſed alba hirſutie obſita, magisq; infernè hirſuta, aſpera, ſed non pungentia dum in terra iacent: atque diſrupta, & ab radice auulſa ſanguineum ſuccum fundunt, atque pluuia marceſcunt antequam caulis erumpat. In vetuſtiore verò planta, lignoſa eſt radix, atque folia dodrantem longa & maiora; cum caulis erumpit Aprili menſe læuia, profundè lacinioſa in lobos diuiſa, aculeata magis, duriora, atque pungentia,


Atractylis
Acarna

tia, bipedalem caulem alternatim ambientia, qui ſolidus rotundus, hirſutus, craſſus, atque in ſummo alis diuiſus paucis, in quibus minora habentur folia Cneci forma, & modo hærentia; inter quæ lanoſior, araneoſa veluti ac longa lanugine dependente obſitus eſt, (ſicuti & alæ) tactu gummoſus, odoratus, graui aromatico odore; atque reciſus rubentem ſanguinis modo ſuccum fundit, ex fibris ſiue venulis circum corticem, ſicut etiam capitula ex ſummis virgis exciſa Iunio menſe, antequam florem explicent, ac etiam explicatis recenter floribus; in quorum etiam ima parte, vt in ſummis virgis oblonga, dependet lanugo, vt ex Colu ſolet ad nendum aptata: ob cuius ſimilitudinem Atractylis hæc dicta fuit. Huius odor quodammodo thurem imitatur, ſed grauior, non tamen ingratus. Capitula tria, aut quatuor ſylueſtris planta profert Iulio menſe, flores luteos obſoletos, minutis foliolis, vt Cneci, & Chamæleonis a nobis depicti, cõſtructos, paucos & inconcinnos edentia: foliaq; tunc magis rigent, atque pungunt, & etiam capitula, nec ſuccum amplius fundunt affrictis venulis, quamquam in illis ſanguineus color cernatur, ob humoris diminutionem atque ſiccitatem, atque tunc circa corticem capitulis reciſis veluti puncta rubentia circúſcripta venulæ illæ conſpiciuntur. Singulis floribus Cneci modo & Acanaceorum, ſingula ſemina ſubſunt, minuta verò, nec pappum hirſutum & plumoſum vt in alijs, ſed radiatum, velut ſtellæ radios latos in acutum deſinentes, fulueſcentes, ſplendidos, inæquales: ſemen vero quadratum rhomboides Cneci æmulum, ex albo purpuraſcens primùm, quare non mirum ſi à Plinio candidum deſcribatur, ibi, *Semen candidum, grande, amarum*. Deinde flaueſcens, atque perfectum nigrum, ſplendidum punctis veluti deſcriptum. In capitulis vermiculi gignuntur, vt etiam, præter Dipſacum, in multis Acanaceis obſeruauimus. Caulis cum florere incipit, iam denudatus ab imo incipiens, pauca tandem circa capitula folia relinquit, eaq; maximè pungentia, reliquus verò nudus durus, atque cacumine hirſutus, vt Colus vicem de ſe præbeat, atque æmuletur, dependente veluti ſtamina, candicante illa oblonga lanugine. Septembri menſe finitur. In agris incultis Cirinolæ frequentiſſima, atque etiam Campoclarenſiũ collibus, alijſq; locis montanis. Ex his igitur veram hanc eſse Atractylidem tàm Dioſcoridis, quàm Theopraſti & Plinij aſseri poteſt, qui ſilueſtris Cneci primam ſpeciem faciunt, cuius caulis nudus, & folia læuiora, quæ mitiora dixit Plinius, ad differentiam ſecundæ quam hirſutiorem

Tempus.

Lib. 21. c. 15.

Locus.

Ibid.

tiorem notauit, quæ ab omnibus *Cardui Benedicti* nomine, vel *Cardui Sancti* cognoſcitur: cuius etiam capitula, antequam flores pandantur, & florida Maio menſe reciſa circa collum, ſanguineum paucum ſuccum eodem modo habere obſeruauimus, & araneoſa lanugine obducta, ac etiam in cæruleo Cnico dicto, cuius capita non ſolum araneoſa lanugine inter folia ſepta conſpiciuntur, ſed reciſa ſuccum luteum ex venis fundunt, quod etiam in Cynara reſecta obſeruari poteſt fuſco colore. Atque de illius viribus, nec *Vires.* etiam dubitandum, cum Alexipharmaca etiam ſit, vt congener; cuius vires à Dioſcoride ſic deſcribuntur: *Huius folia & coma, & fructus, conciſa pota cum pipere & vino, ictis à Scorpione opitulantur. Quidam narrant ictos doloris exortes eſſe, quamdiu herbam tenuerint: depoſita vero dolere.* Et Plinius: *Nec de Cnico, ſine Atractylide verboſius dici par eſſet, Aegyptia herba, ni magnum contra venenata animalia præberet auxilium. Item aduerſus fungos. Conſtat à Scorpione percuſſos, quamdiu teneant eam herbam non ſentire cruciatum.* *Lib. eod. c. 32.* Galenus verò, vim moderatè calidam, atque ſiccantem Atractylidi tribuit, appellatq́; illum κνῆκος ἄγριος, ibi *Lib. 6. de ſimpl.* ἀτρακτυλὶς, κνῆκος ἄγριος, *Atractylis, ſiue Cnecus ſylueſtris, &c.* Non igitur amplius Matthioli verba contra Ruellium, & ſuam in non reperiendo ſanguineum ſuccum in Carduo benedicto, & Atractylide diligentiam attendendam cenſemus; nec opinionem illam vt differat Atractylis à prima ſylueſtris Cneci ſpecie, cùm ex Plinij verſione, atque textu proximè relato, clarè conſtet; & ex ipſo Galeno. Nec verſionem Gazæ adeò nos recipiendam putamus, vt Plinio præferamus, nam vt diximus, vtrumque verbum ἀτράκτοις & ταλιώοις, *Colu* interpretari poteſt, atque potius Gazæ verſio verbi *Fuſus agreſtis* debuiſſet corrigi, nec alia ibi, quàm propria appellatione interpretari, nomen quidem eſt proprium plantæ *Atractylis* ἀτρακτυλὶς, ibi in Theophraſti textu, atque deriuatiuum ab ἄτρακτος, propter ſimilitudinem aut vſum; nec adiectiuum *agreſtis* appoſitum vllo modo concipitur ſub illa λὶς particula. Nos autem plantarum imagines non apponimus mendicatas, non viſu, nec hiſtoria obſeruatas; ſed tam diligenter deſcriptas, vt ex illius notis quilibet plantam à nobis propoſitã inuenire poſſit. Matthioli igitur icon appoſita, quibus à vera differat collatione quiſpiam ſcire poterit. Romæ frequentem obſeruauimus in ſterilibus editis locis, ac etiam propè *Pontem mollem* appellatum ſeſquipedali caule.

Acarna Theophraſti, ſiue Acorna Plinio. *Cap. III.*

INTER Cneci ſpecies Acarnam Theophraſtus recenſet, ſpinoſis folijs præditam ob ſimilitudinem quam cum Cneco habet toto habitu, vt ex Theophraſto excipitur, ac etiam quia inter ſpinoſas folijs enumeratur ab eodem, ac acanum proferentes: ibi, ἀλλὰ ταγὲ
Lib.6.c.3. τοιαῦτα πάντων, οἷον, ἄκαρνα, λευκάκανθα, χάλκειος, κνῆκος, &c. *Verum eiuſ-*
Lib.6.c.4. *modi hæc omnium, vt Acarna, leucacantha, Calchios, Cnecus, &c.* Acarnæ verò notæ hæ ſunt, Ἡ δ' ἄκαρνα προσεμφερὴς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κατὰ τὴν πρόσοψιν τῷ κνήκῳ τῷ ἡμέρα, χρῶμα δ' ἐπίξανθον ἔχει, καὶ λιπαρόν. *Acarna verò quodammodo ſimilis, ſimpliciter loquendo, aſpectu Cneco vrbano, colorem verò ſubruffum habet, & ſuccoſum.* Quem ruffum colorem, non in flore, ſed in totius plantæ aſpectu, vel maioris partis ineſſe, & ſequentibus Atractylidis notis, quibus à Cneco vrbano, & Acarna differre ait, apparet: ait enim, ἀτρακτυλὶς δέ τις καλεῖται, καὶ λευκοτέρα τούτων. &c. *Atractylis verò appellata, & candidior his* &c. candidior intelligit Theophraſtus Cneci ſpeciebus alijs & Acarna. Ex
Lib. 21. c.16. quibus Plinius de aculeatis plantis agens diuerſo tamẽ ordine ait, *Acorna colore tantum ruffo diſtinguitur, & pinguiore ſucco: Idem erat Atractylis quoque niſi candidior eſſet, & niſi ſanguineum ſuccũ funderet.* &c. Ex quibus colligitur Acornã eſſe ex aculeigeris plãtis & acanaceis, aſpectu atque effigie Cneco, & Atractylidi ſimilẽ, differre verò aſpectu coloris ruffi, atque ſucco pingui turgere: quod non obſeruatur in Cneco, ſed in Atractylide tenui, ac ſanguineo.
Locus. His notis reſpondere videtur planta illa in Campoclarenſium col-
Deſcriptio libus, & Æquicolorum ſecus vias in incultis, quam iuxta & ſimul cum Atractylide ſæpius obſeruauimus, nec pudet referre, decepti non ſemel illius cacumina, antequam floreret, detruncantes Atractylidem quærentes & ſanguineum ſuccum, ſed lacteum copioſum inueniebamus atque viſcoſum ſiue pinguem: illius quidem plantæ habitus adeò ſimilis videbatur, vt niſi ſupradicta nota fuerint, non minus decipi quis poterit floribus adhuc non exertis. Nullam quidem propriorem nos differentiam agnouimus, capitibus plantæ adhuc tenellis, illã, à Teophraſto & Plinio obſeruata, coloris ſcilicet ruffeſcentis plantæ atque caulis præſertim Acornæ: in Atractylide verò albicantis vt Theophraſtus notauit, & ſupra diximus, & quam ille, ac Dioſcorides omiſerunt certam & extrinſecam differentiam, araneoſam illam caulis circa capitula lanuginem, tactu

gum-



2. Carlina lanata Spec. hist.
1. Carlina corymboſa. Spec. hist.

gummoſam ſiue viſcidam atque odore graui. In Acorna verò leuorem foliorumq; rigentium aſperitatem maiorem obſeruauimus, cauliſque ruffum & ad rubedinem inclinantem colorem, atque totius plãtæ ſuccum candidum pinguem, viſcoſum, facilè æſtate concreſcentem dulci ſapore. Radice longa pedem ſuperante, craſſitie digiti maiore pallente, odorata, Carlinæ vulgaris modo, etiamque lacteſcente, dulci. Caulis bipedalis folijs alternatim hærentibus Atractylidi & Cneci modo & ſimilibus, durioribus verò magiſque pungentibus læuibuſque, in ſummo tria aut quatuor capitula vt

Tempus. Atractylis, quæ florem Æſtatis fine emittunt luteum foliolis ſiue barbulis circumambientibus Aſteris, Anthemidis, vel potius vulgaris Carlinæ modo, ſed colore magis ſaturo. Semen Autumno pappoſum vt in congeneribus, ſed paruum cinereum Chamæleoni albo ſimile, ſed proportione minus: ramulum appinximus iuxta Atractylidem differentiæ notitiã, cum integram plantam ad manus nõ habeamus, & ex ſupradictis facilè cognoſci poſſit.

Vſus. huius radix eſtur elixa deinde oleo frixa, neruo exempto quadragenæ diebus à pauperibus Valuenſibus.

Acarna ſiue Acorna altera Apula. Cap. IV.

Locus. EST & altera congener, vt cenſemus, in Apuliæ Cirinola oppido à nobis primùm obſeruata, fruticoſior, in agrorum marginibus ſponte fruticans; radice pollice ampliore, bipedali fere ex albo flauente, odorata, Chamæleonis albi modo aromatica, lacte dulci turgida. Inuenitur etiam in illa, Cirinolæ obſeruauimus, menſe Februario velut gummi lac denſum ceræ modo ſub folijs,

Deſcriptio non ſecus ac in Chamæleone albo à nobis deſcripto. Folia ei ſunt Cneci vel Atractylidis, in terram expanſa, ſed non hærentia, duriora, læuia acutis admodum ſpinis, quæ Hyeme regerminant: è quorum vmbilico caules ruffeſcentes, aut rubentes parum, lacte turgidi, prodeunt cubitales, vt in ſuperiore folijs hærentibus alternatim, in ſummo verò non vt in ſupradicta & Atractylide, tria aut quatuor capitula, ſed veluti denſos corimbos in vmbella ferè nigri Chamæleonis rariore, capitella ſunt parua Echinata acanacea Anthemidis florem æquantia floſculis intus luteſcentibus, atque circum radiãtibus barbulis luteo ſaturo admodum colore, quibus perfectis capitula etiam lutea viſuntur, & ſemina ni fallimur, non enim ad maturitatem perfecta vidimus ſed incipientia: pappum habent

habent candidum ſericeum tenuiſſimum. Auguſto floret, Septembri ſemina perficit. Huius caulis & cacumen toto anno durat ſiccatus vt facilè ſit plantam perquirenti inuenire, nam vmbellata cacumina illam deſignant. Sub quibus ab radice Autumno Fungi exeunt laudatiſsimi, Cirinolanis gratiſſimi, atque maximè expetiti; nam è planta dicunt oriri Alexipharmaca, quam illic, *Cardoncello*, vulgò denominant. Ex his igitur, plantæ illæ quæ nullam cum Cneco habent ſimilitudinem, nec folijs nec habitu, nec ſucco ſunt turgidæ pingui, haud eſſe recipiendas facilè iudicari poteſt. De huius viribus ab antiquis nihil adhuc proditum inuenimus; ſed vulgò alexipharmacæ cenſentur. *Tempus.* *Nomen.*

Acanthioïdes parua Apula. Cap. V.

ACANTHII folia, vt ex Plinio clarè liquet, ſimilia eſſe debent albo Chamæleoni, ſed duplò vel magis minora: Illius quidem folia & ſimilia & minora multò etiam facit Plinius Spina alba, cuius folia minora, & anguſtiora Chamæleone albo deſcribuntur à Dioſcoride: Eandem Plinius ita deſcripſit, ſupra de Spina alba verba faciens his verbis, *Huic ſimilis eſt ſpina illa, quam Græci Acanthion vocant, minoribus multò folijs, aculeatis per extremitates, & araneoſa lanugine obductis, qua collecta etiam veſtes quædam bombycinis ſimiles fiunt in Oriente: ipſa folia vel radices ad remedia Opiſthotoni bibuntur*. Ita etiam in Dioſcoridis legitur reſtituto textu: deficiebant quidem verba illa, *& araneoſa languine*, quæ ita reſtituta integrum ſenſum efficere videntur, ſequentibus verbis, *qua collecta ſimulque compoſita bombyci ſimilis fit*. Hanc autem à ſimilitudine *Acanthioidem* appellauimus, atque paruam, à tenuitate & breuitate, addidimus; non enim parum ad illius notas accedere videtur. Folia ſunt ei parua multùm reſpectu Chamæleonis albi, per ambitum aculeata, & ſpinis horrida Atractylidis vel Acornæ modo, ſupernè, atque magis infernè araneoſa lanugine obſita, vt multa excipi poſſit, quæ ita ductilis, ac tenuiſſima eſt, vt bombycis vicem ſupplere poſſit ſimul compoſita, atque ita facillimè nei poteſt, & filo tenui, at tenaci, vt tela effici poſſit. Radicem habet tenuem admodum reſpectu plantæ, paucis fibrillis diuiſam, parum flauicantem, lignoſam, odoratam ſapore amariuſculo, ad ſylueſtris Valerianæ guſtum ferè accedentem. Caulem rotundum, dodrantalem, album, eademq; languine obſitum, folijs alternatim Acornæ *Lib. 24. c. 12.* *Deſcriptio*

modo

modo ueſtitum,& perficiente ſe flore ab imo decidentibus,ſupra medium denudatum Atractylidis ritu : in ſummo verò & iuxta capitulum,quod vnicum gerere ſolet,denſiora in rotæ modum, caulescentis Carlinæ æmulatione , cui etiam floris effigies ſimilis admodum , verum minor admodum Acornæ primo loco à nobis deſcriptæ par,& ſimilis: barbulis enim læuibus,nitidisq; floris vmbo imus capillaribus floſculis conſtructus circundatur,vt in Aſtere, Acorna,Chamæleone vulgari pallido flore:ſed huic foliola illa ſiue barbulæ purpurorubentes ſunt , quem colorem in alijs non obſeruauimus barbulis.Iulio floret,& Auguſto perficitur. Semen habet cinereum læue amarum paruum vt noſter Chamæleo papposum: locis incultis,ſiccis,editioribus, ſterilibusq; Cirinolæ frequentiſſima,via quę ducit ad Vineam, *Acquamena*,dictam.Emittit aliquandò vnam,aut alteram propaginem circa caput,ſed Impiæ dictæ herbæ Plinij modo , ſupra patrem eleuatam, in qua capitellum & flos, omnia verò minora . Acanthij verò Galenus folia & radicem tenuium partium eſſe,ac calidam vim ineſſe aſſerit, vt etiam conuulſis auxilietur;quod etiam Paulus Ægineta notat. Et nos hanc plantulam ad ſupradictas vires accedere viribus cenſemus , vt ex guſtu radicisque ſapore percepimus amaro,aromatico cerebrum guſtanti roborante parum , etiam quod tàm tenuis radicis tantillum manderemus .

Tempus. *Locus.* *Sapor.*

Carduus ſtellatus mitior Apulus , Spina ſolſtitialis altera. *Cap. V I.*

DIFFERT hæc à vulgaribus plantis,quas recentiores,quia ſtellæ inſtar aculeos acani radiantes diffunderent,& Solſtitio florerent,appellarunt Carduos ſtellatos,& Solſtitiales ſpinas; foliorũ rotundioribus lobis atque carnoſis,& acano minore,nec ita rigido, nec longis aculeis radiantibus armato . Copioſa in incultis Cirinolæ cliuoſis,aridis,Martio menſe:ex radice parua, pulla, dulci ac graui ſapore & odore Calcitrapæ dictæ , lignoſaq; : folia emittit in orbem diſpoſita , parùm è terra elata , ſemipedali longitudine aut maiore,diuiſuris æqualibus, raris, ſinuoſis, Hieracij Apuli magno capite modo,in rotundos & pares ferè lobos quinos diuiſa : alba, atque breui hirſutie obſita,albicantia,molliaque.Ex quorum centro caulis rotundus,angulosus, bipedalis , & maior producitur folijs veſtitus , vt ocreatus videatur , vt in congenere læuifolio , &

Locus. *Deſcriptio* *Sapor.*

Chon-



Centaurea solstitialis

Chondrilla Galeni, à nobis infra propoſita; albus, hirſutus, multis alis in ſummo è folijs anguſtis degeneribus prodeuntibus diuiſus: in quibus capitula parua copiſa inſunt echinata vt niger Chamæleo Maranthæ breuibus aculeis, ipſisq; vtrinq; aculeatis pungentibus, ſed non vt Vulgaris Stellaria dicta & Solſtitialis. Flores lutei ſunt atque tenues non illis diſſimiles, Maij fine prodeuntes apertis acanellis, & Iunio ſemina perficientes; atque capita etiam tunc luteſcentia. Ab effigie atque ſapore ſimili nomen impoſuimus.

Tempus. *Nominis cauſa.*

Senecio Carduus. *Cap. VII.*

Nomen & cauſa.

FOLIORVM primus exortus fecit, vt meliore deficiente denominatione, Senecionis medium nomen haberet, & Cardui, cuius ſpecies planta hæc videtur; carduum intelligimus hoc loco generis vice omnem aculeatis folijs plantam, quam Græci ἄκανθαν dicunt, & ἀκανθόφυλλον. E radice huius quæ parua, fibrisq; duris paucis diuiſa, gracili; circa caput rubeſcente, graui Calcitrapæ odore, folia è ſemine, [annalis quidem eſt,] duo primum prodeunt rotunda, læuia, vnguis magnitudine, quæ ſeminis ſunt eruptio; ſecunda verò quæ plantæ ſpeciem referre incipiunt, Senecionis modo in lobos parũ inciſa ſunt, atque inſuper per extrema ſerrata denſis, ac minutiſſimis dentibus aſpera: tertia verò magis inciſa ſunt, & maiora, longioribus lacinijs, illisq; in lobos etiam inciſis, atque ſerratis Campoclarenſis Chryſanthemi ſylueſtris, vel Athanaſię dictæ modo, quibus ſimiliora ſunt; minora verò, & carnoſa, prominente dorſo lęui, intus verò canaliculata & lanoſa; reliqua deinceps maiora, ſemper hęrent, ad caulis ferè medium vſque; ac deinde decreſcentia, minora, anguſtiora, tenuioraq; alternatim cauli hęrentia, pedali aut bipedali, duro, ſtriato, candicãte, hirſuto, tenui: in cuius ſummo capitula proferuntur tria, vel quatuor, Sonchi æmula, læuia, ſquamoſa, purpurantibus aciebus, mollibus, non acanaceis; floribus Carduorũ modo capillaribus, purpuraſcẽtibus, inodoris, in medio albicantibus ſtaminibus: ſed & floſculi exteriores purpurei ſunt, quorum terna, ex quinis foliolis quibus conſtant, exterius circumprominentia purpureaq; bina verò interna albicantia obſeruantur. His craſſum ſemen admodum reſpectu plantæ calycis ſubeſt, nec ſingulis floſculis, vt in alijs ſed duo, aut tria perficiuntur; vt in carduis compreſſa parum lata, nigreſcentia, ſed nitidâ flauente hirſutie leni ac tenui obducta; pappum verò [quod adhuc ſingulare in

Deſcriptio

hac planta putamus]breue,nigerrimum ac ſericeum, quo euolant perfecta:guſtu amaro Maio menſe perficitur; locis oritur incultis editioribus Cirinolæ propè ſyluulam, *Mezzana*, dictam, poſt D. Rocchi ædem,& Æquicolorum collibus propè Cappuccinorum ſyluulam & hortum. Huic ſimilis videtur planta illa pro Chondrilla rara à lobellio depicta, quæ ſi eadem eſt non nimis rectè depicta fuit,nec lacteſcit,aut quidpiam commune cum Chondrillis habere putamus. Sed ſi coniecturæ indulgendum eſſet, nõ parũ Seſamoidi paruæ quadrare videbitur, nam à ſimilitudine Seſamoides nomen accepiſſe inquit Plinius,ſed maius vt Dioſcorides notat, folio eſt & habitu Senecionis vel Rutæ,vt propriè in hac plantâ æmulantur,ad Coronopi folia accedentia quę cauli hærent hirſutaq; niſi quod magis profundè laciniata conſpiciuntur: Flores quadrare videntur,nam purpurei ſunt,medium album habentes: ſeminis color fulueſcens, & amaritudo:radix verò tenuis:in aſperis & glareoſis locus natalis, quæ non ita in illis Ocymoidi æmulis putatis conferri queunt: Quorum nec folia lacinijs diuiſa, nec flores mediocandidi,nec ſemina colore,aut ſapore, & magnitudine reſpondere videntur. Sicut nec flore,nec ſeminis colore aut amaritudine, aut viribus reſpondet planta illa,quàm ex Cichoriaceis rectiùs putamus,Plinij forſan Cyanus: à Dodonæo Chondrillam cæruleam appellatã,à Matthiolo pro Seſamoide parua propoſita,de qua aliàs diximus in Papauere heracleo: At nos non minus veriorem Seſamoidem quærimus. Hæc etiam ex plantis eſt, quæ acanum non profert, & ἀκανθόφυλλα ſicut Sonchus, & Strutium eſt, vt Theophr. notat.

Tempus. *Locus.* *Seſemoides parua.* *Lib.6.c.3.*

Iacea læuis maxima Centaurioides Apula. *Cap. VIII.*

PARVM obuia hæc, nec vnquam vno niſi in loco Cirinolæ ortam vidimus,in foſſa quadam arginis vineæ depreſſioris cuiuſdã propè, *Acquamena*, (ſic enim Vinea Reguli ibi dicitur) dextrorſum cum itur. Quam,à totius plantæ habitu quodam, & natura Iaceæ vulgari putatæ ſimili,atque à foliorum læuitate, magnitudine, ac latitudine Centaurio magno proximorum,Iaceam læuem, maximam Centauroidem ad differentiam appellauimus. Radix humũ profundè nixa petit,lignoſa,dura,longa,corticoſa veluti Quercus caudex,caput habens piloſum, neruulis vetuſtorum foliorum, foris nigreſcens,& albicans intus. Folia quæ primò erumpunt Ru-



Centaurea crupina Sp. pl.
Lam. 1. 664



1. Centaurea centauroides Spr. mat.

mici æmula,carnoſa,dura,læuia retuſiora, magna,longa, lata: quæ deinde,in lobos paulatim diuiſa erumpunt,Rhaphani modo, maiora,latiora,Centaurio magno æmula & Limonij ſoliditate. Caulem habet tripedalem anguloſum,ſolijs diuiſura Quercus,vel Cerri modo hærentibus alternatim,in ſummo parum hirſutum, ſicuti & folia parte auerſa. Capita profert duo aut tria, craſſa magno Centaurio paria, Iaceæ aut vulgaris Cyani ſquamulis compacta, aculeata,& per ambitum inſecta luteſcentibus ſpinulis,ſed maiora ſunt omnia: internum verò quod à luteis ſpinulis ſiue lacinijs ſepitur,vireſcens conſpicitur,gratum oculis opus reddens; ex quibus floſculi lutei capillares Carduorum modo emicant. Spontaneum in his capitibus gummi hærens reperimus,flauum, ſplendidum adhuc florens Iunio. Semina deinde perficiunt candida depreſſa pur- *Sapor.* purante pappo.Radicis ſapor & odor Calcitrapæ ingratus fuit.

Iacea montana minima tenuifolia. *Cap. IX.*

Locus. *Tempus.* AEQVICOLORVM montes herbidi hanc non deſcriptam Septembri menſe floribus luteis onuſtam fundunt prope D.Angeli dirutum ibi templum, ſupra villam Flaminianum dictã, *Deſcriptio* vbi rariores non deſunt plantæ;cuius caulis & folia puſilla reſpectu capituli & florum;magnum quidem illud profert,congenerum etiã modo ſquamulis compactum,atque flores maioris Iaceæ pares aureo colore,quorum interni elati atque recti,& exteriores circa caput procumbentes. Caulis verò tenuis anguloſus, ſemipedalis ad ſummum,duabus alis foliorum interceptus: folia verò triuncialia propè humum expanſa, in tenues admodum lobos diuiſa, ipſique inſuper lobi etiam laciniati,carnoſi, aucleati, Vermiculariæ Dioſcoridis dimidiatum folium æmulantes,læues,ſee tenuiores.Semen profert deinde papposum vt xongenerum. Radix circa caput piloſa,fibris diuiſa craſſiuſculis,odore & ſapore congererum.

An Hippophæ Dioſcoridis. *Cap. X.*

NEMO [quod notum ſit nobis] veram Hippophaën adhuc ſe reperiſſe fatetur, atque plantam illam quam ſupponunt à veriore diſtare demonſtrabimus. Nec enim maritimis oritur,vel folijs oleæ longis anguſtioribus, ſed latioribus ac rotũdioribus; nec alijs nititur ſignis, niſi quod purgatoriam vim obtinere dicatur.

tur. Nos aliam plantam, vt fertur, in ſabuloſis, maritimiſq; naſcentem, totoq; habitu Dioſcoridis delineationem referentem, iiſdemq; purgatorijs viribus reſpõdentem, interim proponemus. Nec aliud deeſſe videtur, (quod adhuc ignoramus) nec aliquis adhuc obſeruauit, an radice ſit ſuccoſa vt Thapſia, ex qua ſuccum colligi vt in illa poſſit. Rogamus enim incolas, aut ſtudioſos, vt ſpontè naſcentis plantæ radicem ſecent Veris tempore prægnantem, noſq; certiores illa obſeruata facient, vt vel hanc omninò probare, vel refellere poſſimus. Hæc autem propter aliquam foliorum & habitus cũ Rhamnis ſimilitudinem, in illorum ordine primo ſuppoſita fuit, nec animaduerterunt nullam de fructu racematim congeſto in Dioſcoridis Rhamnis mentionem eſſe, atque de vi purgatoria, quam in hac recentiores, Acinos purgatrices huius corymbos appellantes, cognouere, à Rhamnis alienam, & Hippophaë propriã. Cuius notas ita Dioſcorides deſcripſit. Ἱπποφαές ᾧ γνάφευσι τὰ ἱμάτια. φύεται μὲν ἐν παραθαλαττίοις καὶ ἀμμώδεσι τόποις. θάμνος δὲ ἐστι φρυγανώδης, πυκνός, ἀμφιλαφής. φύλλα ἔχων μακρὰ πρὸς τὰ τῆς ἐλαίας, στενώτερα δὲ καὶ λεπτότερα, καὶ μεταξὺ ἀκάνθας ξηρὰς ὑπολεύκους, γωνιοειδεῖς ἀπὸ ἀλλήλ διεστώσας, ἄνθη κορύμβοις ἐοικότα κισσοῦ, ὡς βοτρύδια προσκείμενα ἀλλήλοις. πλὴν μικρότερα καὶ μαλακά, καὶ μετὰ τοῦ λευκοῦ φοινίσσοντα ἐκ μέρους. ῥίζα παχεῖα καὶ μαλακὴ, ὀποῦ μεστή. γευσαμένῳ πικρά; ὀπιζομένη ὥσπερ θαψία. *Hippophaë quo poliunt veſtes, naſcitur in maritimis, & ſabuloſis locis. Frutex ſucculoſus, denſus, vndique amplus, folia habens longa ſimilia Oleæ, anguſtiora, et tenuiora, & iuxta illas ſpinas aridas, ſubalbidas, anguloſas, ad inuicem diſtantes. Flores corymbis Hederæ ſimiles, velut botrilli cohærentes ad inuicem, minores tamen, & molles, & ex albo phœnicei ex parte, Radix craſſa & mollis, ſucco turgida, guſtu amara. Ex qua ſuccus eximitur vt è Thapſia* Et Plinius. *Hippophies in ſabuloſis & maritimis naſcitur, ſpinis albis, hederæ modo racemoſa eſt, candidis & ex parte rubẽtibus acinis Radix ſucco madet, qui aut per ſe cõditur aut paſtillis farina Erui.* Quibus notis quãtũ reſpõdeat plãta à nobis ꝓpoſita, ab alijs Rhamnus primus putata, Oleaſtri Germanici appellatione, ac Acinorum purgantium, ex hiſce liquebit. Non enim nos illam adhuc habere potuimus, quàm maximè videre cuperemus, vt de ea certiorem redderemus ſententiam, iccirco aliorum deſcriptionibus vſi ſumus, quibus in hanc deuenimus ſententiam. Sic enim Petrus Pena in Stirpium aduerſarijs habet. *Primus Rhamnus Italiæ, Galliæ & Hollandiæ maritimis pluribus in locis, ramoſus ab imo ſummo tenus frutex, aculeatus, ſurculis albidis, folijs anguſtioribus,*

Lib.22. c.12.

multis

multis, hærentibus Chamæleæ longioribus : iuxta alas fructu denſo, racematim aggeſto, Aſparagi, aut Agrifolij minore, ſucco flauo turgido. At doctiſſimus Gaſpar Bauhinus in Synonimis ſuis in Matthiolum, flores addidit herbaceos eſſe; atque baccas racematim cohærentes tenui & ruffeſcente, vel ex luteo rutilante cute tectas; atque ſemen intus vnicum oblongum ſplendens, tunica foris nigra, intus candida inuolutum. De radice nihil ait, Rhamnum faciens, vt alij, quam obliquam & latè ſparſam depinxerunt, nec aliam effigiẽ vidimus quamquam ab alijs depictam, niſi illam eandem in Lobelij obſeruationibus propoſitam, & ab illa exaratam quam videre poteris: qui Rhamnum primum Dioſcoridis nominat. Succum in radice, de quo nihil aſſerere nunc poſſumus, ſtudioſi qui plantam obſeruare poſſunt viuam relinquimus obſeruandum, quem ſi inuenerint, nihil obſtabit quin vera ſit Hippophaës, quod nobis communicare non dedignentur. Huius Etymon ex ἵππος, & φάως, vel φύω, quod equorum ſalus, vel lux, aut equis genita ſignificare videtur, vnde Plinius ait, *Debent accommodatæ eſſe, & equorum naturæ, neque ex alia cauſa nomen accepiſſe.* Poſſet etiam Equorum furorem ſanare, vnde etiã *Hippomanes*, appellatur, ex ἵππος, & μανία. Sed quia Dioſcorides fulloniam ſpinam eſſe ait, atque ea veſtes expoliri poſſet Etymon alia ratiooe deduci, vt ἵππο pro aduerbio accreſcentis, & ſic pro, *Valde, multum*, & φάως, pro *lumine, nitore*, ac ſplendore, ab effectu, quia, illius ſucco radicis, ſplendida, nitida, luminoſaq; lanificia & veſtes efficerentur, detergendi vi, atque amarore, acrimoniaq; . Quare forſan ex frutice contuſo & radice in pilas congeſto, ſaponis vice vſos fuiſſe priſcos veriſimile, vt de Radicula, & de Hippopheſto idem Plinius ait, *Hippophæſtum naſcitur in ſpinis, ex quibus fiunt pilæ fulloniæ.* &c. Vt de Tithymalo apud Tegæam apud Theophraſtũ legitur, optimum Hippophaës confici. Sed de his nihil affirmare poſſumus. Rhamni verò ſpeciem, illam eſſe cenſemus, quæ vulgò in maritimis Campaniæ & Apuliæ, *Spina sãcta* dicitur, cui Halimus comparatur á Dioſcoride, á Doctiſs. Carolo Cluſio, Rhamnus altera prioris ſpeciei dictus; cuius folia carnoſa albicantia, multa circa ſpinas : flores habet ſingulos aut binos oblongo tubulo emicantes, atque in ſex foliola dehiſcentes, Hyacintho æmulos, albicantes, purpurocæruleis maculis infectos. Octobri menſe florent: fructum edunt rotundum paruum Piſo parem, recto petiolo inſidentem, ex ſpina, vel ſinu illius & caulis, Aſphodelo ſimilem; ſemine intus copioſo minuto. Hoc frutice incolæ pro ſepibus, ac etiã

Deſcriptio locus.

Etymon.

Lib. 22. c. 12.

Lib. 27. c. 10.

Lib. 6. c.

Halimo

Halimo vtuntur, ſicuti in agro Romano planta illa, quam aliqui Paliurum cenſent, fructu folliculi ſpecie, aut rotulæ, qua pro pondedere in fuſis mulieres addunt, aut potius compreſſi pilei more antiqua Religioſorum; quam nos etiam tertiam Dioſcoridis ſpeciem Rhamni cenſemus eſſe cum Matthiolo; Sed hoc ab illo differimus, nam ille legit, meliorum codicum vt ait, fide: in Græco textu Dioſcoridis, vt Cornarius, Marcellus, Virgilius, & Ruellius, καρπὸς δὲ πλατύς, λευκός, λεπτός ὡς θυλακώδης. ἐοικὸς σφονδυλίῳ. *Fructus verò latus, albus, tenuis velut folliculoſus, ſimilis Sphondylio* Matthiolus verò, ex Ruellio, & Marcello Virgilio, *Fructum edit latum, candidum, tenuem, folliculari ſpecie, verticillo ſimilem, quo ſcilicet vtuntur in fuſis mulieres*: Sed eorum pace dixerimus, tàm Marc. Virgilius, quā ipſe Matthiolus illum ſequutus, noſtro iudicio hallucinari videntur, qui, *Verticillum*, contendunt interpretari non autem *Sphondylium* herbam, quæ etiam ab aliquibus, *Verticillum*, appellatur; ſed rotulam illam fuſis pondus addens, qua mulieres in initio vtuntur, vt melius circumagatur adhuc ſtamine nudus fuſus; atque de hac rotula verticillo appellata, Dioſcoridem intellexiſſe hoc loco cenſent, & illi ſimilem feciſſe Rhamni huius fructum folliculi ſpecie. Quam ſententiam haud nos recipere poſſumus, cùm potius Sphondylij ſeminis, quod aceroſum, & latum eſt, ſimilitudinem voluiſſe deſcribere Dioſcoridem cenſemus: ac præterquam σφονδυλίῳ, *Sphondylio*, non σπονδύλῳ *Verticillo* legatur, & propriè; Tenuitatis quidem nota latitudini appoſita, verbo illo, λεπτός, ac etiam θυλακώδης, *folliculari ſpecie*, , vt in alijs, minimè Verticillo ſiue rotulæ fuſorum quadrare videtur, nam Verticillus fuſo apponitur grauitatis cauſa, qui niſi craſſus præter latitudinem etiam ſit, haud vſum præbebit. Potius igitur Sphondylij ſemini aptare poſſumus, cui ſimiles Rhamni huius folliculares fructus videntur, orbiculata effigie medio carnoſa; nam & Sphondylij ſemen latum, compreſſum eſt, vt Dioſcorides ait, & aceroſum ſiue furfuroſum, vel paleare, ibi σπέρμα δὲ ἐπ' ἄκρῳ ὅμοιον σεσέλει διπλοῦν, πλατύτερον δὲ καὶ λευκότερον, καὶ ἀχυρωδέστερον, &c. *Semen verò in ſummo ſimile Seſeli, duplex, latius, & candidius, & magis aceroſum* &c. In capite verò proprio Peloponnenſis Seſelis fructum latiorem alijs deſcribit. Et in capite Cretici Seſelis, ſemen deſcribit effigie clypeoli rotundum; ſed comparatio ſeminis Sphōdylij facta Seſelis ſemini verbo comparatino ἀχυρωδέστερον, *aceroſius* referri debet poſitiuo proximiori & ſimiliori, quod Creticū Seſeli, aut Peloponnenſe erit, ſi creticum nomine Tordylij quis potius

tius

tius acceperit. Nec aliquo modo ad aliam Seſelis ſpeciem extorqueri poteſt. Atque hanc dubitationem eximemus Gentianæ ſeminis collatione, quod latum, rotundum, cartilagineum, vel furfuroſum, aut paleare, & compreſſum eſt admodum, omnibus notum, quod Dioſcorides ita deſcripſit, καρπόν δὲ ἔχον ἐν κάλυξι πλατὺν, κοῦφον, ἀχυρώδη, πρὸς τὸν τοῦ σφονδυλίου. *Semen autem habens in Calycibus, latum leuem, aceroſum, accedens ad illud Sphondylij*. Itaque verbum illud ἀχυρώδη, *aceroſum, furfuroſum, paleare*, vertendum eſſe, & ſeminis effigiem referre non eſt dubitandum, ſicut etiam in Cumino altero verti noſtro iudicio debet, atque ſimili modo eſſe Spondylij ſemen: cuius tres ſpecies obſeruauimus, de quibus aliàs Deo dante dicemus. Non negamus quidem quin Theophraſti Paliurus, quem noſtratem appellat, idem videatur frutex cum tertia Dioſcoridis Rhamni ſpecie, idem enim Theophraſtus Paliuro vulgari latum fructum tribuit, & altero Lotophagorum rotundum Cedri modo, Et alibi de Aceris ſpeciebus diſſerens, ait, *De flore autem naſci aiunt fructum haud valde oblongum, & Paliuro ſimilem, verum oblongiorem aſſignant*. Quam effigiem nedum in Acere vera, ſed Carpino, & mari Tiliæ putatæ, Theophraſti Phyliræ fœminæ ſimilem videmus, alatum ſcilicet fructum, ſiue cartilagineum folliculum, A triplicis modo & ſemine. Hippophaë vires has Dioſcorides tribuit. *Purgat bilioſa, aquoſa, & pituitoſa deorſum, ſyncerus oboli pondere: Erui farina exceptus quatuor obolorum pondere cum aqua mulſa. Sed & ipſe frutex vnà cum radicibus contunditur, & datur tritus cum aquæ mulſæ ſeſquihemina. Exprimitur etiam ex radice, & herba ſuccus, velut ex Thapſia. Sed huius drachma vna datur ad purgationes*. Plinius, *Radix ſucco madet, qui aut per ſe conditur, aut paſtillis farina Erui. Bilem detrahit obolo ponderis, ſaluberrimè cum mulſa*. Paulus Ægineta ex Dioſc. tranſcripſiſſe videtur. Ex his igitur, niſi ex hac excipi poſſit ſuccus quia lignoſa ſit radix, & dura, genuinam quis maritima loca perquirens inuenire facilius poterit.

(Margin notes: *Lib. 4. c. 4.* — *Lib. 3. c. 11* — *Vires.* — *Lib. 22. c. 12.*)

Aloë Dioſcoridis, & aliorum, atque illius ſuccum eliciendi experimentum. Cap. XI.

ALoë planta dicta, notiſſima atque vulgatiſſima omnibus ſemper fuit, vt nemo illam non agnouiſſe videatur. Qui tamen veram hanc vulgò notam eſſe contendunt, ſuccum illum Aloës nomine

mine, qui ab exteris affertur, Hepaticum, atque Socoterum dictũ, in hoc noſtro cælo ob Soli, cæliq; varietatem, atque defectum non emittere ore pleno dicunt. Quod auctoritate Dioſcoridis confirmare videntur, qui ait: γεννᾶται δὲ ἐν τῇ Ἰνδίᾳ πλείστη λιπαρά. ἐξ ἧς καὶ τὸ ὄπισμα κομίζεται. φύεται δὲ καὶ ἐν Ἀραβίᾳ, καὶ Ἀσίᾳ, καὶ ἐν τίσι παραθαλασσίοις τόποις, καὶ νήσοις, ὡς ἐν Ἄνδρῳ, οὐκ εὔχρηστος εἰς ὀπισμόν. *Naſcitur in India plurima, pinguis, ex qua etiam ſuccus affertur. Naſcitur & in Arabia, & Aſia, & in quibuſdam maritimis locis, velut Andro, non idonea ad ſuccum eliciendum.* Ac etiam Galeni: *Aloe herba,* inquit, *apud nos non admodum naſcitur, quæ verò in Syria magna prouenit, aquoſior & debilior eſt: ſiccat tamen adeò, vt vulnera glutinet. At in calidioribus regionibus, qualis eſt caua Syria, & Arabia, multò melior eſt,* &c. Hæc autem ſi in Aſia, Arabia, inſulis illis, & maritimis locis orientalibus magis temperatis, ac tepidioribus non funderet ſuccum Aloë dictum, atque eadem foret, nec nobis emittere poſſe credendum eſſet. Contrarium tamen cum viderimus, incolarum inſcitiæ tribuendum potius, quàm Soli, cæliq; varietati, defectuive cenſemus. Quod videtur verius, nam tempore Meſues ex Arabia afferebatur, vt idem refert, & ſi deterius eſſet, & forſan nec rectè incolæ exprimere ſciebant, vel maioris quæſtus gratia omnibus contuſis impurum conficiebant. Huius plantæ delineationem omittimus, cùm à Dioſcoride deſcribatur accuratè, atque vulgò ſit notiſſima: vt nec Artifex Neapoli, aut fœmella ſit, quin vnam ſaltem non habeant Aloës plantam in fictili, aut laqueari appenſam, herbæ *Noale*, ſic nomine corrupto, aut maioris Semperuiui ab effectu, nam & aëre tantùm viuit etiã appenſa. Nec illius iconem addidimus, cum ad manus florida nõ peruenerit, vt illius effigiem, flores, fructus, atque ſemina ſingillatim, vt in alijs noſtra manu delinearemus, ac etiam deſcriberemus. Succi eliciendi occaſionem atque modum à nobis inuentum, ac experientia comprobatum, nunc in medium afferemus, vt Aloën vulgò cognitam, veram eſſe teſtificetur: atque etiam ex ea, Socotero illo vulgari Officinarum Aloë præſtantiorem ſuccum elici poſſe noſtro cælo, magisq; reſpondentem ſuæ hiſtoriæ faciei, viribusque. Dum, vt cæteri dubitaremus an hæc planta, quam omnes Aloën facimus, ſuccum emitteret, qui externo Aloës dicto medicamento, ſiue concreto ſucco ſimilis concreſcere poſſet (quod omnes noſtro cælo minimè fieri poſſe cenſuerunt, atque affirmarunt) diſſecto quidem plantæ folio, atque radice concisa, nihil ſucci,

Lib. 3. c. de Aloe.

F ci,

ci, neque amari, ſed muccoſum quid, ac potius inſipidum guſtu inueniebatur: omnibus ingenij noſtri viribus conati ſumus hac de re certiores nos reddere, vt noſtram de ea in medium ſententiam afferre poſſemus. Domi igitur noſtræ, cùm plures adeſſent huius plantæ in ædis ſummo Soli, imbribusq́; aperto loco, vt moris eſt Neapolitanis ædibus: extirpatis aliquibus folijs ac experimentum tentantes, in mentem venit, idem nobis in veræ Atractylidis obſeruatione accidiſse, ſanguineumq́; ſuccum non ex carne, ſed venis exire: quapropter per obliquum folii venas inuenire auſi ſumus. Sic abrupti recenter ab radice folii ſucci parum lutei ex ſingulis venarum oris exire animaduertimus, atque deinde ſimul concurrere, guttasq́; decidere vidimus non ſine animi noſtri gaudio; atque nouitate exultantes, alia atque alia datâ operâ folia è radice extirpauimus: atque certiſſimum, ex neruulis veluti filamentis, ſiue venis intra folij carnem per longum ductis, detentum luteum ſuccum elici debere comperimus. Suppoſito deinde lato figulino vaſe vitriato multa ſupra illud ſic ab radice ſtatim auulſa folia appendimus, atque ex illis ſpontaneum ſuccum deſcendere ſinebamus, manibus poſtremò etiam deorſum verſus comprimendo folia, atque quod imis foliorum oris concreuerat radendo. Excepto itaque ex pluribus folijs copioſo ſucco, vas illud tribus diebus Soli expoſuimus, ex circumferentia vaſis quotidie quod hærebat durius [ſtatim enim quod paucum eſt concreſcit] cum liquidiore commixto: idq́; pluries in die fecimus, noctuq́; repoſito vaſe, concretum poſtridie ſuccum omnem, atque friabilem effectum habuimus. Color ex citrino, cum concreſcere incipit ruffeſcit, atque concretus magis nigricat, & obſcurè parum rubentem acquirit colorem concreti ſanguinis modo, vel potius Hepati ſimillimus, trãſlucidus, læuis, odore graui aromatico, ſapore amaro admodum, ac abhorrendo; & mirum quod manu tantùm attrectanti odore, atque illius vapore, vt ita dicamus, inficiatur aër, atque guttur amarum reddatur. In puluerem, vt Dioſcorides notat, digitis cõfricatus ſuccus, qui probè fuerit areſactus, ad minimum vſque ramentum facilè reducitur: & aqua infuſa ſtatim liqueſcit, diſſoluitur, atque citrino euadit colore, eo quo ante concretionem modo fuit. His gaudens, fruſtulum [binas enim conchas tunc plenas habuimus] amicis pharmacopæis oſtendimus, ſi noſcerent, atque vt cum illorum Succotrino, corruptè à Soccotero compararent. Quod etiam præſtare videbatur, colore magis rubente Hepati ſimilio-

milio-

miliore, odoris grauis aromatici vehementia, amarore, leuitate, ac ſubſtantiæ tenuitate, fragilitate, ac faciliore diſſolutione tàm digitis tritum, quàm aqua madefactum. Multis quidem amicis communicare tunc viſum fuit, at nunc omnibus, quibus hæc in manus peruenerint, vt quod nos ſedulitate acquiſiuimus, ſine labore cæteri habeant certiores poſthac de illius veritate à nobis edocti. Qui verò copioſum ſuccum elicere voluerit, turgeſcente planta Vere hoc faciat, non Æſtate, vt nos fecimus, verùm nigrior euadet, non tamen vt vulgaris terreus, Hepaticus dictus, quem gummi, alijsq; rebus adulteratum eſſe animaduertimus diſſolutione: non enim aqua è vini ſpiritu educta, niſi præſtantiſſima, quæ phlegmate careat diſſoluitur, nec niſi mortario contuſus, aut molitus; quod nos in condiendis animalibus, ſtudij, ac memoriæ, obſeruationiſq; cauſa retinendis experti ſumus. Secus autem noſtro modo excepto erit, nullam etiam ſi adhibeas diligentiam in excipiendo, tempore, atque ſiccando: non enim ita niger, nec dẽſus, nec ponderoſus, ſed leuior, ruffior, fragilior, & aqua ſimplici diluetur, facillimèq; manibus preſſo in puluerem impalpabilem reddetur. Æſtiuo verò tempore, & pauco ſingulis vaſculis excepto, tunc enim Sole concoctior & ſpiſſior ſuccus, ſtatim ceræ modo concreſcet, quo poſtea ex omnibus antequam in totum ſicceſcat commixto glebam confice, habebiſq; pellucidam nec nimis ſaturo colore; atque quò minus ſucci in vaſculis effundes, pulchrior euadet, quia ſtatim concreſcit, eritq; præſtantiſſimum colore atque læuitate. Hæc poſt annum editionis Phytobaſani noſtri obſeruauimus. In medicinæ vſum experientia nouimus omnimodo valere, intrò ſumptum nobis ipſis pilulas purgandi occaſione ex noſtro Aloë componere fecimus. Extrinſecus verò vulneribus, vlceribusq; efficacem eſſe alijs dono datum experimento aſſeruerunt. Atque ſic omnes notas, atque dotes à Dioſcoride traditas habere comperies, qui ait: *Duplex ſucci genus eſt, alterum arenoſum, quod puriſſimæ fex eſſe videtur: alterum iocinoris ſpeciem præfert. Elige puram, non adulteratam, calculorum exortem, ſplendentem, ſubflauam. friabilem, iocinoris ſpeciem præferentem, facilè liqueſcentem, amaritudinis intenſæ. Reproba contra nigrã, & quæ ægrè frangitur. Adulterant ipſam gummi, quod depræbenditur guſtu, & amaritudine, & odoris vehementia, & quod non diſſoluitur ad minimum vſque ramentum, dum digitis atteritur: quidam etiam Acaciam ammiſcent.* Meſue verò habet: *Aloë Suc-* *Lib. 3. c. de Aloe.*

F 2 cutri-

cutrinum melius, poſt Perſicum, deinde Armeniacum, deterius Arabicum. Probatio, ſit coloris citrini declinantis ad rubedinem, in qua ſit claritas, ſapor ex dulci amarus: ſit leue pondere, quanto leuius melius; ſit friabile: quanto ab his conditionibus abeſt, deterius eſt. Tempore denigratur. Auicenna verò: *Aloës eſt ſuccus congelatus inter rubedinem & citrinitatem exiſtens, & eius aliud eſt Succutrinum, aliud Arabicum, & aliud Semegenium: & dixerunt quidam, quod eius planta eſt ſicut planta Enulæ, ſed non eſt ita. Electio, illud quod melius eſt, eſt Succutrinum, cuius aqua eſt ſicut aqua Croci, & odor eius ſicut odor Mirrhæ, ſplendidum, frangibile, mundum à Gypſo. Et Arabicum eſt minus eo in citrinitate, & ponderoſitate, & in ſplendore, & viſcoſum eius eſt illud, quod dureſcit. Et Alſemegenium eſt fœtidi odoris coopertum, paruæ citrinitatis, cui non eſt ſplendor. Cumq; Aloës antiquatur ſit nigrior.* His notis omnibus reſpondet ita exceptus, vt ſupra oſtendimus ex Aloë ſuccus, omni extero præferendus, nulloq; adulterio corruptus: quod etiam in illo pellucido extero ex his ineſſe percipietur: non enim rubeſcit aliquando, & vt maximè ſit pellucidus gũmi adulteratur, quod in confricando digitis facta collatione deprehendere quiſque poterit, ſi pro vſu aut delectatione ſibi eo modo, vt diximus, comparauerit: non enim in illo quid arenoſum, vt lotione opus ſit, reperietur; ſicuti de vulgari dicitur. Hic enim purus, ac veluti lacryma cenſendus. Modum etiam eliciendi ſuccũ hunc tradidit Plinius, de ea agens his verbis: *Quidam & caulem ante maturitatem ſeminis incidunt ſucci gratia, aliqui & folia. Inuenitur & per ſe lacryma adhærens. Ergo pauimentandum vbi ſata ſit, cenſent; vt lacryma non abſorbeatur. Fuere qui traderent in Iudæa ſuper Hieroſolymam metallicam illius naturam: ſed nulla magis improba eſt, neque alia nigrior eſt, aut humidior. Erit ergo optima pinguis ac nitida, ruffi coloris, friabilis, ac iocinoris modo coacta, facilè liqueſcens: Improbanda nigra & dura, arenoſa quoque, quæ & guſtu intelligitur. Gummi adulteratur & Acacia* Aloën in Aſia ad vulnera tantùm glutinanda vti incolas idem refert, mirificè quidem glutinare ait folijs recentibus vel ſucco, quapropter in turbinibus cadorum eam ibi ſeri vt maius Aizoũ. Et nos famuli cuiuſdam fratris noſtri manus volæ cultelli acie obliquè ſauciatæ, ita vt nerui omnes apparerent albicantes recentis folij fruſtrum cute ab vna parte detracto imponi, & parum ſucci iuſſimus: nec alia medicina vſus; paucis poſt diebus agglutinatam inuenit.

Lib 2. tract 2. de Aloe.

Lib. 27. c. 4

Inuenit. Herba igitur eſt admodum medicamentoſa, atque vtilis inter cætera remedia nullam corpori noxam afferens, vt de ea teſtatur Dioſcorides, & alij poſt illum, apud quos breuitatis ergo Lectores remittimus. Aloë autem dicta videtur, quia maritimis gaudet ἁλὸς maris vertitur, & quia ſemper viret, numquam folia demittens Semperuiui etiam nomen eſt adepta, appellaturq; à Recentioribus marinum Semperuiuum. Amphibia planta eſt, quia in terra ſata, & appenſa aëre viuit. Differt ab hac Americana illa planta Aloës facie maxima arboris inſtar cauleſcens tota natura, nec ab illa ſuccum hepaticum expectes. De qua recentiores vide.

Etymon.

Nomina.

Ceanothos Theophraſti. Cap. XII.

CEanothos Cardui ſpecies à Theophraſto tantùm obiter memoratur inter plantas, quæ radice per terram Graminis modo repente, plura ſurſum germina, vel ſoboles emittat, non quidē vt Graminis radice ſit geniculis diſtincta, vel arundinoſa. Quare ex his conijciendum an ex Carduorum genere radix aliqua eiuſdem ſit naturæ, quippe quæ non minus ac Gramen per humum reptet, non geniculata nec arundinoſa pluribus locis exurgat pullulans, plantaſq; plures producat. Præterea an ex nominis Etymo aliquid notionis excipere poſſimus. Et quidem ſi Græci nominis κεάνωθος deriuationem perpendamus, nihil aliud exprimere noſtrâ ſententia videbitur, niſi eandem ſupradictæ radicis naturam: ſcindit quidem repens humum, nec ei refragari poſſe videtur, quin illam infringens permeet vndique, vt obſeruauimus, quare ἀπὸ τοῦ κεάζω, & ὠθέω, vel ὠθέομαι dictum cenſemus; quod eſt diuido, ſcindo, irrumpo, adigo. nec aliquid amplius de ea vnquam legiſſe meminimus. Theophraſti verba ſunt, ἀτάκτος δὲ καὶ ἡ ἄκανθα κεάνωθος, ἀλλ' οὐ καλαμώδης. οὐ δὲ γονατώδης ἡ ῥίζα ταύτης. *Huiuſmodi verò eſt etiam ſpina Ceanothos, verùm non arundinoſa, neque geniculata radix huius.* Huius naturæ Carduus eſt ille agris, vineiſq; infeſtus, Romæ ac Zagarolæ, ac vbique non nimis ſpinoſus, folijs primùm tenuibus oblongis oleæ paribus, carnoſis hirſutis mollibus, exiguis ſpinulis circum aſpera, deinde alternatim per caulem maioribus ſubſequentibus, ſinuoſis, maioribus aculeis armatis, vt in caulis medio latiora longiora omnibus hæreant, magiſq; profundè ſinuoſa, & laciniata ſint pratenſis Cardui dicti, vel Senecionis ritu, laci-

Lib 4. c. 11

Nominis etymon.

Deſcriptio

nia-



Cnicus arvensis Sm.
Serratula arvensis, L.
Sm. fl. B. 847

niarumq́; neruuli maioribus, longioribusq́; ſpinis rigeant; parum quidem ob foliorum mollitiem pungentibus: decreſcunt à medio ad ſummum iterum, virgellas aliquot poſtremò emittentia, in quibus capitula inſint ſquamis compacta, parua, capillaribus tenuibus, mollibusq́; ex albo purpurocæruleis floribus denſis villoſa, iucundè olentibus Æſtate: quibus marceſcentibus copioſum ſuccreſcit pappum candicans oblongum admodum in auram cum ſeminibus ſubſidentibus euolans, illisq; tenuibus oblongis. Caulis ex rotundo anguloſus, hirſutus cubitalis purpuraſcens. Radix candicans odore ac ſapore Stellariæ vulgaris, aut Iaceæ dictæ, cortice tenui obducta, medulla lignoſa, fibris plurimis villoſa, oblongis tenuibus obliquis; ipſa verò parùm recta deſcendit, deinde in ramos ſe diuidit, atque repens diuagatur, vt ſemel ſata vix vnquã emori poſſit, ſi anni tempore dimittatur, totum implens locum. Hanc aliqui *Stoppone* denominant, quia veluti ſtuppa cano pappo abundet, agrosq; impleat. Eiuſmodi etiam naturæ ſpina illa eſt Drypis à Recentioribus putata, & ab Anguillara deſcripta, quam fortè quis accipere pro Ceanotho ſi maluerit non refragabimur, donec illam obſeruauerimus. An autem quam ſupra deſcripſimus plantam, eadem ſit quæ *Aſtone* dici à Patauinis aſſerit Anguillara, qui illam ex ijſdem locis habuerit, dijudicabit. *Sapor.*

Polium Theophraſti, Dioſcoridis, Plinij, & aliorum. *Cap. XIII.*

SATIS crinitam foliorum huius plantæ comam, atque canam declarat Polij nomen. Canum enim πολιὸν Græcis eſt. De qua Plinius inquit, *Polium, quidam Teuthrion vocant. Folia canis hominis ſimilia.* Ex quibus verbis colligere licebit, Polij folia crinitum, hominisq́; canum caput repræſentare, quod eleganter exprimere videtur totius plantæ orbiculata coma. Dioſcorides verò non ad foliorum reſpexit effigiem canam, ſed floris capitello canitiem tribuit: quod & ſi referri poſſit illi, quia magis quidem in folijs canities exprimitur, atque diuiſura, nedum colore [quælibet enim incana planta aliàs Polium diceretur] ab illis deductum opinamur cum Plinio nomen eſſe Polij. Quam Etymi vim ſi Plinius conſideraſſet, non hanc eandem cum Tripolio ab aliquibus cenſeri retuliſſet, cum de Tripolio loquutus eſſet, hæc ſubiungens: *Hæc herba eadem videtur quibuſdam quæ Polium, de qua ſuo lo-*

Etymon. *Lib. 21. c. 7* *Lib. 26. c. 7* *Lib. 21. cap. 20. & Lib. 21. c. 7*

co

eo diximus. Nec idem cum Tripolio aliâs confudiſset nomine, notis, ac viribus commixtis. Non mirum igitur ſi Recentiores alij minimè reſpondentes plantas depinxêre, Dioſcoridis forſan tantùm notas proſequuti. Qui etſi plantæ huius reliquas tradat, foliorum verò nullam: iccirco verum Polium non mirum ſi adhuc incognitum eſse comperimus. At ſi Theophraſti notas Polij folijs attributas, reliqua plantæ ſigna, & naturam conſideraſsent, ac denique poſtremam Auicennæ deſcriptionem, & ſi Arabis, Barbariq; Scriptoris, cuius nec fidam habemus interpretationem, haud profectò aliquam ex vulgatis plantis recepiſſent, ſed in aliam ſententiam incidiſsent. Nunc autem quid de Polio ſentiamus declarabimus. Huius plantæ ſigna ex antiquorum placitis collecta hæc erunt. Quia Polium dicitur, folia cana debet habere, vt ſupra diximus ex nominis Etymo: & quia ſeneſcentis hominis canis capillis à Plinio ſimilia eſse dicuntur, crinita folia, τριχόφυλλα ſcilicet eſse debent, atque candida, vt hominis caput canum repræſentare poſſint; effigiem, atque colorem referentia. Quod autem huius plantæ folia teretia, oblonga, tenuia, carnoſa ſint; vt ex capillarium genere, vel vermiculatarum cenſeri poſſint, vt Aſparagi, Myachanthæ, Vermiculariæ, Semperuiui, Sparti, Iunci, & ſimilium, quorum folia non in latitudinem, ſed rotunditatem craſſantur, Theophraſti vtimur auctoritate, qui Polij folia inter ea, quæ carnoſa, oblonga parum, teretia, vermiculataq; folia gerunt, de

Lib.1.c.16 foliorum diuerſitate differens, enumerauit his verbis: τὰ δ' οἷον σαρκόφυλλα (τοῦτο δ' ὅτι σαρκῶδες ἔχουσι τὸ φύλλον) οἷον κυπάριττος, μυρίκη μηλέα. τῶν δὲ φρυγανικῶν, κνέωρος, στοιβή. καὶ τῶν ποωδῶν, ἀείζωον, πόλιον. τοῦτο δὲ καὶ πρὸς τοὺς σῆτας τοὺς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθόν. τὰ γὰρ αὖ τῶν τεύτλων ἢ ῥαφάνων, ἄλλον τρόπον σαρκώδη, καὶ τὰ τῶν πηγανίων καλουμένων, ἐν πλάτει γάρ, καὶ οὐκ ἐν στρογγυλότητι, τὸ σαρκῶδες καὶ τῶν θαμνωδῶν, δὲ μυρίκη, σαρκῶδες τὸ φύλλον ἔχει. *Quæ verò velut pinguifolia (illud velut pulposũ habet foliũ) ſicut Cupreßus, Myrica, Melea. Ex fruticũ, Cneorus, Stæbe. Herbarum verò, Semperuiuũ, Poliũ. Quod quidem & contra tineas, veſtibus interpoſitum eſt vtile. Nam Betarum, & Braſſicarum alio modo carnoſa, ac etiam Rutularum, in latitudinem quidem, non autem in rotunditatem illud carnoſum. Sed & fruticum Myrica pulpoſum folium habet.* Ex quibus clarè conſtat Polij folia, carnoſa, pinguia, vel pulpoſa

Lib.7.cap. vlt de hiſt. plant. oblonga Semperuiui a Theophraſto deſcripti, Vermiculariæ ſcilicet modo, inter herbas; inter Arbores verò Cupreſſi & Myricæ, &c. Adde vt ſemper vireat, ex eodem Theophraſto de tempore

germi-

germinatus herbarum loquens, qui ait, καὶ ἀείφυλλα τῶν τούτων ἐστὶν ἔνια καθάπερ τὸ πόλιον, καὶ τὸ ἡλιοτρόπιον, καὶ τὸ ἀδίαντον. *Et ſemperuirentia ex his quædam ſunt, veluti Polium, Heliotropium, & Adiantum.* Lib. 7. c.10.

Adde protinus ex radice prodeuntia nunquam palmo altiora] ex Plinio, Et frutex dodrantalis ex Dioſcoride. Cuius delineatio hæc eſt. Πόλιον, θαμνίον δέ ἐστι λεπτὸν, λευκὸν, σπιθαμιαῖον. καρποῦ πλῆρες, ἔχον κεφάλιον ἐπ' ἄκρου κορυμβοειδὲς μικρὸν, ὡς πολιὰν θρίχα, βαρύοσμον μετὰ ποσῆς εὐωδίας. τὸ δ' ἕτερον θαμνωδέστερον. οὐχ οὕτως εὔτονον τῇ ὀσμῇ καὶ ἀδρανέστερον κατὰ τὴν δύναμιν. *Polium frutex eſt paruus, albus, dodrantalis, fructu plenus; habet capitulum in ſummo corymbi modo paruum, vt canum capillum, graue olens cum quadam ſuauitate. Alterum fruticoſius, non ita validi odoris, & viribus inefficacius.* Plinius verò ſic habet, *Duo genera eius, campeſtre maius, ſylueſtre quod minus eſt, Quidam Teuthrion vocant. Folia canis hominis ſimilia, à radice protinus, nunquam palmo altiora.* Effigie verò Thymi regerminantia Vere, vel Autumno potius folia magnitudine & poſitu repreſentantia: tunc enim breuia & paria ſunt atque denſa, vt in Capitato verò Thymo Apuliæ frequentiſsimo ſæpius obſeruauimus. Plinius Polij vires perſequutus, ex Muſei & Heſiodi ſcriptis ſubiunxit: *Hi, & folia eius Thymo ſimilia tradunt, niſi quod molliora ſunt, & lanatiore canitie.* Præter ſupradicta adde, vt ſit amarum, acre, odoratū, ad Abſynthij ſaporē, & odorē accedēs, ita vt ex Abſynthiorū genere putandū ſit, quemadmodum ab Auicenna refertur, qui Polium Abſynthij ſpeciem eſſe tradit his verbis, vt in vulgata interpretatione. *Polium eſt ſpecies de Sceba,* ſed Abſynthium quòd vulgò Romanum dicitur, Sceha Romanum, appellari tradit, ſicuti & Marinum. Atque ita, vt idem Auicenna pro Abſynthij penuria, eius loco Polium ſubſtituat ibi, *Loco eius .ſ. Abſynthij, ponitur, Polium, aut Sceba armenum* &c. Adde vt flores ſint capitati, rotundi, ſupra virgas nudas, rectas thyrſi ſpecie, vt idem Auicenna refert in capite de Polio his verbis, *Et ſunt in eo thyrſi, & flores piloſi, decliues ad citrinitatem, vſque ad menſuram palmi; plenum ſemine; Et eius caput eſt ſicut ſphæra, in quo ſunt pili albi grauis odoris cum quadam aromaticitate.* His notis omnibus nulla magis reſpondere videtur, quàm ea quæ pro Abrotoni fœminæ ſpecie, vel Seriphij ab Herbarijs & recentioribus agnoſcitur; qua ratione non inuenimus: nunc autem ni fallimur pro veriore Polio agnoſcenda. Hæc oritur in montanis locis ſiccis calidis, alba radice longa fibris diuiſa, ex qua numeroſi exeunt ſurculi dodrantales quibus fruticat ſemper

Lib. 21. c. 7. — *Lib. 21. c. 7.* — *Lib. 21. c.20.* — *Lib. 2. tr. 2 c. de Polio.* — *Lib. 2. tr. 2. cap. de Abſynt.* — *Ibidem. Lib. 2. tr. 2.* — *Deſcriptio*

G virens,

Mo. Bot. Garden, 1893

virens, folijs onuſti crebribus incanis, lanoſis mollibus carnoſis, teretibus, breuibus admodum, vermiculati minimi Semperuiui tenuioribus admodum, quaterno diſpoſitis ordine, ſed illis imparibus numero, (quadam cum folijs Cupreſſi illis tributa ſimilitudine, vt illam Chamæcypariſſum Plinij cenſuerint.) grauiter, ſed iucundius olentibus vulgari Abſynthio, quemadmodum & illius flores & capitula copioſo ſemine referta; vt à Pena & Lobellio illam, vel congenerem Seriphium Abſynthium eſſe ſtatuerit, infirmis noſtro iudicio rationibus. Foliola illa, ſiue lobuli vermiculati quadrantalibus pedicellis hærentia, quatuor angulos conſtituentia, nouella Thymi folia iterum Vere, aut Autumno regerminantia, & ſurculis lignoſis hærentia repreſentant; cuius folia per quam minuta tunc temporis eodem ferè modo ramulos veſtiunt cruciato, densè congeſta; adeò plantæ à nobis deſcriptæ ſimilia, vt præter canitiem, nulli plantæ verius æquiparari poſſint, toto ſtirpium genere perquiſito, quàm Thymo capitato; quo tota Apulia in ſterilibus locis ſcatet. Et Plinius Muſæi & Heſiodi auctoritate refert, vt ſupra diximus. Atque ita ſimilia ſunt huiuſmodi folia Thymo veriori, vt ob ſimilitudinem & affinitatem cum illis, etiamnum ab Hiſpanis Caſtella vetere oriundis Thymum caninum hęc nuncupetur, & vernacula eorum lingua, *Tomillo perruno*, quemadmodum Doctiſs. & Clariſs. Carolus Cluſius in ſua hiſtoria refert, eiuſdemq; plantæ ſex deſcribit varietates. Huius Plantæ orbiculata foliorum coma, antequam flores emittat, humum operit, & orbiculatum caput atque canum repreſentare videtur lobulis illis, ſiue incanis foliolis, hominis cana referentibus, vt Plinius ait; Polijq; nomen merentibus. At non minus, vt Dioſcorides ait, capitellis paruis rotundis, incanâ hirſutie oblitis, corymbos imitantibus antequam in flores dehiſcant, tunc enim canam vndique comam habent, & πολιὰν τρίχα imitantur, quamuis verba illa non minus ad totum fruticē referri debeant, quem in initio λευκὸν appellauit vt infra dicemus. Non autem vt Quatramius ille, non percipiens ſenſum Dioſcoridis Latinè verſum, nec Græcè legens, in Matthiolum, eiuſque ſectatores inſurgens, italicè ait: *Nec animaduertunt illorum plantas non habere corymbos paruis pilis refertos canis hominis ſimiles ut vult Dioſcorides; at candidis floribus refertas ſpicas vice capitulorum; doceant quæſo vbi ſunt corymbi pilis referti?* Sed ipſe non perpendit, vel potius non percepit, verbum illud, μικρὸν *paruum*, non ad capillum, ſed ad capitellum referri, in vulgatis Latinis commate diſtinguitur, quod

Lib. 1. hiſt. rar. Plāt.

In Tract. de Ther. c. d. ...

quod ipſe coniunxit ſequentibus: Vel non vidit Marcelli Virgilij Latinam interpretationem, qui ne ambiguitatem inferret, poſt verba, *Capitulum paruum*, non dixit, *velut canum capillum*, vt Græcè ad literam ſonant; verùm diſtinctius, *cano hominis capillo ſimile*. In Græco textu verbũ illud, *paruum* μικρὸν, adiectiuũ eſt verbi κεφάλιον neutri generis: nec vllo pacto ad capillum canum referri poteſt. Poſſet quidem & melius ad fruticem ipſum *Polium* πόλιον, & ſic ad folia ipſa, quæ Plinio teſte canis hominis ſimilia eſſe debent; & Dioſcorides λευκὸν *album* appellauit fruticem ipſum, cui comparatio, ὡς πολιὰν τρίχα referri deberet, potius quàm capitello. Alias quidem incongrua canitiei comparatio nobis videtur, & mutila oratio: textusq; diminutus vel deprauatus. Græcè quidem πολιὰν τρύχα dicitur fœmini ſexus. Dioſcoridis igitur Græca verba hic inſeremus, ne vt Quatramius fecit, noſtro marte illa extorquere videamur. ἔχον κεφάλιον ἐπ' ἄκρυ κορυμβοειδὲς μικρόν, ὡς πολιὰν τρύχα. *Habens capitellũ in sũmo corymbi figura paruũ, veluti canum capillum*, Verba hæc, *veluti canũ capillũ*, nullum habere ſenſum videntur hoc loco, niſi ad verbum illud λευκὸν, *albus*, quamuis remotum referantur; quemadmodum & ſequentia, *grauè olens cum quadam ſuauitate*: quæ ad totum fruticem pertinere videntur. Patet id ex ijs quæ ſequuntur: *Alterum fruticoſius, non ita validi odoris, & uiribus inefficacius*: Verba hæc, *non ita validi odoris, & viribus ineffieacius*, iam ſatis declarant de vniuerſo frutice loqui, non de capitulo; nec comparatio, *non ita validi odoris*, reſponderet congruè ſupradictis, niſi de toto etiam ſupra verbis, *grauè olens*, &c. intellexiſſet: quibus etiam hæreant illa, ὡς πολιὰν τρύχα, relata, verbo λευκόν, quod ibi deeſſe videtur. Æſtate verò virgellas in ſummo nudas profert longas rectas tenues, thyrſi ſpecie, [at quid pro thyrſo debeat intelligi, diximus in Aliſmate.] in quorum ſummo parua capitula ſingula ſingulis virgellis inſunt rotunda velut corymbum, vt Dioſcorides requirit, ſingulari numero κεφάλιον; non plura, vt in Vulgato: foliolis ſine ſquamulis compacta, hirſuta incana, corymbis Abſynthij æmula, verùm maiora: flores deinde hiantia oſtendunt minutos denſos, capillares, ex albo pallentes vt in Auicenna legitur, vel luteſcentes, aut ex pallido albicantes, variant quidem, & de his nihil Dioſcorides tradidit, capitula tantùm, nec floreſcentia dixit, ſatis forſan ratus expreſſiſſe pro plantæ cognitione. Singulis floſculis illis, non minus vt in Abſynthio Chamæmelo, & Carduis ſingula ſemina ſubſunt Autumno parua, copioſa, amara, odorata, vt tota *Tempus.*

planta; Abſynthio gratiorem, &ſi parum grauem, odorem reddit. Hyeme folia non pereunt, quapropter ex ſemper frondentibus eſſe conſtat; Infeſtantur verò à vermiculis quibuſdam nigris, vel potius pediculis humentibus locis ſata, vel Autumno, quod vitiū à Theophraſto etiam recenſetur. Eſt & altera ſpecies maior fruticoſior, maioribus folijs luteo vmbone in capitibus apparente cum dehiſcunt, quam vulgò, Herba di ſanta Maria noſtrates appellāt, magis nota; Eſt & altera, non ita incana, minutioribus folijs, flore ex pallido candicante, omnes ab Herbarijs pro fœmina Abrotono vſurpatæ. Huius etiam ſpecies ſex à Ioanne Mutono cultæ, atque ab ipſo Lobellio & Pena obſeruatæ traduntur; quorum folia aliquando degenerare obſeruaſſe, atque latiora, longioraq; fieri linariæ aut Paſſerinæ dictæ folijs ſimilia; Sed horum aliquæ canitiem cultu relinquere, atque viridiorem colorem induere ob humoris copiam & locum referunt, & vidimus, in tertia. Harum maior non ita validi odoris ſed fruticoſior, & amarior, vt Dioſcorides refert. *Fruticoſius alterum genus, non ita validi odoris, atque viribus inefficacius.* Auicenna verò ait, *Maius eſt debilius, quod etiam eſt amarum, & in ipſo eſt acuitas quadam. Et montanum eſt minus. & calidius; & eſt calidum, in tertio, ſiccum in ſecundo. Maius calidum & ſiccum in ſecundo.* Galenus verò tamquam de vno genere Polij loquens, ait, *Polium guſtu amarum, & moderatè acre, ex tertio ordine ſiccantium, & ſecundo completo calefacientium.* Ob amarorem itaq; veſtibus interponitur contra tineas vt diximus ex Theophraſto, nō ſecus de Abſynthio refert Dioſcorides & vulgaris eſt vſus; quod etiam Plinius ſicuti de Saliunca refert fieri de Polio etiam. Recentiores verò muliercularum experimento huius ſemine quotidie vtuntur ad lumbricos necandos, ſeminis Sancti dicti vice. Atque hac de cauſa Lobellius confirmare videtur non ſine ratione Abrotonum fœminam putari, candidiorem lanatioremq; Seriphium verum putat. Nos autem ijſdem viribus & eorum experimento edocti, certioreq; inſuper delineatione relata ex antiquorum placitis, illiq; magis reſpondente propoſita planta, ni fallimur, illius atque reliquorum de Abrotono & congenere Seriphio planta firmioribus rationibus opinionem refellere nitemur. Marini quidem Abſynthij ſiue Seriphij effigiem non aliam, quàm ipſius vulgaris terreſtris eſſe debere primùm è nomine conſtat, atque ab illo natali tantùm loco variare, ex quo nomen habuit ad differentiam terreſtris. Altera verò ratio ſit, nam illud Dioſcorides &ſi terreſtri

(Lib. 1. c. 9. — margin note beside "pediculis humentibus")

(Lib. 21. c. 7. — margin note beside "tiores verò")

Abſyn-

Abſynthio non fecerit ſimile cum eſſet ; vt certiorem atque propriorem plantæ habitum atque effigiem exprimeret, qua præter natalem locum differebat,ob illorum tenuiorem diuiſuram,Abrotono paruo ſimile fecit;& in capite de Abrotonis,fœminę Abrotoni folia Seriphio comparauit,tenui ſciſſura Seriphij,ibi λεπτοσχιδῆ ὥσπερ σερίφιν. quamuis Abrotonon fœmina arboreſcere referatur ab eodem Dioſcoride,& Abrotonon mas ſarmentoſum & paruo ſemine Abſynthij. At quia paruum Abrotonum non expreſſit de quo genere,& aliqui putent de mare eſſe intelligendum, nos quidem vtrique ſimile facimus tam adhuc paruis quàm ſemine prægnantibus, quamuis Abrotono vulgari quod pro mare accipitur admodum ſint reſpondentia:antequam in flores abeat tunc latiore diuiſura conſpiciuntur,& marino Abſynthio vulgari ſimilia; ſed & floreſcentes vtræque plantæ etiam ſimiles tenuiore foliorum ſciſſura videntur, nam & Abſynthij folia circa flores admodum etiam tenui ſciſſura euadunt lignoſiore caule. Nec aliam foliorum effigiem in fœmina eſſe à mare Abrotono diuerſam cenſemus,cum ab Antiquioribus hoc minimè deſcribatur,ſed magnitudine tantùm forſan diſtare quod loci varietate poſſet euenire, & cultu ; vt in Vulgari mare Abrotono obſeruauimus ; cuius ſpecies eſt humilis tenuiſq; ſarmēti, bipedalis ad ſummum,vt Æqui colorum montibus,vbi copioſè ſpontè fruticat. Eandem cultam in hortis Campoclari vidimus hominis ferè proceritatem adæquantem, craſſo rectoq; caule fruticoſiore.Hanc autem ſententiam adiuuare videtur,nulla viriū diuerſitas ab Antiquis memorata,quod mirum nobis videtur,cum alterum Campeſtre, alterum verò montanum etiam à Plinio ſicuti Polium,tradatur;Et ſi illius argumento vti volumus, noſtram ſententiam profectò probatam eſſe dicemus. Ille quidem ſic de Abrotono inquit, *Abrotonon duorum traditur generum, Campeſtre ac montanum. Hoc fœminam,illud marem intelligi volumus.* Sed montanum Abrotonum Plinio fœmina appellatur,& montanum Abrotonum illud eſt quod vulgò pro mare accipitur, Dioſcorides verò Seriphium ſimile folijs Abrotono fœminæ tradidit,ergò ſi montanum Abrotonum,eſſet Abrotonum fœmina Dioſcoridis, quod nos Equicolis paruum,& cultum prægrādè vidimus vtſupra retulimus, & Seriphium folijs eſt ſimile Abrotono fœminæ,proculdubio concludetur Abſynthium marinum ſiue Seriphium, non aliud eſſe, quàm quod vulgò pro Abſynthio accipitur,& vtuntur ; multiſciſſo incano folio, lignoſo caudice in montibus & ſcopulis maritimis Lib.21. t.21.

Nea-


Polium Theophraſti et Dioſc. et Arabū: vermiculato fol.
Abrotonum mas incan.

Neapoli frequentiſſimum, & afflatis locis vt Romæ ruinis omnibus innaſcens, atque in ſterilibus Apuliæ locis, vt ad ſæpes vtantur cum Halymo & Rhamno hortorum marginibus Cirinolæ. Abrotoni ſpeciem aliam viribus parem, fruticoſiorem, minorem, magis incanam, tenuioribus admodum folijs odore acribus & ſapore, eadem foliorum diuiſura cultam vidimus in horto Collegij Romani Ieſuitarum, cuius natalem locum ignorantes, non poſſumus an mari, vel fœminæ Abrotono reddere; maritimam propter incanum colorem maiorem, eſſe putamus, ac propter breuitatem mari accedere cenſemus: de Fœmina Abrotono quid nunc ſtatuamus nihil certi aſſerere poſſumus, ſi non eſt vulgatum mas abrotonum montanum noſtras, niſi Siculam ſpecie videamus: quamuis inefficacem illam maritimam maximam ſpeciem ad Artemiſiæ leptophyllæ hiſtoriam accedentem ſupponant aliqui, folijs etiam ſupradictis maioribus duplò. Quare Penæ & Lobellij Seriphium putatum diſſimile folijs erit à vero Abrotono, cum Abrotonum ſeriphij folijs eſſe, à Dioſcoride clarè tradatur. Addemus Galeni teſtimonium, qui ait: *Seriphium ſimile eſt Abſynthio, & ſpecie, & ſapore*: Sed quæ ſimilitudo foliorum vermicularium cum Abſynthio? proſequitur etiam & ait, *Differt tamen guſtu quidem, quod non ſimiliter vt illud adſtringit, & magis calefacit, atque cum ſalſedine quadam amarum eſt.* Sed ex Plinio clarius apparet, qui de Abſynthij terreſtris generibus ſupra locutus, ſubiungit; marinum Abſynthium ſiue ſeriphium deſcribens, *anguſtius priore, minusq́; amarum* His igitur Penæ Lobellijq́; Seriphium putatum, atque vulgò putatum & receptum Abrotonum fœminam longius à veritate abeſſe conſtat: & veriùs Polium repræſentare facie viribusque: Similes quodammodo vires habere cernuntur, Abſynthium, Seriphium, Polium, & Abrotonum, niſi calidius eſſet Abrotonum, & quod notat Theophraſtus, & ab alijs differt, acri admodum odore præter ſaporem, qua etiam ratione, nec vulgare Abrotonum fœmina, poterat Abrotonum cenſeri. Polij vires ex Dioſcoride ſunt, *Decoctum ipſorum potum commorſis à beſtijs venenatis auxiliari poteſt. Hydropicis, & morbo regio. Splenicis autem cum aceto. Inducit & capitis dolorem, & ſtomacho incommodum eſt. Ducit quoque aluum & menſes. Quin & ſubſtratum, & ſuffitum venenatas beſtias fugat. Idem impoſitum vulnera glutinat.* Galenus verò. *Polium guſtu amarum, & moderatè acre eſſe dicit, vt ſit ex tertio ordine ſiccantium, & ex ſecundo calefacientium completo.* Plinius verò præter ea quæ de Muſeo & Heſio-

Lib. 21. c. 20.

Lib. 27. c. 7

do retulit, *Polio Muſeus & Heſiodus perungi iubent dignationis gratia: gloriæq; auidos polium tractare:colere: Polium contra ſerpentes ſubſternitur,vel portatur. Medici in vino decoquunt recens vel aridum illinuntq; vel ſplenicis propinant ex aceto. Morbo regio in vino.Et hydropicis incipientibus in vino decoctum. Vulneribus quoque ſic illiniunt.Secundas mulierum partusq; emortuos repellit. Item doloris corporis Veſicas inanit. Epiphoris illinitur.Nec magis alia herba conuenit medicamento, quod Alexipharmacon vocant. Stomacho tamen inutile eſſe: Caputq; eo impleri & abortum fieri poto.aliqui negant. Ad religionem addunt:vbi inuentum ſit: prot inus ad alligandum contra oculorum ſuffuſiones, cauendumq; ne terram attingat.* Huius drachmas quatuor quinta ſimpliciũ partitio Thæriacæ immiſcere demonſtrat, ſicuti in Mithridatio tertia ſeptem addere cernitur. Ex his denique aliorum plantas pro Polio vſurpatas minimè reſpondere nec facie, aut viribus cuique cognitum erit:Sicuti toto cælo abeſſe videntur propoſitæ ab illo,qui de plantis ac Theriaca ſuo nomine euangelizare putat: (qui Doctiſſimum Matthiolum indoctum appellare auſus eſt,cum nec ipſe poſt illum Grammaticos ferre dignus videatur, non dicimus Dioſcoridem, (Nonnè Matthiolum hoc loco erraſſe, vt & quilibet poteſt, (& nos etiam hìc forſan)dicere ſatis erat?Cuiuſque doctiſſimi etiã, cum homo ſit,facilis eſt lapſus; non ideo non doctiſſimus.) illius Polia reprobans, multò inefficaces, atque diuerſas plantas ipſe proponens,atque tàm diligenter in quibus naſcerentur loca deſcribens,ac ſi Pharmacopæi ſtatim omnes pro illis legendis equum ſternere properarent. In quibus reijciendis non eſt amplius commorandum. ſatis enim ex ſupradictis reſponſum videtur. Sed alia demonſtrabimus grauiora. Matthioli igitur putatum primum Polium ille pro tertia Origani Dioſcoridis ſpecie ſupponit:nigrum pro albo proximo,vt ſæpè iterat, ſuo fratri conſcientiæ reatu offerens.Neque animaduertit veriores notas non perpendiſſe, quibus poterat verum Origanum ſtatuere.Et primò non conſiderauit Agerati ſimilitudinem à Dioſcoride traditam cum Origano, non eſſe foliorum,ſed totius plantæ habitus:caulis nempe tenuis, foliorum rariorum,non autem figuræ illorum: & vmbellæ præſertim denſioris effigiei,quemadmodum & Plinius refert. Qui maximè ſimilem Origano eſſe ait, differrè verò colore aureo florum,diutius colorẽ ſeruantium,ex quo nomen accepit. Atque Origanum tertium facit,& ſylueſtrem putat Dioſcoridis, cur non potius Onitidem?

Nec

Nec animaduertit ſuam opinionem à Dioſcoride non comprobabari, Origani textum ſimul conferendo: in quo apertè dicitur, Sylueſtre Origanum non Agerati, ſed Origani folia habere. Ergo verum eſt, vt diximus, non in folijs, vel foliorum inciſuris, vt ille putauit, ſed in toto Plantæ habitu eſſe ſimilitudinem, ac in corymboſa præſertim vmbella. Sed quam ſimilitudinem oſtendat florum, quibus comparentur illi Dictamni cretici, vt idem refert de Dictamno loquens? Vulgaris agriorigani flores & capita ſimillima illis Dictamni conſpiciuntur. Hęc pro tertia Origani ſpeciei Quatramij reiectione ſufficiant. De viribus enim prolixum eſſet dicere quare de illis hactenus. At quia de Origano locuti ſumus, alias etiam eiuſdem Quatramij Origani putatas ſpecies, & pro verioribus propoſitas occaſionem nacti, vt vtiliores quàm ille proximo noſtro ſimus, hoc loco reijciendas eſſe cenſemus. Atque pro omnibus Origani illius ſpeciebus commune contrariumq; ſit hoc axioma, ex quo vires pendent. Plinius cui magis credendum hoc loco putamus de hortenſibus & condimentarijs loquens ait, à Græcis appellari, *Thymbram verò quæ ſit Cunila. Hæc apud nos habet vocabulum & aliud, Satureia dicta in condimentario genere. Seritur menſe Februario Origano æmula. Nuſquam vtrunque additur, quippe ſimilis effectus.* Sed & verſus Lib.19.c.8

Et Satureia thymi referens thymbræq; ſaporem.

Et Dioſcorides Thymbram Thymi vires habere aſſerit. Ergo ex his Origani ſapor, & vires Thymo, Satureiæ & Thymbræ pares eſſe debent. Galenus verò ſylueſtri Origano efficaciorem vim tribuit. Polium igitur Matthioli quod primò loco ſtatuit, non poteſt neque folijs, neque viribus tertio & Sylueſtri Dioſcoridis Origano reſpondere, vt ex odore & ſapore colligi poteſt, guſtata planta, quæ amara eſt admodum guſtu, odore medicato, cibo inepta, immo inguſtabilis & abhorrenda. Quoad verò alias Origani ſpecies, notanda videntur: Dioſcoridem minus Centaurium Hyperico, aut Origano ſimilem herbam feciſſe: quorum folia Rutæ, vel Serpilli ſunt Dioſcoridis iudicio. Sed Plinius minoris Centaurij folia anguſtiora facit, & longiora Origani folijs, quod non eget declaratione, vel extorſione: Ergo Origanum habet folium rotundius & latius Centaurio minore. Et ex Dioſcoride dicere poſſumus, Origanum ſimile eſſe Agerato, Hyperico, Centaurio minori effigie, atque folia non diſſimilia habere Hyſſopo, vel ſimilia Serpyllo hortẽſi: ſed Serpyllum hortenſe, vel in montium Syluis natum, quem noſcimus Lib. 25. c.6.

H omnes,

omnes,folijs eſt in ſuo vigore rotundis circinnatis. Vel Tragorigani,quod eſt Origano, vel ſylueſtri Serpyllo ſimile, cuius folia ex locorum bonitate latiora ſunt Origano, & Serpyllo ſylueſtri, cui erat ſimilis,vt Dioſcorides apertè notat. Sed Quatramius Serpyllum hoc ſylueſtre putans Zygin eſſe Serpyllum dictum, non ſylueſtre ſpontaneum quod colitur,Rutæ folia illi tribuit,ſed dato quod ſit, Rutæ folia Dioſcorides ſimilia quandoque facit Polygono mari, cuius folia maiora & latiora ſunt etiam; aliquando Nepetæ tenuifoliæ,ſed Nepeta tenuifolia, non eſt anguſtifolia cum ſimilis ſit Sampſuco, cuius folia circinnata eſſe Dioſcorides tradit. Rutæ autem folia quandoque latiora etiam anni temperie ſunt, ſuâ naturâ, & eſt etiam vulgaris latifolia, nec ita ſunt anguſta vt Quatramius habere vult ſecundum ſuum Origanum. Quare Origani folia,quorum forma & magnitudo à Dioſcoride tacetur, non ita ſunt anguſta & parua vt Thymi anguſtifolij & Sylueſtris Serpilli Zygis putati à Quatramio,ſed maiora, rotundiora, vt ſaltim Vulgari Serpyllo, quem noſcimus omnes in collibus ſpontaneum, æquiparentur: & ſunt rotunda vt Dioſcorides cenſet in capite de Serpyllo. Sed ex Plinio maiora, atque rotundiora erunt,vt diximus,minore Centaurio:cuius verba nec declaratione aut extorſione indigent, ſed clara atque aperta ſunt, vt nulla remanere poſſit dubitationis ſcrupulus ait enim: *Eſt alterũ Centaurium cognomine lepton,minutis folijs,quod aliqui Libadium vocant, quoniam ſecundum fontes naſcitur,Origano ſimile,anguſtioribus, & longioribus folijs,anguloſo caule, palmum alto fruticanti, flore Lychnidis, radice tenui, & ſuperuacua, ſucco efficax. Hoc Centaurium noſtri fel terræ vocant, propter amaritudinem ſummam.* Plantam hanc omnes quidẽ cognoſcunt,& Quatramius etiã;quapropter illi ſimile Origanum toto habitu eſſe debet, latioribus verò folijs atque breuioribus. & de Onitide, *Alterum exilioribus mollibusq; Sampſuco non diſſimile,quod aliqui Praſion vocare malunt.* Quas notas proculdubio nulli Origano à Quatramio propoſito conuenire quiſque ac idem iudicabit. Habitu verò & vmbella Hyperico & Centaurio minori ſimilis erit prima Origani ſpecies: Onitis & Sylueſtre Origanum Agerati verò vmbellã habebunt coniectura, quia Dioſcorides illius ſemen corymbis confertis ſimile deſcribit, vt in Agerati vmbella conſpicitur. Sylueſtre verò Anethi modo vmbellam habere dixit. Quibus nec facie, nec habitu,nec viribus aliquo modo reſpõdere Origanis Dioſcoridis plantas illas à Quatramio

Cap. de Tragorig.

Lib.21. c.6.

Lib.19. c.17.

tra mio propoſitas,anguſtifolias, & tenues,quiſque non imperitus iudicabit.De Hyſſopo illius ſpicato etiam quia locus videtur, adde toto cœlo differre à Dioſcoridis notis. Dioſcoridis enim Origanum folium habet Hyſſopo ſimile, vmbellam verò non rotundã, ſed veluti diuiſam,Et de Chryſocome loquens,ait, *Comam habens corymboſam Hyſſopo ſimilem*,Et de Oniti, *Onitis Origanum candidius eſt folijs,Hyſſopo magis ſimilis, & ſemen habet velut coniunctos corymbos*. Ex quibus Hyſſopum habere debet folia Origani vtriuſque,vmbellam verò non diuiſam,vt Origanum primum,Hypericum, & Centaurium minus, ſed coniunctam vt Onitis & Ageratum corymborum modo,vt etiam coma Chryſocomæ, cui eſt ſimilis Hyſſopi coma ex Dioſcoride. At foliorum candor Hyſſopi, cui Onitis candidiora folia cæteris Origanis aſſimilat Dioſcorides,quomodo tacetur, perijtne? Hæ notæ cum ab Hyſſopo Quatramij ſpicato abſint,minus illi adhærendum erit. Atque hæc illi perpendenda erant. Potius igitur vulgatas Origani plantas recipiendas cenſemus,atque aliorum Hyſſopum, donec melior de his ſententia proferatur.His igitur cognitis,ſatis liquet vetum Polium hucuſque omnibus incognitum fuiſſe, reijciendas etiam eſſe plantas ab alijs receptas tanquam facie viribusq; omnino ab hiſtoria alienas,quarum repetito omittitur breuitatis cauſa.

Hyſſopum Dioſcoridis & Antiquorum. Cap. XIV.

SED nunc videamus quænã ab Antiquioribus notæ Hyſſopo ſint adſcriptæ,vt noſtram de Hyſſopo aduerſus Quatramij poſtremi recenſoris,& reliquorũ ſententiam proferamus;verioremq; plantã quoad fieri poterit nunc ſtatuamus. Hyſſopum Græcè ὑσσώπος dictũ videtur,quaſi ὕσμενον pro χεόμενον ἐπὶ τῶν ὦπα, quia ſuper vultus effundatur, ἀπό τῦ ὕω, ὕσω, quod eſt *perfundo* & ὢψ ὠπός, *aſpectus,vultus, facies*. Nam & antiquitus ad expiationem peccatorum vſos fuiſſe Hyſſopi aſperſione,teſtari videtur illud Numeri cap.19.nu.17.&c. annuere illud Dauidis carmen, Aſperges me domine Hyſſopo,&c. quamuis pro Domini noſtri paſſione eiusq; ſanguinis effuſione, ibi accipiatur Hyſſopum;quod declarare videtur D.Paulus Apoſt. ad Hebræos,c.4. & infra dicemus. Atque hac deriuatione Hyſopum dictum,per ſimplicem, s,ſcribi deberet *Hyſopum*,ſicut in quibuſdam Plinij codicibus impreſſis legitur antiquioribus.Illius medicus vſus,& notio apud Antiquos adeò vulgaris erat, vt tanquam

Nomen etymon.

vulgatiſſimæ plantæ ſilentio illius effigies habituſque ſint prætermiſſi. Nos autem pro viribus, quoad poterimus, varijs locis diſiunctas notas colligemus, vt ex illis magis reſpondentem, donec Cilicium viderimus, proponamus. Et quidem ex Dioſcoride, quem magis ſequimur, videtur quod Hyſſopi folia debeant referre quodammodo folia Origani Heracleotici, idem enim Dioſcorides de Heracleotico Origano agens, ait; φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ. colore verò
Lib.3. candicantia, atque magis quàm Onitis, nam de Oniti idē Dioſcor. ait; *folia habet candidiora, magiſq́; ſimilia Hyſſopo.* Coma quidem, quam Hyſſopum habere debet, ex eodem Dioſcor. colligitur, quod ſit effigie rotunda in vmbellam conferta: idem enim Dioſcorides, poſita ſimilitudine foliorum Heracleotici referentium Hyſſopi folia, & ſic maiore propoſita; excipiendo ea, quæ diſſimilitudinem inferebant inter Origani vmbellæ effigiem, & Hyſſopum; ne ex maiore ſequeretur minor propoſitio, & ſimilitudo tacitè illata, ſubdit; *Vmbellam verò non rotundam rotæ effigie,* vt Hyſſopum habet, intelligendo ex conſequentia: *ſed in plures partes diuiſam.* Et hoc magis, quia ſecunda Origani ſpecies, quæ ſimilior eſt Hyſſopo, ſemen habet veluti denſos corymbos: & congener tertia ſpecies ſylueſtrior ſemen profert in Vmbellam: atque ita conſimili ferè modo vmbellatam comam omnes habere videntur. Quòdque ſit verius, atque ex neceſſaria conſequentia debeat præſupponi: Origani ſpecies omnes comam in vmbellam, vel denſos corymbos, aut
Lib. 4. diuiſos parum habere probatur. Idem enim Dioſcorides de Agerato loquens ait; Ageratum plantam eſſe denſam ſimplicem atque breuem, admodum ſimilem Origano: hoc loco tanquam genus Origanum intelligens. At Ageratum quod noſcimus omnes, & pro vero habetur, nullam habet in folijs, neque poſitu nec effigie aliquam ſimilitudinem cum aliqua planta ex Origanis verioribus, atque receptis; Origani partes ſingulæ ſi conferantur ſingillatim. At figura ſiue habitu toto conſpecto, quodammodo reſpondere videntur, vt cenſuit Dioſcorides: Quia tenui cauliculo, raris folijs, denſis corymbis vmbellam effigiantibus primo aſpectu reſpondere videtur: & tamen ex Origanis nulla ſpecies tam denſam habere conſpicitur comam. Quod autem vmbellæ ſimilem comam Origanum
Lib.3. generis nomine accipiendo habere videatur, atque Dioſcoridem Origano tanquam generi tribuiſſe, ex Polycnemonis capite apertè colligitur, vbi Dioſcorides data foliorum ſimilitudine Polycnemonis cum Origano, quamuis geniculatum caulem Pulegio ſimilem habere

habere tradidiſſet,ne quis adhuç Origano coma ſimilem putaret, addidit; vmbellam non habere, ſed illius vice in ſummo paruos corymbos. Quare hunc Dioſcoridis loquendi modum non differre à communi noſtrate, cùm ſimilitudo in reliquis præſumi poteſt, quæ non adſit, verùm excipi debeat. Hoc autem confirmari videtur ex eodem Dioſcoride, qui comam Hyſſopi confertam corymbis præſupponit apertiſſimè, dum Chryſocomæ comam corymbis præditam, Hyſſopo ſimilem fecit, de ea loquens, *comam babet corymbaceam ſimilem Hyſſopo*. Quòd verò vt Onitis ſit denſior, vel in vmbellam laxior, vt ſylueſtris Origani, aut in rotam vt præſupponitur ex Origano Heracleotico parùm refert: clarè liquet profectò ex Dioſcoride, vt iam retulimus, Hyſſopi comã, & Chryſocomæ æquiparari corymboſa effigie. Nunc autem corymboſam aliam plãtam notiorem oſtendemus, vt corymborum notior ſit intelligentia atque cognitio. Et ne Chryſocomæ quis in dubium vertat, eiuſdem Dioſcoridis Onitis comam denſis corymbis refertam in medio adducimus, quam Doctiores iam nouerunt, atque delinearunt. Qui verò minimè viderint, corymbos illos Agriorigano ſimiles cenſeãt denſiore quidem compage, at non ita frequentes. Sed vt vno verbo loquamur, corymbos hoc loco intelligi capitula illa dicimus globulis oblongis ſimilia, denſis foliolis atque vtriculis compoſita, in quibus flores; vt in Thymi coma obſeruatur, capitati epitheto vulgò inſigniti: vel capitulis Pſyllij ſimiles, ſi cui Thymi capitula ſint adhuc incognita. Sed & Thymi capitula ſimilia ſunt illis Stæchadis, quamuis huius maiora, atque oblongiora conſpiciantur: De Stœchade verba faciens Dioſcorides, comam illius Thymi ſimilem eſſe retulit, ac vt poſtmodum differentiam inter Thymum & Stœchadem notaret, cùm ſimiles eſſent coma capitulis referta, ſubiunxit folia huic eſſe longiora, & amariuſcula: videturque eundem loquendi modum de Origano Heracleotico loquens ſeruare voluiſſe, vt etiam in Polycnemone veluti regula quadam, vt ſupra notauimus: data quidem in folijs ſimilitudine cum Hyſopo, vmbellæ diſſimilitudinem, è conuerſo notauit. Quid autem hoc loco cæteri ſtrepant, & congeſſerint, comæ interpretationem extorquendo, relictis alijs, hac tantùm reſponſione, congeſta omnia ab ipſis, vt aiũt ſublimi iudicio perpenſa, quàm facillimè corruent, obtusâ hac noſtra mente prolata. Dioſcorides ita Chryſocomæ ſpeciem delineauit, *Comam babet corymbaceam Hyſſopo ſimilem*. Sed quàm clarius poterat exprimere, Chryſocomæ comam eſſe corymbis Lib.4.

bis

bis refertam,atque iccirco Hyſsopi comę ſimilis?VerùmGrammaticè illis loquamur.Adiectiuum verbum,*corymbaceam*, eſt qualitas ſubſtantiui verbi,*comæ*;qua ſimilitudo refertur ad comam Hyſſopi. Quomodo igitur ſimilitudo cenſeri poteſt de ſubſtantiui effigie, & non ſimul de adiectiuo illam declarante?Sed hîc hactenus.Adducimus inſuper eiuſdem Dioſcoridis in deſcribenda plantarum coma, loquendi ſtylum,ac auctoritatem;qua in plantis,nihil aliud pro coma intelligitur,quàm iam adultæ plantæ cacumen.Sic enim dePeucedano ait : *Peucedanum caulem habet tenuem, debilem Fœniculo*
Lib.3. *ſimilem : Comam verò ſtatim propè humum folioſam, atque denſam, atque florem luteum*. Nonne ineruditus quilibet, caulem vndique ramoſum, folioſum atque floridum intellexiſſe comam dicet ? At dilucidius , Atractylidis delineatione perfecta , foliorum ſcilicet, caulis, capitulorum,floris,atque radicis,addidit:*Comam ſemen,&*
Ibid. *folia etiam in vino pota* &c. Quid hoc loco aliud intellexit pro coma,niſi floridam plantam?tunc enim comam habent plantæ,cum capita protulerint;non enim coma ſine capite cenſetur ineſſe , quã plantas habere dicimus, cum ita cacumine caulis & alarum excreuerint,vt ſupercreſcere nequeant:idque floreſcentibus euenit.Hoc patet apertius ex eiuſdem Dioſcoridis capite de Pſyllio, quo loci,
Lib.4. tradita iam adultæ plantæ delineatione, ait: *Coma ex medio caule incipit,& in ſummo bina,aut terna capita,in quibus ſemen*. Et qui Pſyllium obſeruarit , è medio caule alas proferre viderit quoquo verſu , in quibus capitula pauca inſunt . tunc enim comam habere dicitur.Sed hand dilucidius poteſt:in Capite de Elychryſo,ibi, *Comam habet rotundam aureo colore in vmbellam confertam , velut aridis corymbis dependentibus*. Hyſſopum igitur vulgare Officinarum,quod & alij ante Quatramium probarunt , nullas ex ſupranumeratis notis habere perſpicitur , illud tamen verum eſſe contendunt.Comam quidem corymbis refertam non habet ,non enim corymboſa deſcribitur aliqua planta , niſi quodammodo in orbis dimidium globum rotundam corymborum ſitu , vel plana efficiatur coma,quæ parum ab vmbellatis differre videtur plantis.At Hyſſopi ſupradicti vulgaris coma , non corymbis rotundatur , ſed in tenues,longasq; virgas protenditur, in quibus ex interuallo verticillati ferè ſunt flores,vno verſu diſpoſiti,Calamenthi modo,quos in ſpicam digeſtos eſſe non negat Matthiolus; atque ideo ſimilem eſſe Stoechadi,quam Dioſcorides ſtatim in ſequenti capite,ea de cauſa deſcripſiſſe autumat.Nos quidem contrariâ ſententiâ, cẽſeri poſse

conce-

concedimus, Dioſcoridem ob ſimilitudinem capitulorum, Stœchadis hiſtoriam poſt Hyſsopi delineationem ſubiunxiſse: nam Hyſsopum, & Stœchas capitula in ſummo habent, ſimilia, quamuis illa Stœchadis maiora ſint, atque minus denſa; Hyſsopi verò rotundiora, & plura ſimul eadem virgella, atque, tàm Hyſsopi quàm Stœchadis ſimilia illis Thymi, cui Stœchadis etiam coma æquiparatur à Dioſcoride: ſapore amaro quoque, ac etiam viribus ad eadem ferè valentibus: Non quia longis virgis flores Calamenthi modo hætentes vt Vulgare habet. Sed proh? Vt contemplantium oculos delineatam plantam contuentes deciperent, affabrè ſculpere illius ſpuriam effigiem dẽſiſſimis vtriculis in ſpicam breuem diſpoſitis haud ſunt veriti. Scimus in his Pictoris artem nunquam eſse in culpa: non ignoramus quidem alios candidiores Tranſalpinos veriorem effigiem propoſuiſse, in qua longis virgis flores ex geniculis per interualla diſpoſitos, parum quàm in Calamento denſiores conſpiciuntur. Addendum etiam cenſemus, tali vulgato Hyſsopo deeſse comæ ſimilitudinem, quam habere debet cum Stœchade, vt Plinius refert: cuius & Dioſcoridis auctoritate videtur Thymi, Stœchadis, atque Hyſsopi coma æquiparari capitulis. Nec minus etiam refellendum vulgare Hyſsopũ, quia corymboſa careat coma, nec Chryſocomæ ſimilibus corymbis referta; non ſimilibus Oniti, cui Plinius integram plantam aſſimilat, illius enim notas deſcribens, ait; *Onitin; vel Praſion non diſſimile Hyſsopo*. Quapropter non ſolum candore foliorum, vt ex Dioſcoridis textu apertè liquet, ſed toto plantæ habitu ſimilitudinem ineſse cenſendum ex Plinio; non minus quàm de Agerati effigie, & habitu ſimili cum Origano generis loco, vt ſupra retulimus. Nec omittenda baccarum nota ſæpius à Plinio in remedijs repetita, quam deeſse fatentur alij. Verùm enim vero mirari ſatis licet, tàm claram, præcipuamq; notam candoris foliorum Hyſsopi, quæ nullo retorqueri poteſt argumẽto, qua Onitis folia ſuperare canitie videtur, ex Onitis hiſtoria à Dioſcoride tradita, neminem horum, nec Quatramium nouiſſimum obſeruaſse, vel potius tacuiſse; ne primo intuitu plantæ, ignorãs quiſque obijceret, foliorum virorem admirãs, aienſq; vbi candor Oniti maior? nec reſponſionis remaneret locus. Hac equidem cenſemus verſutia omnes adhuc deceptos eſse. His igitur nihil eſt, quod Hyſsopum iam vulgatum, Dioſcoridis vel Plinij, & antiquorum cenſeri queat, nulla ex ſupradictis remanente nota, collatione iam facta. Sed nec viribus efficax, non enim inter Condimentarias, & hortenſes her-

Lib. 27. *c.* 12.

Lib. 20. *c.* 17.

Lib. 26. *c.* 11 & 14.

bas

bas Hyſsopum Antiquis numerabatur,vt Thymbra, Cunila, Origanum & ſimiles,quibus ſapor erat quidem acris,ſed guſtu ſuauis, vt & vulgati Hyſsopi videtur;inter quas miſceremus,potius quàm inter medicatas,ingratas vt Stœchas,Hyſsopum,& ſimiles,quas in condimentis non reperimus recenſitas, ob ingratitudinem guſtus. Ob ingratum quidem amarum ſaporem alij plantam illam vulgò *Gratiola* dictam, Hyſsopum verius vulgato eſse cenſuerunt:ſed an ratione patet,reliquis notis deficientibus. Quæ tandem,Quatramius dicet,erit planta hæc abs te pro Hyſsopo proponenda tot notis reſpondens,viribusq́;efficacioribus?En dicimus,paulò ante abs te propoſitã, in manibus habes:adeo ſimilem effigie Origano, vt abs te Origanum vulgato verius, atque Dioſcoridis genuinum ſit putatum; quia folijs,vmbella, & reliquo habitu Agerato ſimile videatur,cui Ageratum Dioſcorides ſimile fecit. Nos quidem ſimiliorem hanc eſse plantam Origano cuilibet, quàm Ageratum Origano.Huic enim ſurculorum geniculis folia hęrent bina ex oppoſito,vt in Origanis candidiora,anguſta; coma corymbis ita referta vt cuilibet Origani comæ ſimilem eſſe cenſeri poſſit;quamuis Heracleotico denſior videatur, nec minus Chryſocomæ ſimilis. Hæc autem omnia in Agerato non ita reſpondere vidẽtur. Foliorũ effigies,alternus eorum poſitus in caule,denſitas etiam,planitiesq́; corymborum exilium ipſius comæ, magis differre quiſque collatione vtriuſque plantæ cognoſcet. Sed & foliorum candor huius plantæ Oniti maior, qua Polium ab omnibus hucuſque putabatur, additis ſupradictis notis magis reſpondentem eſse confirmat. Quid quæris,baccas in hac planta? Plinium ecce adducimus baccas declarantem,qui Mori fructus ex acinis multis compoſitos inter baccas enumerat. *Magna*,inquit,*& baccis differentia;alia namq́; ſunt* Lib.15. c.24. *Oliuis, Lauris; & alio modo Loto, Cornis: alia Myrtis, Lentiſco: Aquifoliæ enim ac Spinæ ſine ſucco. Medioq́; etiamnum genere inter baccas,acinosq́; Cerafis.Pomum ijs primò candidum: & ferè omnibus baccis,mox alijs vireſcit,vt Oliuis,Lauris:Rubet verò Moris, Ceraſis,Cornis·deinde nigreſcit Moris,Ceraſis,Oliuis.* Sed Origani,Thymi,Stœchadis Hyſſopi & ſimilium capitula,ſiue corymbi ex pluribus foliolis,& florum vtriculis compactis conglobantur. Sed Lib.25. c.11. clarius noſtro propoſito idem Plinius de Pſyllio loquens, illius ſemen in baccis contineri ait,capitula Pſyllij intelligens; quæ antea ſimilia magnitudine Fabæ granis in cacuminibus fecit; his verbis: *Semine autem pulici,vnde nomen, hoc in baccis:ipſa herba in vineis*

inue-


inuenitur. Et Pſyllij capitula non niſi breuitate ab illis Origani diſtant Thymo proximiora : at Hyſſopo noſtro ſimiliora rotunditate. Sed & baccas etiam Cirinolæ proferre obſeruauimus, vbi frequentiſſimum vbique viarum, & ſterilium agrorum ob ſaxoſam humi cutem, non dicimus capitula orbiculata vtriculis conferta, ſed acinos leues, rotundos parum oblongos, & parum hiantes ore, vt Anthyrrhini fructus imitari dices; magnitudine ferè pares; atque illos in ipſis capitulis plures edit, atque delineatione priuata expreſſimus illos è plantæ iconis regione. Nos quidem quamuis baccas, acinosuè hoſce proferat planta hæc, non illos, ſed capitula in globulos compoſita accipienda pro baccis exiſtimamus: baccas illas non omnes plantas naturâ, quamuis ferè in omnibus eo anno obſeruarimus, ſed ob alimenti copiam pluuio anno emiſiſſe cenſemus: eoſdemq; florum vtriculos ſic extuberaſſe dicimus. Obijciet, cur Hyſſopo magis quadrare, quàm Origano cenſemus? Reſpondemus, quoad effigiẽ nihil aduerſaremur, at circa vſum per quàm ſumus alieni: Origanum quidem, vt diximus, hortenſis, & condimentaria eſt antiquis, guſtus & odoris ſuauitate in cibos recepta : Hæc autem quamuis odore placere poſſet, quem aromaticum habet; guſtu quidem abhorrenda videtur ob amaritudinem. Quare quoad vires rectius alij pro Polio vſi ſunt incana ferè effigie, atque ſaporis amaritudine ducti : atque neminem inuenies qui hanc plantam illius relatione pro Origano in cibos vtatur. At pro Hyſſopo qui vti velit, ſi verum eſt, viribus Polij reſpondere, quod facilè credimus, propter acrimoniam, odorem, ac amarorem; cùm parùm à Polij viribus euariet, minimè deceptum ſe exiſtimabit. Ac ſi, vt Matthiolus hoc loco fecit, argumentari nobis ex Dioſcoridis capitulorum diſpoſitione, atque ordine licebit, profectò non alia de cauſa, vt ille ait, Hyſſopi caput, medium inter Abrotonum & Stoechadem poſuiſſe dicendum eſſet, niſi quia ſapore amaro, acri, odorato eſſet: atque etiam vt ille thoracis defectibus ſuccurrit, & aſthmati ſimiliq; modo tergit, tenuat, aperit, ſiccat, putredinẽ prohibet; quapropter interaneorum vermes interficere cenſetur: præter aluum molliendi vim, quam illis Dioſcorides non tribuit, Stœchadi verò à Meſue adſcribitur: iccirco ſtomacho inimicum cenſetur, & Plinius refert illius vires perſequens, pluresq; addit. *Hyſſopum in oleo contritum phthiriaſi reſiſtit, & prurigini in capite. Eſt autem optimum Cilicium è Tauro monte, dein Pamphylium & Smyrnæum. Stomacho contrarium. purgat cum fico ſumptum per inferna: cum melle vo-* *Lib. 25. c. 11.*

 mitioni-

mitionibus:putant,& Serpentium ictus aduerſari tritum cum mel-
Lib.26. *le ſale & cumino*. Et alibi,Comitiales ſanant, *Hyſſopi baccæ ternæ*
c. 11. *Lib. eod.* *contritæ & in aqua potæ diebus ſexdecim*. Et alibi, Regio morbo
c.12. medentur, *Hyſsopi bacca cum aqua potæ*. Er alibi, *Hyſſopi manipu-*
lus decoctus ad tertias cum ſale pituitas trahit, vel contritus cum
Lib. 21. *oximelite & ſale. Pellitq; vẽtris animalia*. Et alibi,de Onocleo An-
c.21. chuſa loquens, *Pellit tineas cum Hyſſopo*. Et alibi, faciles præſtat
Lib.26. vomitiones, *Hyſſopum tritum cũ melle, vtilius præſumpto Naſtur-*
c. 7. *tio aut Irione*. Et inferius ibidem, *Pleureticis & peripneumonicis*
centaurium maius, item Hyſſopum bibitur, & ad Orthopnoeas. Et
Lib. 26. alibi de lyenis remedijs, *Prodeſt Hyſſopum cum fico decoctum*.
c.8. Et alibi, *Hyſſopi faſciculus cum quadrante mellis decoquitur ad*
tuſſim. Et ibidem ſuperius, *Hyſſopi quoque quinque rami cum*
Lib.26. *duobus Rutæ, & ficis tribus decoctis thoracem purgant*. Et alibi,
c.6. *Lib.26.* *Anginæ medetur & Hyſſopum cum vino decoctum & gargariſſatũ*.
c.4. Et alibi de Aniſo: *Sedat anginas cum melle & Hyſſopo ex aceto gar-*
Lib. 20. *gariſſatum*. Et alibi, dentes. *Hyſſopo colluuntur*. Et ibidem in fine,
c.17. *Lib.25.* *Sugillata Hyſſopo emendantur*. Et alibi, *Sextarijs tribus aceti deco-*
c. vltim. *cto Hyſſopi faſciculo medetur ſedis vitijs*. Et alibi,de Origani viri-
Lib.23.c.1 bus agens, *Hydropicis cum fico, aut cum Hyſſopo acetabuli menſuris*
Lib.20. *decoctum ad ſextam*. Et alibi,de Ruta. *Item torminibus in Hyſſopo*
c.17. *decocta*. Plinij remedia præpoſuimus,vt vires,quæ ab amaritudine
mixta procedunt, quarum aliqua tacentur à Dioſcoride, maximè
Sapor. noſcerentur: (Nos quidem amaro ſapore fecimus Hyſſopum, & à
Dioſcoride & alijs non refertur.) Et ſunt; Contrarium ſtomacho
eſſe; vermes interaneos, atque externos interficere, phthiriaſi ſcili-
cet reſiſtere; vomitiones præſtare. Eoque magis inimicum ſtoma-
cho videri, cum amaritudini non ſit adiuncta ſtipticitas, vt in Ab-
ſynthio vtroque refertur; & tamen à Dioſcoride vtrumq; Abſyn-
De Simpl. thium ſtomacho inimicum eſſe traditur. Sed amaro ſapore Hyſſo-
Calid. in pum eſſe à Serapione apertè aſſeritur, atque plantam eſſe Maiora-
tertio gradu c.270. næ ſimilem, cui maximè ſimile videtur toto habitu Hyſſopum à no-
bis propoſitum. Eius verba vulgatæ editionis. *Ramuli eius & folia*
Maioranæ, & herba quidem eſt viridis primò, ſed poſtea citrineſcit:
& ramuli eius ſunt puluerulenti, quorum craſſitudo eſt ſicut ramu-
lorum Maioranæ, & habet odorem bonum, & ſaporem amarum:
Deſcriptio. *colligitur vere*. Noſtrum Hyſſopum, antequam in caules abeat,
plurimis ab radice ramulis emiſſis Hyeme tota vireſcit: deinde
Vere albeſcit, atque canitie hirſutum apparet, videtur idem forſan

Sera-

Hyſſopus Apulus Dioſc. & Serapionis



Teucrium pseudohyssopus 1 2 Spec.

T. polium L.

Lam. 2.708

Serapioni puluerulentum,deinde citrineſcit perfectum. Non altius fruticat vulgari Maiorana,cui ramulis,& folijs magis accedit,niſi quod parum anguſta , & crenata viderentur : coma ſimili,verùm denſiore atque rotundiore . Vere caules ad ſummum dodrantales, & flores edit,atque Æſtate perficitur. Locis oritur ſaxoſis,& ſole illuſtratis,montanis,ac etiam planis.Humilis igitur planta eſt admodum,vt opponatur veluti minima maximis : de qua legitur in Regum tertio.*Et diſputauit,* Salomon ſcilicet, *Super lignis, à Cedro,quæ eſt in Libano,vſque ad Hyſſopum.* &c. Minimam videlicet herbarum intelligens,ad oppoſitum Cedri maximæ Arboris.Quapropter hallucinari videntur ij,qui plantarum rerumq; naturalium inconſultis Auctoribus Hyſſopum pro arundine , aut, vt alij tradiderunt,pro Vimine acceptum fuiſſe ſcripſerunt à Phariſæis, vt ſcilicet Spongiam aceto plenam Hyſſopo imponerent , vt extollere poſſent , & ori Saluatoris noſtri in cruce clauis affixi facilè offerre poſſent:vel,vt alij,Spongiam aceto plenam Hyſſopi ramu'is Arundini colligarent, ſtaminis vice eo vtentes . Neutrum quidem ſua breuitate efficere aptum eſt,nec ab aliquo Naturalium rerum Scriptore vnquam Hyſſopum aliud,nec idem magnitudine adultius deſcriptum inuenitur.Nec naturaliter,aut cultu adhibito etiam ita adoleſcere poteſt , atque calidioribus locis adeò minor & breuior exoritur,vt quilibet montano , & campeſtre Apulo collato cognoſcet.Icciirco non alia de cauſa , noſtrâ ſententiâ, Hyſſopum à ſpongia plena aceto circundatum,oblatum fuiſſe Domino noſtro in Cruce cenſemus,niſi vt illius amarore , non minus ac felle, os eius atque palatum guſtu teterrimo afficeretur.Græcè quidem, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες legitur,idem enim eſt *circumponere*,quod *circundare*,quod ſonat verbum περιθέντες atque ὑσσώπῳ legitur,*Hyſſopo*,datiui caſus,& non *calamo*. Quo autem ligno ſuperpoſuiſſent Hyſſopum ſpongia circundatum Phariſæi , parui fecit D. Ioannes altiora cogitans . Hanc noſtram ſententiam veram eſſe, ex eodem D.Ioanne Euang. firmari poſſe videtur; qui vt conſumaretur ſcriptura Prophætarum ait , & refert Dominum noſtrum Saluatorem in Cruce affixum ſuâ ſitim tunc temporis per verbum,*Sitio.* expreſſiſſe: nec alibi legitur Dominum in paſſione ſitiſſe,atque potum petijſſe . Quare hoc loco Prophetæ videntur adimpleri verba illa : *Et dederunt in eſcam meam fel,& in ſiti mea potauerunt me aceto* . Ob amaritudinem fellis vice Hyſſopum herbam virentem in medio ſpongiæ aceto turgidæ conuolutum Domino noſtro ad famem ſitimq; explendam

[Margin notes: *Num.* 33. (beside "Regum tertio"); *Io: Euang, c.19. n.29.* (beside "que palatum guſtu"); *Pſalm.* 69. *nu.*22. (beside "meam fel")]

in opprobrium oblatum fuiſſe,(idq;quia in promptu facile habuiſſent,cum locis montanis,ſaxoſiſq; oriatur.)ac etiam quia,conſuetudo adhuc viget,cibi aliquid etiam prius ſitienti offerri ſolet, ne ieiunus bibat: quamuis & cibum & potum inguſtabile in opprobrium dederint.de quibus accepiſſe tunc temporis Dominum idem Ioannes qui præſens fuit, & vidit, atque refert ſic fuiſſe conſumatam ſcripturam.Quòd autem amarum quid,pro felle, qualitatem, non rem,forſan intellexerit Propheta,atque aliqui ex Euangeliſtis, Theophylactus eximij iugenij vir etiam poſſe dici, atque cenſeri, videtur inter cætera ſenſiſſe,illud Matthæi,& Marci Euang. *Vinum bibere cum felle mixtum, & Myrrhatum vinum, & non accepit.* exponens conciliando textus. Nec enim,felle vel Myrrha oblata Domino antequam crucifigeretur,de quibus non accepit, Scriptura adimplebatur,etiam quod re felle mixtum eſſet vinum, aut acetum; cum illud dilutum vino non in ſolida forma cibi eſſet oblatum,ſed potionis:tùm etiam quia illud non petente nec ſitiẽte Domino reſpuit. Contrarium verò, Sitiente atque petente in Cruce, atque accipiente,tunc enim adimpleta fuit Scriptura; quare videtur non inſcitè à nobis propoſita hæc Hyſſopi interpretatio,vt illius amara qualitas fellis vices ſuppleat. Et quidem vulgò ad hanc vſque diem,cum amaritudinem quis exprimere velit, Adagij moré,materna lingua profert, *E vn fiele*, fellis ſcilicet amarorem repreſentat.Hyſſopum quidem ob ſuam amaritudinem abſtergit, tenuat, aperit, ſiccat, vomitiones præſtat, pulmonem curat,vermes interficit atque expellit,corruptioni reſiſtit, putredinem prohibẽs âtque alexipharmacum eſt,quamuis amarum admodum,ac ſtomacho inimicum.Quapropter & Pœnitentiæ, ac contritionis ſymbolum eſt, quia licet ſit amariſſima ad guſtandum & ſubſtinendum, vtilis tamen ad ſpiritualem medicinam, per illam purgantur humores craſſi, ſcilicet pigritia & accidia; ſtomachus conſcientiæ à prauis humoribus vomitione ideſt confeſſione vacuatur;colorem efficit bonum,mores ſcilicet,& vitæ famam; lienem purgat, internas affectiones; hydropin curat, ſcilicet Auaritiæ ſitim extinguit, pulmonem purgat,voluntatem purificat, ac depurat à ſordibus peccatorum; ac ſi cum melle delingatur tineas necat, ſi contritio vel pœnitentia melle ſpei veniæ miſceatur, remorſus conſcientiæ peccata abhorrendo;putredinem prohibet,fœtorem ſcilicet malarum cogitationum & operum,& ſic de reliquis;quare qui Dei Opt,Max. gratiam inuenire velit,aſpergi atque vti Hyſſopo oportet,per pœniten-

nitentiam & contritionem , & aqua Paſſionis dominicæ memoriæ & deuotionis. Sicuti de Leproſo de caſtris eiecto legitur, Leuit. 14. qui ad hoc vt ad aliorum ſocietatem reuerti poſset, neceſse erat quod Hyſsopo aqua & ſanguine aſpergeretur; nec non tota ſacra Scriptura Hyſsopo aſperſionis eſt referta ad expiationem peccatorum. Quapropter & Domini noſtri Paſſionis, eiuſque ſanguinis effuſionis in remiſſionem peccatorum Symbolum eſt. Sic etiam Cedrus. Vtrumque Paſſionis ſymbolum ac inſtrumentum. Vtrumq; detergendi facultate præditum, atque contra corruptionem efficaciſſimum. Hyſsopum quidem viuens corpus, Cedrus mortuum, naturaliter vtrumq; expurgat, atque à corruptione vindicat: non minus quidem animam vtrunq; myſticè acceptum. Hoc Hyſsopo myſtico aſpergi ſe Dauidem pœnitentia ductum, atque à Deo in remiſſionem petijſse orantem cenſemus: atque, *Aſperges me domine Hyſſopo, & mundabor, &c.* ceciniſse: atque etiam præſcientiam habuiſse Salomonem dum legitur, *Et diſputauit ſuper lignis, à Cedro,* &c. non tantum naturales qualitates Cedri, & Hyſsopi, ſed illorum ſupranaturale myſterium, inſtrumentum ſcilicet paſsionis dominicæ. Sed ad externam corporis adſperſionem Hyſsopo faciendam, addendum cenſuimus: aptiorem adeò eſse huius plantæ vnicam virgellam, ob illius denſam corymbis comam, ſpongiæ vicem calamo impoſitæ ſupplētē, atque ad effuſionem aquæ copiam haurientem; vt vix plures ex Vulgato & Quatramji Hyſsopo colligatæ ſufficiant: ad cæremoniarum verò decorem, argenteos globulos perforatos ad illius vel ſpōgiæ quādam imitationē pro vſu Sacriſtæ habēt. Hæc à Quatramio tāquā Theologo magis recitanda erāt quàm à Doctore vtriuſque iuris. Sed ad Dioſcoridis vires redeamus. *Vim, ait, habet extenuandi, calefaciendi; decoctum cum ficis aqua melle & Ruta, potumq; peripneumonicis, diuturna tuſſi, ſuſpirioſis, deſtillationibusq; & Orthopnoicis auxiliatur; tineas necat. Idem facit, ſi cum melle delingatur. Craſſum humorem per aluum extrahit, decoctum ex aceto mulſo epotum. Et ad ſubducendam aluū cum ficis viridibus detritis manditur, vehementius addita Iride Cardamomo, aut Irione deijcit. colorem in corpore fouet, lieni, & aquæ inter cutem cum fico, nitroque. Inflammationibus quoque ex vino illinitur cum feruenti aqua impoſitum ſugillata diſcutit. cum decocto ficorum optimè anginis gargariſſatur. Decoctum cum aceto dentium dolorem in collutione ſedat. Inflammationes auricularum vaporis ſuffitu diſcutit.* Fit etiam ex Hyſsopo vinum, vt idem Dioſcori-

Pſalm. 50

Vires.

Vinum Hyſſopites

Dioſcorides tradit, foliis tuſis libræ pondere in amphora muſti coniectis per quadraginta dies, quod poſtea transfundatur, Vires acquirit. *Contra pectoris laterum, & pulmonis vitia veterem tuſſim, & ſuſpiria: vrinam cit. torminibus & horroribus febrium circuitu repetentibus auxiliatur. menſesq; mouet.* Alexipharmacum eſt Nicandro contra venenum iaculantia atque contra Lithargyrium. His igitur ſatis liquet, Vulgatum & Quatramij Hyſsopum, non eſse Hyſsopum Dioſc. nec Antiquorum, notis omnibus aduerſantibus, ac etiam qualitatibus. Quod animaduertens Doctiſs. Anguillara, ac etiam notas addens ex Crateua, qui etiam vt Serapio illud ſimile fecit Maioranæ vel Sampſucho. Eius verba Græcè apponens, ὕσσωπος δὲ βοτάνη ὅμοια σαμψύχῳ. Et quidem commune vulgatumque Sampſuchum effigie parum ab Origano Heracleotico alijsq; differt, niſi quod tenuioribus anguſtioribus ſit folijs, atque ramulis etiam minoribus; coma Origano ſimili corymbacea, noſtro Hyſſopo magis accedens. Quæ an pro vero Sampſucho ſit retinenda alias à nobis Deo dãte dicetur. Quare pro Hyſſopo Dioſcoridis, album Origanum, quod alij Onitin cenſuerunt, deſcripſit. Effigie quidem nihil à noſtra ſententia euarians. At quia potius Origanum imitatur guſtu, & odore, vt etiam cæteri ſtatuerũt, nec amaro ſit ſapore, vt ſupra retulimus, minimè pro Hyſſopo recipiendum putamus: ſicuti neque etiam à Doctiſsimis Petro Pena & Lobellio propoſitum eadem effigie: quod etiam ex eius icone, Origanum ſylueſtre imitatur, potius, quàm Maioranam; latis admodum folijs Oniti maioribus, nec candicantibus; ſapore Origanum referens, condimentaria planta, nec amara. Depingitur ex Ceſareo Codice in Lugdunenſi Hiſtoria Plantarum, & ſimilis planta etiam Origani folijs & capitulis, in Vetuſtiſſimo Græcis literis maioribus manuſcripto Herbario Dioſcorideo, Alphabetico digeſto ordine, coloratis iconibus præpoſitis, quod in Ornatiſſima Bibliotheca ſancti Ioannis, Carbonariæ dicti, Neapoli ſeruatur. Et nuper obſeruauimus, vt hic addere libuerit. Vtinam pictor ille arte magis calluiſſet, diligentiorique obſeruatione illas effinxiſset. Patet iam ex ſupradictis Hyſſopum, non ſpicata coma, vt Vulgatum & Quatramio comprobatum, ſed corymboſa, Origanis adſimili deſcribi, & habitum fuiſſe ab antiquis, quamuis hucuſque ab Officinis nulla ratione aliud ſit receptum. Meſuæ deſcriptionem addemus, ne clypeum pertinacis ignauię illis remaneat, atque dicimus: Thymum quidem ſub nomine *Haſce*, Hyſſopum facit Meſues, vel Origanum: ac Hyſ-

Lib.5.c.50

In Theriaca & Alexipharm.

ſopum

ſopum Thymo congenerem floribus etiam purpuraſcentibus: ſed Thymum ab Origano & Hyſsopo folijs minutis differt nec niſi capitulis inter ſe ſimilibus nos facimus, & Meſues quoque forſitan: cuius textus, aut corruptione: aut mala verſione, hoc loco alij doctiores mutilos, vel deprauatos dijudicarunt. Noſtrum Hyſsopum excepto florum colore à Meſue traditum ſatis illius deſcriptioni, atque Thymo congrueret effigie atque habitu Sed iſta florum controuerſia, quam nos hic parui faceremus, (nihil quidem mirum eſt variis locis varios colores plantas in floribus edere, vt etiam Vulgato euenit, quod cuilibet parum ſtudioſo innoteſcit:) Clariſsimi viri Caroli Cluſii atque indefeſsi ſtirpium obſeruatoris doctiſſimi diligentiâ atque hiſtoriâ dirimitur. Sex enim in ſuis Obſeruationibus huius plantæ ſub vulgaris Polii nomine, (aliud verius nemo cognouit hucuſque) tradidit varietates; foliis, colore, magnitudine, atque florum colore aliiſque inter ſe diſtantes; ac ſpeciem ſub numero quinto traditam colore purpureo florem edere refert. Eius verba hæc ſunt. *Quintum prorſus tenellum eſt, exilibus, & dodrantalibus ramulis humi fuſis, multa lanugine candida tectis, quia ſubinde ad nodos radices agunt, folia illi ſunt mediæ inter primum & ſecundum genus magnitudinis, breuiora tamen, denticulata valdeq; tomentoſa, quæ adeo cauſa eſt, vt tenellis folijs nulla dentium veſtigia conſpiciantur, niſi à diligenter obſeruantibus; capitella ſuperioribus paulo minora, totaque tomentoſa, in quibus flos purpureus.* Addenda hæc oportuit hoc loco, cum illa ipſo die quo hæc prælo ſubiiciebantur habuerimus, humanitate nobilis ac doctiſsimi Viri, variarumq; linguarum peritiſsimi Ioannis Baptiſtæ Raimundi; in cuius ornatiſsima Bibliotheca variarum ſcientiarum, quamplurima volumina externarum linguarum, Arabicæq; præſertim, manuſcripta omnia, ex Ægypto, Perſia, Indiaq; orientali ingenti pretio empta & delata conſpiciuntur; qui, voluminum quatuor in Dioſcoridem & alios quamplures, Auctore *Ahamad ben Abdeſſamad*, interpretandi copiam fecit, (is enim grauioribus incumbit) ex quibus inter cætera ad hanc rem maximè facientia, interprete peritiſs. viro *Marco Dabelo Partho*, ordinario Arabicæ linguæ publico Romæ profeſsore, hæc Latinè exarauimus, non parum noſtræ de Hyſsopo ſententiæ conſentanea: (plurium linguarum ac ſcientiarũ Summus Pontifex ad publicã vtilitatem profeſsores alit, vt mater liberalium artium Italia præcipueq; Roma cæteris nationibus ſit, atq; videatur.) *Hyſſopum ſiccum*, ex Iſaac ben Emran,

herba

herba eſt oriens in montibus Hieruſalem cuius rami ſuper terræ faciem repunt, longitudine cubitali, aut minus, frondibus & ramis magnitudine ſimilibus magnitudini Maioranæ quã Marzangheus, appellant Arabicè, odore ſuaui, amaro ſapore, & colligitur tempore Veris. Similia in alio quodam volumine cuius adhuc auctor ignoratur habentur, appellantq; Hyſſopum Arabicè *Zufa*, non enim alijs vulgatis nominibus inueniri poterat, niſi ad Pſalmi verſiculũ Aſperges me domine, Arabici voluminis recurreremus; Hæc doctiſs. Io.Bapt. Raimundus probauit, ſicut & cætera de quibus ſuo loco. Sunt & alia Medicæ materiei volumina rariora, ac etiam ſextum Auicennæ librum Canonis Medicinæ conſpeximus, quæ omnia Deo dante, vt Arabicè ac Latinè imprimantur, curaturum ſe in animo habere quamprimum aſſeruit. Nulla itaque remanet coloris florum vel alterius notæ differentia. Viribus quidem ſuam adimplere poſſe hiſtoriam ſatis notum eſſe poteſt, cùm illas Polij tribuiſſent. Vulgatum verò facie longius à Thymo, cum ſit ſpicatis longis virgis, atque ab Origano diſtat: Origanum & Thymum florum capitulis & coma ſimilibus conſpiciuntur; quibus coma capitulis & habitu ſimile Hyſſopum à nobis deſcriptum proponitur, longè aliorum plantas viribus & facie magis reſpondentibus ſuperans. Ex his quilibet aliorum propoſitas plantas rejicere poterit, quare de his hactenus. Huius verò iconem ab alijs Polij nomine ac vice vſurpatam, vt capitulis reſpondentem propoſuiſſe viderentur, minimè vmbellæ modo corymboſam depinxerunt: quòd à viua planta longè alienum videtur, atque ob vmbellatam comam Quatramius Origanum tertium genuinum putauit, vt ſupra diximus.

Androſæmum Campoclarenſe. *Cap. XV.*

DIFFERENTIAM ponit Dioſcorides inter Aſcyrum, & Androſæmum, atque Hypericum eorum genus, vt Androſæmum tenuibus ſit ſurculis, ſarmentoſum, & folia triplò aut quadruplo maiora quàm Rutæ habeat; ex quibus videtur etiam ſurculis eſſe maioribus, ſi folia ſunt tantò maiora, quòd à Plinio refertur. Quare cum Planta hęc maior ſit Hyperico, maioraq; habeat quadruplò folia, virgis ſit etiam maioribus, rubentibuſque, & ſuccum emittat ſanguineum trita coma, nec aliquid deſit, quin Hyperici ſit ſpecies maior omnibus; non dubitauimus Androſæmi nomine illam appellare, & forſan alijs plantis à recentioribus putatis reſpondentio- *Lib.27. c.4.* *Nomen & cauſa.*

K rem.



1. Hypericum hirsutum L. Lam. 4.173
2. H. montanum, L. Lam. 4.172 Sp. hist.

rem. Huius plantæ radix tenuis eſt, obliqua, duos vel tres caules rotundos, rectos, læues, firmos, parum cauos, tenues, cubitales & longiores producens, folia geniculis abſq; petiolo hærentia habentes, vt ferè perfoliata videantur, virentia, læuia, inferne albidiora, nec poros translucidos habentia, vt in Hyperico vulgari, *Perforata*, dicto, quia lucem per poros foliorum tranſmittat: in illorum circumferentia inferna parte nigris punctis inſcripta, rigentia: in caulis imo ſunt rotundiora, minora, & dēſiora ob geniculorū breuitatem, ad medium vſq; caulis ſemper maiora, & oblongiora triunciali longitudine, & ſeſquiunciæ ferè latitudine: è medio caulis verò ad ſummum vſq; ſemper decreſcētia, minora, anguſtiora, vt admodum tenuia ſint. Ex illis alæ prodeunt multæ, & veluti cohęrentes, diuiſam vmbellam conficientes dum adhuc floreſcunt. Origani & Centaurij minoris modo. Flores quidem melini, non diſſimiles Hyperico niſi magnitudine: punctis nigris inſcripti ſecus ora foliolorum florum, atque calyculorum, in quibus puncti illi nigri è pilo tenuiſſimo, breuiſsimoq; ſuſtineri videntur, hirſutiei modo, quod etiam in ſummis foliolis alarum eſt. Defloreſcētibus floribus protendente ſe magis caulis cacumine, alæ illæ diuiduntur, atque aliæ ſuper alias alternatim ſupereſſe videntur: in quibus calyces fructus habēt vt in Hyperico, ſemine intus copioſo nigro minuto vt punctus, qui in orationis fine deſcribi ſolet, quod Dioſcorides notat verbo *κατάγραφος*. Hoc non tantùm in ſeminis effigie atque magnitudine obſeruatur, ſed in florum, calycum, & foliolorum circa fructus ſuperficie, veluti punctis inſcripta nigris atque parum elatis. Odor plantæ, florum & fructuum præſertim reſinoſus atque ſuccum nigropurpureum ſanguineum flores, fructus & ipſa coma vt in Hyperico triti emittunt. In Valle oritur Campoclarenſi vmbroſis; & per Mateſium montem ſeptentrionalibus locis. Iulio menſe floridam inuenimus.

Deſcriptio · *Locus.* · *Tempus.*

Alterum Hirſutum. Cap. *XVI.*

ALTERAM obſeruauimus ſpeciem, quæ cum poros habeat lucem tranſmittentes vt Hypericum, atque caule & ramulis ſit ſubhirſutis vt Hypericum Dioſcoridis, non affirmare audemus cui reddenda ſit ſpeciei, Hyperico vel Androſæmo. Hyperici quidem notam habet hirſutiei ramulorum & fructus inuolucri, quamquam Dioſcoridis textus corruptus videatur, ibi, *κλωνάρια ὑποδάσεα*, quæ

Ruellius & Marcellus Virgilius, *Siliqua ſubhirſuta*, alij, *ramulos ſubhirſutos*, & quidem verbum κλωνάρια, ramulos ſignificare certum eſt, verùm locum in oratione quod ſibi vendicat verbum illud κλωνάρια, ſatis indicat, vel tranſpoſitum, aut potius noſtro iudicio corruptum, & pro illo κεφάλια, reponendum, eritq́; ſenſus apertus, κεφάλια ὑποδάσεα, προμήκη ἐν τῷ περιφερεῖ μέγεθος κριθῆς, ἐν ᾧ σπέρμα μέλαν ῥητινῶδες ὄζον, *capitula ſubhirſuta, oblonga ex rotundo, magnitudine hordei, in quibus ſemen nigrum reſinæ odore*. Sed remaneret corrigendum relatiuum ᾧ, vt οἷς, reponatur, aut poſt, ὑποδάσεα, addere, καρπὸν, προμήκη, & quæ ſequuntur. Verbum quidem προμήκη, tam accuſatiuus neutri pluralis, quàm ſingularis maſculini eſſe poteſt. Nec relatiuum ᾧ, corrigere oporteret. Miramur non parum interpretes quotquot fuerint, non animaduertiſse, ᾧ relatiuum, non habuiſse antecedens verbum ſubſtantiuum, quod referret. Sed hæc potius Commentator rem ipſam veſtigans, quàm linguæ Interpres, animaduertere potuit, ſicut nobis veram plantam perquirentibus Deo dante contigit. Eritq́; ſenſus, *capitula ſubhirſuta, fructum oblongum ex rotundo, magnitudine hordei, in quo ſemen nigrum reſinæ odore*. Sed legatur κεφάλια, vel κλωνάρια, quoquo modo ſit hirſutiei nota remanere certum eſt in aliqua ex dictis partibus. Hæc autem planta magnitudine caulis, & foliorum. Hypericum ſuperat. Androſæmo verò foliorum magnitudo quadrare videtur, at hirſuties in illo nulla deſcribitur. Fruticoſior eſt ſuperiore, qua nota Aſcyro conuenire videtur; ideo dubium erit cui ſit referenda. Nos autem cum aliam ſpeciem hac minorem nouerimus, ab alijs receptã quadrato caule, fruticoſam Aſcyro congruentem à Matthiolo alijsq́: depictum, ſub Androſæmi varietate hanc deſcribemus, liberumq́; relinquimus vnicuique arbitrium, vt pro qualibet accipere poſſit, non enim inter ſe differunt viribus, & parum facie, atque natura. Loca hæc amat rigua, nec ita vmbroſa: in torrentium alueis ſæpius inter ſiccos Æſtate colles inuenimus: radice obliqua, rubeſcente; caules cubitales, rotundi, ſubhirſuti, folia habentes vtrinque hirſuta, mollia, albicantia, lucem è poris vt in Hyperico tranſmittentia, caulium geniculis breuiſſimo petiolo hærentia, à caule parum diſtantia vt in Hyperico; & magis alis diuiſo frequentibus à medio, atque etiam alæ iterum diuiduntur, qua nota à ſuperiore præter alias differentias diſtare videtur. Folia vt in illo in ſummo minora, ſed non adeò etſi minima videantur; quæ verò caulem ambiunt breuiora, magisq́; retuſa. Coma huius ab alijs non differt,

Locus.
Deſcriptio

flore,

flore, calyculis aut diuiſura, niſi quòd maior ſit Hyperico vulgari, & minor ſuperiore Androſæmo. Eodem tempore floret, Iulio nempe: atque trita coma, flores & calyces ſanguineum ſuccum, vt congeneres fundunt. Odore reſinam olet, tactuq; viſcido ſeminum calyculi ſunt. Si quis verò hanc Galeni Aſcyron, vel Aſcyroidem appellare maluerit non videbitur indicio carere: ita quidem Galenus de Androſæmo diſſerens ait. *Androſæmum fruticoſa planta eſt, duplex natura. Altera quæ Aſcyron, & Aſcyroides nominatur, & Hyperici ſpecies eſt: Altera quæ à quibuſdam Dionyſias appellatur. Eſt enim ſemen ipſorum purgandi vi præditum, ac foliorum facultas ſiccat & moderatè exterget, vt etiam ambuſta ſanare credatur: cocta verò in vino auſtero vinum efficit vt magna vulnera glutinet.* Quare Pharmacopæis has maiores Hyperici ſpecies ad vulnerarium oleum vino præparandum accipere ex hoc textu conſulitur. Atque hæc magis Hyperico accedit quàm ſuperior. Non eſt Androſæmon planta illa maxima lignoſa ferè arboreſcens Siciliana dicta, hircinum odorem reſipiens, neque eadem Tragium primum Dioſcoridis vt aliqui ex Recentioribus referunt, legitimumq; cenſent; caret enim lacteo ſucco, & nos eandem cum tragacantha putamus, vel ſimilem, vt aliàs in Phytobaſano noſtro ediximus. pro Tragio magis facie viribusq; reſpondente, ex nobis notis ſi Cretæ orietur frutex ille, (arboreſcens cultu vt Romæ viſitur in Palatio præclariſſimi Ducis Martij Columnæ) à Doctiſs. Viro Carolo Cluſio *Molle* appellatus, à Doct. Gaſp. Bauhino *Lentiſcum Peruanā quæ eadem eſt*, facilè ſupponi poſſe cenſeremus. Veram Dioſcoridis Tragacantham vel Theophraſti neminem adhuc depinxiſſe putamus, nulla ex illis lacteo ſucco predita eſt, nedum turget. Vtinam nobis Cretam videre fas eſſet. Variat *Molle* dicta folijs minimè ſeruatis adulta, germinantibus ramulis ipſis folia ſerrata obſeruauimus, deinde ſerraturis euaneſcentibus.

Tempus. Vires.

Androſæmum alterum Apulum. Cap. XVII.

CIRINOLANVS incultus ager hanc rariorem fundit ſpeciem, fruticoſiorem, ſed non ita longis caulibus. E radice fibroſa rubente, obliqua, plures ſurculos pedales & maiores profert rubicundos & rotundos, limbo alternatim per longum decurrente, in caulis geniculis veluti angulofis, ab imo pluribus alis diuiſis, atque geniculis illorum & caulis foliis binis hærētibus admodum, ex

Locus. Deſcriptio.


Androsæmum alterum Apulum:
Linaria cærulea Apula

ex oppoſito alternatim, atque adeò vt à caule perforata videantur vt in Periclymeno, & Campoclarenſe Androſæmo ſupra propoſito, minora verò acutiora, & infernè albidiora, læuia, & imperceptibilibus ferè punctis nigris per ora depicta; lucem etiam ex poris transmittentia vt Hypericum. Differt ab alijs, nam circa caulis ſummum non decreſcentia & minora, ſed huic ſemper ampliora, & latiora ad caulis vſque cacumen, ipſaq; caua veluti peluiculæ, per ambitum minutis dentibus ſerrata, vt penè fallant oculos. Flores inſunt multi coaceruati, veluti corymbi: quorum calycum foliola, & florum depicta ſunt punctis illis nigris minutiſſimis, non elatis vt in ſuperioribus. Florum botri antequam pandantur rotundiores, & compreſſiores ſunt alijs, & minores, ſed oblongi parumper ſiunt dehiſcere incipientes, colore pallidiores. Aprili & Maio menſe floret. Foliola florum caua & latiora ſuperioribus inſunt, neruisq; per longum ductis; ac etiam vt calycum inſcripta tũc infernè apparent. Coma trita, tam antequam floreat, quàm fructus habens, ſanguineum ſuum emittit quo manus inficit, vt aliȩ congeneres, reſinoſumque emittit odorem. Maio fructus perficit. Differt hæc à Campoclarenſi foliorum tenuitate, quæ illis minora triplò fere videntur, acutiora molliora, & lucem transmittentia, atque in ſummo imis maiora: differt etiam neruorum diſcurſu in folijs, & floribus. Huius ortus in campeſtibus Soli expoſitis calidiorum regionum, illius verò in vmbroſis montibus frigidioribus ſeptentrionalibus locis. Huic plantæ videntur poſſe magis verba illa Dioſcoridis de Androſȩmo referri. μασχάλας δ' ἔχει πλείους ἐπ' ἄκρῳ τεταρσωμένας, περὶ ἃς ἀνθύλλια μικρὰ μήλινα. *alas verò habet plures in ſummo pennatas, in quibus floſculi parui melini.* Verbum quidem illud τεταρσωμένας, *pennatas*, ita propriè accipiendum hoc loco dicimus, vt ſcilicet folia alarum, geniculis obliquè ita hæreant vtrinque, vt alas expanſas imitentur, non autem elata, aut recta, vt in alijs plantis, vel deorſum inclinata; vt in hac planta & priore Androſæmo à nobis deſcripto conſpiciuntur: folia quidem plana rigentia obliq; cauli hærent vtrinque, vt expanſas alas repræſentent. ταρσὸς enim, nedum alarum effigiem pectinatim compoſitam, ſed quicquid expanſam ſuperficiem habet, vt expanſa ala auium. Hæc autẽ ab alijs minus animaduerſa ſcimus Non enim prætereundum eſt hoc loco Dioſcoridem verbo τεταρσωμένα, in Ebulo, alijsque locis vti, & nos Grammaticæ obſeruatione ita diſtinguimus: in Androſæmo Dioſcoridem non folia, ſed ramulos pennatos dixiſſe; in Ebulo verò nõ

ramulos

ramulos aut caulem, ſed ipſa folia τετταρωμένα *pennata*; quare in Androſæmo ſufficit folia obliq; vtrinque alarum modo expanſa ramulis hærere: in Ebulo verò nedum poſitum eundem foliorum requirimus, ſed vt ipſa etiam folia alata, diuiſaq; pennæ modo ſint. Hæc ad Struthij folia perquirenda referre veſtigatoribus non parum videntur; quæ nemo ex commentatoribus adhuc nouiſſe conſtat.

Linaria cærulea Apula triphylla. *Cap. XVIII.*

Locus. *Deſcriptio* VALENTINÆ linariæ a doctiſſimo Carolo Cluſio deſcriptæ folijs accedere paruula hæc planta Cirinolanis agris pratenſibus incultis obuia, quæ radice alba, tenui firmatur, ex qua plures teneri caules pedales fruticant, [aliquando ſingulari caule inuenitur,] læues, albicantes, folijs per genicula ternis Rutaceis paulò maioribus, latioribus, acutioribusq; cinereo colore Rutæ aut Braſſicæ; circa ſummum verò caulis alternatim diſpoſitis, ex quibus *Tempus.* Martio menſe flores primùm coaceruati, cærulei minuti, extumeſcentia labia tantùm lutea habentes, qui paulatim creſcente caule decidunt, & fructus inter folia remanent rotundi, Linariæ alterius modo, in quibus foliaceum latum, compreſſam, nigrum atque reſpectu plantæ magnum. Aprili menſe perficitur. Sapore palatum *Sapor.* calfaciente, nec dulci nec amaro excedente.

Linaria altera botryodes montana. *Cap. XIX.*

Locus. *Etymon.* *Deſcriptio* MONTANA, inculta, & ſterilia loca Æquicolis diligit hæc, quàm à fructu acinoſo, & copioſo botryoſam diximus; & ab illorum poſitu ſpicatam. Summas quidem alas ab imo ad ſummum vſque fructibus ſingulis, binis, aut plurium ternis piriformis refertas habet paruis: in quibus florum rudimenta inſunt lutea, nam flores non ſemper poſſunt obſeruari aperti, qui foliolis quatuor exiguis luteis conſtruuntur; prius enim fructum quàm flores edit inter anguſta & parua foliola lino æmula & minora, alternatim per alas diſpoſita ſingula, & ex illorum ſinu alia bina puſilla, quæ baſim fructibus cõficiunt, & vbi fructus deſunt, in caule & alis minimè proferuntur. Caulis bipeda lis eſt, rotundus virens, ſolidus, læuis, alis vndique diuiſus, atque ab alis ad radicem vſque denudatus, folijs facilè defluentibus, atque exortus ſigna reliuquentibus:

vt in

vt in Tithymalis. Radix verò bifurcata, fibris raris diuiſa, alba & lignoſa. Septembri & Octobri menſe perficitur. Saporè herbaceo planta eſt. Fructus cortice virente exuto, libro intus nigro tegitur, medulla verò interior alba ineſt, vſus nullius, & incomperti. *Tempus.* *Sapor.*

Chryſocome Dioſcoridis & Pliniј. Cap. XX.

HAVD quidem hãc improbaſſet Lobellius vel Pena, &ſi ſpontè ortam tunc temporis legiſſet; at quia in horto Brughelij & Coudenbergij ſe vidiſſe refert illam Æſtate lætè florentem, non minus, ſi aliam longè differentem propoſuit. At nos qui illam, antequam de ea cogitaſſemus, in Monte Caſtri Vulturariæ excelſo, arboribus conſita, & vmbroſa via, quam Apuliam petentes aſcendimus, Autumni tẽporibus floridam, aurea emicante coma allecti, copioſam eruimus, atque odore naribus admota, contrariam ſententiam recepimus. Non enim natalis locus, montanus, petroſus, atque vmbroſus, nos tantùm mouet, qui præcipuus eſt in ueſtigandis plantis, & à Dioſcoride hic notatur, φύεται ἐν παλισκίοις καὶ πετρώδεσι. *Oritur in vmbroſis & petroſis*. Sed aureis corymbis prædita coma, atque totius habitus plantæ, cuius delineatio à Dioſcoride ſic tradita fuit. Χρυσοκόμη ῥαβδίον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, ἔχον κόμην κορυμβοειδῆ, ὁμοίαν ὑσσώπῳ. ῥίζαν δασεῖαν, λεπτὴν, ὡς ἐλλεβόρου μέλανος, γευσαμένῳ οὐκ ἀηδῆ, κυπέρῳ ἴσην οὖσαν ἐν τῷ γλυκεῖ ὑπαύστηρον. φύεται ἐν παλισκίοις καὶ πετρώδεσι. *Chryſocome virgula eſt dodrantalis, habens comam corymbaceam, ſimilem Hyſſopo. radicem hirſutam, tenuem, vt Ellebori nigri. guſtanti non iniucundam, Cypero æqualem exiſtẽtem, in dulci ſubauſteram. Oritur in vmbroſis & petroſis locis*. Ex qua delineatione præter foliorum notam, tota planta deſcribitur. Plinius verò ita de ea tradit, *Chryſocome, ſiue Chryſitis non habet latinam appellationem*. (Sed Latinis diceretur Aurea coma.) *Palmi altitudine eſt, comantibus fulgore auri corymbis; radice nigra, ex auſtero dulci, in petroſis, opacisque naſcens*. Planta verò à nobis in Vulturariæ monte collecta, non altiorem virgam habebat pedali menſura, omni inibi obſeruata: in hortis verò tranſlata maiorem fieri ſcimus. Folia habet parua, anguſta, lini modo, maiora parum, atrouirentia, carnoſa, læuia, parum ſplendida, per interualla alternatim rotundæ virgæ atque læui diſpoſita, ac circa radicem longiora, lãtioraq; parum obſeruauimus, e radice tenui æqualiter fibroſa, carnoſa, parum lignoſa, guſtu ex dulci auſtero, vt à Dioſcoride notatũr, aliquam cum nigro Elle-

Locus. *Tempus.* *Lib.4.* *Lib.21. c.8.* *Deſcriptio*

L boro



2. Chrysocoma linosyris, L. [illegible]

boro ſimilitudinem, fibrarum multitudine tenuium habente, colore nigreſcentium, itemq; à ceſpite ſimiliter prodeuntium; obliquè ſe propagante, vt Valeriana ſylueſtris, & Ruſcus. Caulis verò in ſūmo in plures ramulos veluti inordinatam vmbellam, ſed rotundam diuiditur, bullas ſiue capitula denſa corymborum modo plura habēs, q̄ luteos edūt floſculos minutos, ſtellatos, quinquepartitos, ſplendentes, odoratos ſuaui odore, Octobri menſe, qui non diutius, vt de Elichyrſo fertur permanent, ſed facilè & eodem menſe in pappos euolant, ſemina ſubtus perficientia, oblonga, compreſſa, cinerea. Folia verò ſapore ſunt aromatico calfaciente. Radix quidem non iniucundo odore, & ſapore vt diximus. Quare Dioſcoridis delineationi admodum natali loco, facie, ſapore, & viribus reſpondere videtur. Nec vt Pena mauult, radice eſt, rigida, quia ſic planta ab ipſo propoſita erat; atque legit, δασεῖαν in Græco textu, atque licentiam interpretandi arripit; nec animaduertit eadem voce adiectiua pluraliter, δασείας, (acuto accentu,) in Dryopteride Dioſcoridis, *hirſutas*, interpretari, nec ibi *rigidas* verti; & in Dioſcoridis textu in capite noſtro δασεῖαν, per circumflexum ſcriptum eſſe, ſicuti in Polypodio, nec accentu ſignificationem variari, ſed *hirſutam* interpretari, *villoſam* ſcilicet, aut *piloſam* vt Plinius vertit: atque differentiā accentus eſſe, nam ſingularis caſus δασεῖαν, circumflectitur, & pluralis acuitur, δασείας; ratione ſyllabæ vltimæ, ας, longæ, quæ ſi conſideraſſet haud verſionem mutaſſet, vt ſuæ opinioni reſponderet. atque δασὺς, verbum opponitur, λεῖος, nec vllo modo extorqueri poteſt, vt, pro *rigido*, accipiatur, ſed rectè pro, *piloſa*, *hirſuta*, ſicuti hoc loco intelligere videtur Dioſcorides, cum ſimilem fecerit Elleboro nigro, cuius radix fibroſa eſt, vel cirris hirſuta, ſiue fibris, eique ſimilem Chryſocomæ radicem facit. Nec tenuis radix vt hîc Dioſcorides notat verbò, λεπτὴν, rigida eſſe poteſt, niſi in totum lignoſa ſit, atque tunc Elleboro diſſimilis, cum illius flexilis ac carnoſa ſit fibris. Quapropter Dioſcoridis textus non eſt immutandus, nec alio modo extorquendus, ſed rectè & propriè interpretandus, qui radicem *tenuem*, non *nigram*, dixit, & ſimilem Elleboro nigro propter fibrarum tenuitatem: verbum enim adiectiuum μελάνος, ſic in omnibus legitur, *Elleboro* refertur, non *radici*, quæ fœminini generis eſt: nec in Dioſcoride μέλαιναν, legitur vt Lobellius corrupit: nec oportebat adiūgere ſimilitudinem Ellebori, ſi nigra tantùm eſſet, ſed ſuffeciſſet nigram dicere vt Plinius rſcipſit, à quo forſan motus eſt Lobellius, ſed Plinium non Dioſco-

Sapor.

L 2 ridem

ridem interpretari debebat. Hanc diuerſitatem animaduertit etiã M. Virgilius: Nec etiam ἁρμοζύσαν, vel συμμοιάζαν, vt idem Lobellius corrupit in aliquo textu legitur, ſed ἰσηνοῦσαν. & ita ab omnibus incorruptus recipitur textus. Planta igitur hæc ſatis reſpondere videtur, eò magis quia nulla indiget textus extorſione. Vires huic Galenus acres, ſimulq; adſtringentes tradidit, atque non multi vſus eſſe ait, ſed quo exceſſu calefaciat, vel ſiccet non adiunxit. Non illam vidit forſan, & Dioſcoridi aſſentit, qui ait, *Vim habet radix calefacientem, & adſtringentem, hepaticis & peripneumonicis commodum. Eadem cum aqua mulſa cocta ad vteri purgationem aſſumitur*. Plinius verò addit, *Vulua dolores in aqua mulſa decocta, ciet menſtrua, & ſi cruda detur hydropicorum aquam*. Non eſſe Chryſocomen Dioſcoridis Amaranthum luteum vulgò dictum, ſiue ſtœchadem citrinam, ſed potius verius Elichyrſum, ex natali loco primùm conſtat, illa quidem maritimis præſertim atq; ſoli expoſitis locis, ſaxiſque, tenuibuſque locis gaudet, nec in vmbroſis ſyluis, & montibus arboribus confertis, ſed nudis ſaxoſiſque locis Soliq; expoſitis, vt perquirenti notum erit, nec radice hirſuta fibroſa ſcilicet atque tenui, ſed craſſa ſingulari rigida, lignoſa, nec ſapore, nec odore reſpondente vt idem Pena & Lobellius teſtantur, nec deſcriptioni, quia multa obſtare videntur, vt ex verbis ſupra corruptis ab ipſis oſtendimus, & alias dicemus. Hanc Recentiores alio nomine non inuento à foliorum ſimilitudine, ſicuti Dioſcorides comam, Linariam auream, à florum confertorum colore dixerunt. Noſtræ plantæ ſimilis depingi videtur in Vetuſtiſſimo Græco Herbario Neapoli in ornatiſſima Bibliotheca S. Ioannis Carbonariæ nuncupati, cuſtodito.

Vires.

Perfoliata minima Bupleuri folio. *Cap.* *XXI.*

Deſcriptio

INTER vepres in Collibus Campoclarenſium plantula hæc inuenitur, radice tenui, puſilla, ſingulari, lignoſa, ex qua folia anguſta, oblonga triuncialia, læuia, duriuſcula, per longum neruoſa, Bupleuri anguſtifolij modo, colore nigrouirentia in pinguioribus, & pallentia in ſiccioribus & tenuioribus locis, & molliora, bina ex oppoſito vno verſu ferè diſpoſita in imo caulis; qui ſingularis, ferè dodrantalis, tenuis vt feſtuca, angulosus, paucis deinde foliolis alternatim hærentibus; in ſummo habens veluti vmbellam foliaceã Perfoliatæ vulgaris modo. Huius vmbellæ baſis quinque foliolis

ſtellæ

ſtellæ modo radiantibus conſtruitur, oblongis, in acutum deſinentibus Myrti effigie, paruis, pallidis, cartilagineis, intra quæ veluti corymbi, ex paruis petiolis breuibusq́; prodeunt quinque, aut minus, flores habentes luteos puſillos, conceruatos, baſim aliam ſtellatam, quinque partitam anguſtiorem, minorem prima, Perfoliatæ vulgaris ritu habentes, quæ ſeminibus ſe perſicientibus pericarpij modo illæ concludit, vt etiam in Perfoliata obſeruatur; ſemina bina Ammeos Apuli magnitudine ex nigro rubentia, parua, dura, translucida, ſapore parum aromatico, ſicut & radix magis, quamuis admodum tenuis ſit. Folia verò & caulis, amaro ſapore, ac etiam ſemen. Iunio floret, & perficitur. Inuenimus etiam Copioſam in Cappuccinorum Syluula Flaminiani Villæ Æquicolorum. Quia coma vmbellata Perfoliatæ vulgaris effigiem referebat, idem nomen impoſuimus, nam præter effigiem ſupernam ad illius naturam maximè accedere viſa fuit. *Sapor.* *Tempus.* *Locus.* *Nomen.*

Bupleurum tertium minimum. *Cap.* *XXII.*

BVPLEVRIS duobus à Recentioribus propoſitis, hæc propter folia anguſta, flores luteos, & ſemina quodammodo quibus affinis videtur, tertij atque minimi propter tenuitatem Bupleuri nomine appellanda, illorumq́; familiæ reddenda viſa fuit. In ſiccis agris, & illorum marginibus Æſtate Cirinolæ oritur, atque cum Kali cocleato inuenimus copioſam, radice parua, tenui, fibroſa, lignoſa, flaueſcente, guſtu dulci, ex qua caulis tenuis admodum, & ſeſquipedalis ad ſummum, alis ab imo diuiſus frequentibus, vt fruticoſa videatur, ſupinis & longis. Cauli folia hærent alternatim anguſta, elato dorſo, acuto cacumine, non pungente propter foliorũ mollitiem, caua intus veluti Cyperi, colore cinereo, triunciali longitudine, Lino multum anguſtiora, in ſummo verò breuiora & admodum tenuia, ex quorum ſinu breues alæ, tenuioresq́; prodeunt, in quorum cacumine veluti baſim habent minutæ veluti vmbellulæ, quatuor aut quinque foliolis conſtructam, in qua flores lutei, denſi, parui Vmbelliferarum more: quibus ineſt ſemen duplex cum perficitur Apij magnitudine, vel Aniſi fuſco colore. Floret à ſummo, vt reliquæ vmbelliferæ, & ſemen perficit. Deinde in imis partibus paulatim, vt tota Æſtate duret, atque floribus & ſemine perfecto inueniatur Auguſto & Septembri menſe. Folia, flores, & ſemen commanſi parum amaroris & aromatis habent, in guſtu cum modica *Nomen.* *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.*


Panax Aſclep:
Apulum

dica caliditate. Semine adeò prægnans eſt hæc plantula tam parua. *Sapor.*
Inuenitur minus alis imis diuiſa aliquando, vt vnicaulis ſit.

Panax Aſclepium Dioſcor. & aliorum, Gummiferum.
Cap. XXIII.

NVLLAM, quod viderimus, adhuc Panaci Aſclepio antiquorum plantam congruentem, ab alijs depictam nouimus. A Matthiolo verò ficta noſtro iudicio depingitur, nulla addita hiſtoria, vt in Heracleo & ſimilibus 40. ferè ſolet, primus vt videatur inuentor: & à Pena & Lobellio exarata, de qua non ſine ratione conqueritur, aduerſus Matthiolum verba vertens vt ſolet: quare illam parui faciendam duximus. Addidit alteram Pena caule & radice Anethi, vt referunt, & ſemine Ferulæ, ex Hiſtria allatam, quæ rectè perpenſa ex eiuſdem hiſtoria nihil cum Panace Aſclepio commune habere perſpicitur. Nos autem in Apulia frequentem, & facilis commercij plantam proponemus, ni fallimur, effigie, odore, atque guſtu magis Aſclepium Panacem referentem. Quam guſtu, & odore, ex genere Panaceo eſſe ex Theophraſto collegimus, qui Herculanæ Panacis radicem amaro guſtu, & odore thus ſyncerum redolere aſſerit, quas notas in radice plantę à nobis depictæ ineſſe quiſque guſtu percipiet: nec in Apulia Theophraſtum habebamus, cum plantam hanc eruimus, guſtauimus, depinximus, atque notas apud iconem, ſaporem & odorem deſcripſimus. Radicem habet tenuem longam, pollicis craſſitie, cortice craſſo, ſubflauo ex albo foris, intus candido fungoſo; obliq; totam rugoſam; copioſo lacte viſcoſo, candido turgidam; vt gummi ſtatim concreſcente, amaro, ingrato, ſed aromatico vel medicato acri guſtu: medulla intus parua, lignoſa, alba; gummi etiam inuenitur ſapore & odore Thuris, verum amaro; cuius caput piloſum eſt villis foliorum marcidorum. Folia non alia habet quàm propè humum in orbem ſparſa, atque conuexa circa caulis imum, quæ capillaria ſunt, minutis lobulis denſis diuiſa Millefolij vulgaris modo, atque hirſutis, vt Dioſcorides notat, quod in alijs non obſeruatur, in petiolorum alis, ſiue coſtis hærentibus Fœniculi ſimilitudine, verum maiora. [totum folium πολυτριχόφυλλον intelligendo,] quod in coſtas ſeptem diuiditur à petiolo, quinque maiores, & duas verò paruas in imo obliquiores, circa craſſum petiolum rotundum, atque cauum hirſutum; ſeſquipedalis longitudinis ab radice totum folium. Lobuli verò minuti

Deſcriptio

Lib. 9. c. 12.

Sapor.

ſunt

ſunt admodum & ſylueſtri fœniculo breuiores, & hirſuti. Folia vireſcunt primùm,ſed cum caule flaueſcunt. Caulem ex eorum centro profert ſingularem Fœniculaceum, bipedalem, aut tripedalem ad ſummum, tenuem, geniculis ſiue nodis abſque folijs diſtinctum paucis,rectum, nudum foliis, in cuius cacumine vnicam aut duas vmbellas rarò tres inuenimus, (adeò alis caret,& foliis in caule, magis quàm Thapſia ſiue Turbith Apulum dictum,) Iulio menſe floribus luteis onuſtas,amplas dodrantali diametro:planas.verùm ſemina perficientes,extuberantes rotundantur. Semina foliacea ſunt duplicia,alata, vtrinque binis cartilaginibus, vt in Thapſia dicta,in quibus,& in vmbellæ centro, atque etiam in caule aliquibus concretum gummi flaueſcens,odoratum inuenimus adhærens. Semen verò cartilagine denudatum, oblongum, amarum, acre,& eodem radicis odore. Hanc neminem depinxiſſe adhuc ſcimus, & forſan inuiſam & incognitam, ſed apud hortos translatam Romæ vidimus degenerantem, nunc autem pro Panace Aſclepio à nobis propoſitam, quæ ex Antiquorum placitis his notis prædita erit. Radicem vt habeat longam, pedalem, albam, ex Theophraſto, & Dioſcoride:craſſum corticem,& craſſam radicem ex Theophraſto. Folia ex Dioſcoride fœniculo maiora hirſutioraque. Caulem ex vtroque geniculatum:flores luteos ex Dioſdoride: odor Thuris ex generis ſimilitudine, quod Herculanum ſtatuit ex Theophraſto. Radicis lac concreſcens atque gummi modo hærens atque flaueſcens ex Dioſcoridis Herculeo,& Aſclepio ex Plinio & Meſue. Nomen verò ex Aſclepio, vt Plinius ait, *Quoniam is filiam Panaciam appellauit*. An autem Salſum, corticem habeat, propter acrem, amarumq; ſaporem non obſeruauimus,nec tunc in mentem venit: fieri enim poſſit,cum locis exeat ſalſuginoſis& nitroſis,qualia ſunt Apuliæ,& præſertim Cirinolæ,in qua Kali cochleatũ oritur in hortis,& Halymus;ἁλικώδη, quidem non modo *ſalſus*,vel *maritimus*,ac etiam *humore plenus* interpretari poteſt,vt apud Hyppocratem,& rectius. Hanc autem propè vineam Reguli, *Acqu amena*, dictam eruimus & copioſam inuenimus,edito deuexoq; loco Septentrioni aduerſo. Quibus &ſi in aliquibus ex Dioſcoridis, Theophraſti, & Plinii notis planta hæc euariare videtur, quia & textus corrupti ſunt & euariant,vt M.Virgilius animaduertit ſuis in Dioſcoridem doctiſſimis Còmmentariis,ac etiam intellectu ambiguavideantur, non tàm ſtrictè conferendos, neque hùc inſerendos cenſuimus. Non tamen putamus quin Planta hæc Aſclepium Panax, non refe

rat,

rat, cæteriſque ſit anteferenda, donec meliorem inueniamus. Ex huius radice, quam craſſam fieri vetuſtate percepimus, & bipedalem, in taleolas diſſecta copioſum collegimus gummi, atque ſpontaneum Terebynthinæ ſiue Arabici gummi colore, pellucidum atque diaphanum, quod autem è taleolis parum flaueſcit igni exceptum. Odore thuris æmulo, guſtu amaro acri. aqua madefactum lacteſcit, atque difficilè ſine calore ſoluitur. Taleolis aduolarunt auidè apes ſuccum deuorantes etiam viſcoſum.

Aniſomarathrum Apulum. Cap. XXIV.

NVSQVAM viſa, minusq; nota, ni fallimur, hæc eſt: non niſi in Cirinolanorum ſyluula propè D. Rocchi ædem collecta: effigie rara, gratiſſima, tenerrima, ac ſuauiſſima in olere accepta: quã à ſuaui odore, & ſapore, quem medium inter Aniſum & Fœniculũ refert, *Aniſomarathrum* appellare maluimus. Dodrantalis planta eſt, tenella, tenuibus ab radice admodum exili, alba, dura, capillaribus foliolis, Ameos Apuli ſylueſtris diuiſura multiplici, non ita denſa, Chamæmæli folijs proximis, tenuioribus, atque hirſutis tribus, aut quatuor. Caulem producit dodrantalem, tenuem, admodũ, Iunco tenuiorem, neruoſum fœniculaceum, læuem, rotundum, paucis alis diuiſum, folijs maioribus hærentibus, in quibus flores non in vmbellam aperti, ſed corymborum modo denſi, ex baſi foliacea, albicantes, minuti, quinque foliolis paruis, anguſtis, conſtructi, quorum vnicum longius, vt ſtellam caudatam effigient Cometæ modo. Quibus ab initio veluti ſiliquulæ ſubſunt, quæ dum creſcũt, flores in cacumine inſidentes, dum adhuc teneræ ſunt, ſubleuant; atque in ſiliquarum cacumina paulatim Veneris Pectinis modo plantæ deferunt. Floribus deciſis omnibus, ex baſi illa foliacea vmbellarum petiolis expanſis ſimiles ſiliquulæ in acutum deſinentes parum in imo craſſiores decem, aut duodecim remanent elatæ, quarum acies purpuraſcit, ſicuti & ſiliquulæ etiam teneriores: quæ cum perfectæ ſunt, efficiuntur aſperæ, atque ab imo diuiduntur, quæ eædem ſemina ſunt, cacumen vero binos aculeos puſillos habet. Caulis ſummum, & alarum ſemper in binas diuiditur alas æquales, expanſas: in quibus pares vmbellæ, niſi in vnicam aliquando degeneraret. Tota planta odorem & ſaporem Aniſi & Fœniculi medium fundit, guſtu ſuaui in mandendo, atque pro olere accipienda. Aprili & Maio menſe inuenitur, deinde deperditur. Huic ſimilẽ ſemine

Locus. *Deſcriptio* *Sapor.* *Tempus.*


Aniſomarathum

nouam plantam videtur doctiſſimus Gaſpar Bauhinus in ſuo Matthiolo pro Scandice adpoſuiſſe, & nobis dulcis ſapore eſt: illamque forſan ex à me miſſis Ferdinando Imperato viro naturalium rerum peritiſſimo ac ſtudioſiſſimo eſſe potuit, cùm è Neapoli acceptum ſemen dicat, multis annis à nobis Cirinolæ obſeruatam & Imperato cum alijs dono miſſam. Nos autem ex viua planta iconem delineauimus, qua potuimus diligentia & obſeruatione. Similiorē depictam poſtremò vidimus in Plantarum hiſtoria nunc in lucem folij forma edita à Doctiſſimo atque Clariſsimo viro Carolo Cluſio, quam ab Honorio Bello Medico Cidoniæ Cretæ Anthriſci nomine acceptam refert; De qua Plinius loquens ſimilem, atque eandem eſſe ait, quæ Scandix, (*ſi tenuiora folia, atque odoratiora haberet,*) Hæc autem nobis odorata eſt admodum atque ſuauis, folijsq́; minutiſsimis, vt nō ſolum Paſtinacæ folijs, ſed Fœniculo æquiparentur; quare Anthriſcum latiora folia ſcandice Plinij ſententia habere oportet, minusq́; odorata: nam ideo Anthriſcus non eſt eadem planta quæ Scandix, quia non habet tenuiora & odoratiora folia, vt Scandix, ſed latiora, minusq́; odorata. Oritur & in Valuenſium montibus, ibique planam florum vmbellulam habere obſeruauimus. *Lib. 21. c. 22.*

Echinophora πυκνόκαρπος *an Dioſc. Gingid.* Cap. XXV.


SI Gingidij nomine decoranda eſt planta aliqua, primum hæc inter deſcriptas à Recentioribus habere poſſe locum videri poteſt. Nulla melius ſyluestrem Paſtinacam folijs imitatur, poſitu, inciſuris, & ipſa ſubſtantia: De qua Dioſcorides loquens, Paſtinacę ſimilem fecit ſyluestri, tenuiorem: herbulamq́; appellauit verbo βοτάνιον. Plinius verò, ſimillimam fecit, & Dioſcorides de ſylueſtri Paſtinaca ſcribens, ſimilem fecit Gingidio, latioribus verò folijs: quapropter non ſine ratione nobis videtur ſub hoc nomine Gingidij deſcribi poſſe plantam à nobis depictam, Paſtinacæ ſilueſtri ſimillimam, minorem, illa multò vt herbula dici poſſit, nec niſi vmbella differentem, qua dignoſcitur à Paſtinaca. Huius radix craſſitie, & longitudine minor eſt ſylueſtri Paſtinaca, albicāte, eſui apta, acris parum, amariuſcula, aromatico odore in mandendo, & olfactando, reſinæ odore, vel Pice; vetuſtior verò lignoſior, & in ſummo rugoſa: Folia ei prima, parua multùm, longis petiolis ſylueſtri Paſtinacæ modo hærentia, non circa medium ad ſummum denſa, ſed *Lib. 20. c. 5.* *Deſcriptio* *Sapor.*

M 2 per

per totum petiolum magis diuiſis alis diſpoſita, tenuioribus etiam, ſed ſimilibus inciſuris: circa caulem verò latiora, & maiora primis multùm, læuia, teneriora q́; Caulem mittit bipedalem ad ſummum ſed minorem, læuem, ſtriatum, parum anguloſum, ſolidum, virentẽ, alis ab imo diuiſum paribus, vt plures, ferè caules edere videatur. Horum geniculis folia circa medium breuiore petiolo diſpoſita hærent, latiora, minusq́; inciſa: circa verò extremum breuiora, minora ſunt, & aliquando degenerantia in longum, minusq́; inciſa, vel nihil, vt in pictura demonſtratur. Ex ſingulis verò alarum geniculis longo & pedali nudo cauliculo craſſiore, ac rectiore inſunt vmbellæ caulem terminantes. Sed ex eodem geniculo inter vmbellæ cauliculum, & folijs hærentis folliculum caulis producitur tenuior in longum magisq́; obliquum, alias alas, & geniculos eodem ordine ad finem vſque vmbellas relinquentes. Vmbellæ verò cauliculus antequam in vmbellam diuidatur, baſim illi conſtruit in quinque foliolis ſtellatis, quorum ora limbo albo circumdantur, eorumq́; vnicum in longius duplò degenerat; & antequam flores in vmbellam expandantur, illos veluti folliculo incluſos ſeruabant. Ex quibus quinque etiam panduntur tenues petioli duas vncias longi, vel magis, qui vmbellæ circumferentiam terminant, intus verò tres vel quatuor minores habent, plenam vmbellam reddentes atque planam. Hi quidem petioli aliam minorem baſim, quinque etiam minoribus foliolis albo etiam limbo terminatis, vt in inferioribus habent: ex qua etiam quinque breues ac multò tenuiores veluti ſtamina exeunt petioli, quinque ſtellatos flores paruos albos etiã habentes, alios internos circundantes, vt in Paſtinaca & ſimilibus: illorum verò exteriores quinque ab interioribus hoc differunt, vt bina habeant foris dependentia foliola maiora, barbulæ modo, vt Galericulati flores habent: quorum tribus exterioribus Vmbellæ circumferentiam terminantibus, maiora folia ſiue barbulæ dependent, Rutæ folijs forma & magnitudine ferè, quod omnibus exterioribus floribus euenit, vt vmbellæ circumferentia tota albis barbulis dependentibus circundata videatur. Quibus omnibus & ſi fructus ſubſit paruus, hirſutus, virens: exterioribus tamen quinis illis barbulas habentibus, & medio craſſeſcit & ad maturitatem perducitur, quia forſan maiore abundant alimento, ita natura plantæ conſtituente. Fructus hi craſſeſcentes duriores aculeos habent, ex viridi albicantes, & poſtea flaueſcentes, & in ſummo cornicula obliquè tendentia, alba, tenera, in extremo tuberoſa vt Limacæ cornicula,

nicula, circa fructus latera reſpicientia, canaliculo ſignata læui, quo deſunt aculei, quæ parte ſiccato fructu diuiduntur, ſemina intus bina oualia habentes, lata compreſſa, parum caua, acria, amara, aromatica, odorata, & reſinam olentia ſicuti tota planta. In illius vmbellæ, petiolis, & caule parum gummi hærens reperimus Picæ modo album ſapore acuto, & odore Reſinæ. Iunio floruit, & Iulio menſe perficitur Campoclari, locis incultis, ſaxoſis. *Tempus. Locus.* Hanc videntur Recentiores pro Caucalide depinxiſſe, de qua infra dicemus, & an reſpondeat. Matthiolus pro Gingidio plantam latifoliã depinxit domeſticæ ab ipſo dictæ, & ſatiuæ Dioſcoridis perperam putatæ ſimilem, neque animaduertit Dioſcoridem non Paſtinacæ ſatiuæ, ſed ſylueſtri Gingidium ſimile feciſſe, ibi βοτάνιον σαφυλίνῳ μὲν ἐοικὸς ἀγρίῳ λεπτότερον &c. *Herbula ſtaphylino quidem ſimilis ſylueſtri, tenuior*, &c. *Lib. 2 c. de Ging.* etiam Paſtinacam ſylueſtrem folijs ſimilem Gingidio verum latioribus. ibi, σαφυλῖνος ἄγριος φύλλα ἔχει ὅμοια γιγγιδίῳ πλατύτερα, &c. *Staphylinus ſylueſtris, folia habet ſimilia Gingidio, latiora*, &c. *Lib. 3. c. de Paſtin.* nec aliam inter ſatiuam & ſylueſtrem paſtinacam eſſe differentiam, præter magnitudinem cultu prouenientem atque vberiore alimento. Ex quibus quantùm aliorum Gingidium differat ab hiſtoria Dioſcoridis ſatis videtur indicaſſe. Vires Gingidio has Dioſcorides tribuit, *Editur crudum & coctum, & ſale aſſeruatum. Eſt autem ſtomacho commodum, ciet vrinam, & decoctum ipſius potum cum vino veſicæ vtilis eſt*. *Vires.* Galenus verò. *Plurimum*, inquit, *in Syria naſcitur & editur, ſimile apud nos Scandici. Eſt autem ſtomacho valde commodum, ſiue crudum, ſiue feruefactum edere ipſum velis: longiorem autem cocturam non ſubſtinet. Quidam edunt ipſum cum oleo & garo: quidam etiam vinum aut acetum addunt: & multò magis commodum eſt. & auerſantibus cibum appetentiam facit, ſi cum aceto edatur*, &c. *de Alimentis. 2.* & Rurſus, *Gingidium quemadmodum guſtu, amaritudine, & adſtrictione participat: ita temperamento caliditate & frigiditate. iuxta ambas qualitates ſiccat. Et ſtomacho commodum eſt, eo quod non pauca adſtrictione participat*. *de Simp. phar. lib. 6* Echinophoram appellauimus quia fructus admodum aſperos Echini modo proferat:-

Echi-



2. Caucalis platycarpos L. Spec. plant. Lam.

1. Daucus muricatus. Spec. plant.

Echinophora altera aſperior πλατύκαρπος.
Cap. *XXVI.*

ASPERIORA loca hæc amat,macilenta,inculta,ſaxoſa ſiccioraq́; , & à ſuperiore differt,radice,quæ minor eſt ,alba lignoſa cum cauleſcit,ſapore,& odore aromatico,at dulciore : Folijs etiã, quæ breuiori petiolo hærent, & è medio illius circa ſummum denſa magis,vt in ſyluestri Paſtinaca,parum latiora,& in aduerſa parte parum in dorſo hirſuta.Caulem habet parem ſuperiori, læuem, anguloſum,ſolidum;medulla fungoſa,eodem modo alis diuiſum ; vmbellas habentem cauliculis pedalibus incumbentes,quorum baſis non quinque,ſed tria foliola limbo etiam candicante circumſepta habet , quæ folliculi vicem gerunt antequam vmbella prodeat, & longiora ſunt illis alterius plantæ,& anguſtiora:quorum tertium degenerat ſemper in longius , & in extremo inciſuris aliquot diuiſum.Ex baſi vmbella non rotunda , & plena, ſed tribus tantùm corymbis trifida , tribus petiolis: in quorum cacumine alia tria ſunt foliola minora florum baſim conficientia:& flores ſunt denſi , albi, ſtellati:& qui circumferentiam terminant,barbulas habent omnes, minores multò antedictis;& non rotundã vmbellam magnam,vt in antedicta,ſed tres vmbellulas ex ſingulis tribus illis petiolis efficere videntur.Differt hoc etiam,nam &ſi flores denſi , & plurimi ſingulis petiolis inſint,bini tantùm fructus ad frugem perueniunt, ita vt ſex tantùm in tota vmbella inſint : maiores verò antedictis duplo:ouales,compreſſi,vnguis indicis digiti magnitudine,admodum aſperi aculeis rigentibus , craſſis , pyramidalibus , pungentibus, purpuraſcentibus , quorum aliqui maiores ordine diſpoſiti , per latera læuem canaliculum relinquunt , per quem ſiccati fructus lateribus ſe diuidentes dehiſcunt , & bina ſemina oſtendunt oualia , compreſſa , magnitudine Melonis , parum ab vna parte caua , & altera conuexa , acri , amaro & aromatico ſapore . *Sapor.*
In cacumine verò fructuum bina inſunt cornicula ſiue apices recti minimi. Iunio floret, & Iulio menſe perficitur, Campoclarenſium incultis . *Tempus.* *Locus.*

-:::-

Echino-

Echinophora tertia λεπτόφυλλον *purpurea.* *Cap. XXVII.*

MAGIS hæc quadraret Caucalidi, ſi pro illa depingenda eſſet ab alijs nondum deſcripta, niſi floribus eſſet purpureis; folia quidem habet tenuiora, & antedictis omnibus minora, pluribus minutioribusq; inciſuris diuiſa Officinarum vulgari putato Dauco, in ſaxis & vetuſtis muris naſcenti, ſimilia: quare illū, quia Daucus ſylueſtris etiam appellatur Caucalis, & hirſuto ſit caule, craſſoq; & his teneriore, eſuiq; apto, & albam vmbellam odoratamq; habeat, atque ſylueſtris Paſtinacæ modo, ſiue Dauci vulgaris clauſam, auicularum nidum referentem, vt Nicandri tralator in Theriaca vertit, facilius reciperemus,

Caucalis.

——— *& ſimilans nidum Daucus,*

Ibid de Paſt. marina.

Vel Paſtinacæ ſylueſtri ſimilia ſemina Caucalis habere debet, eiuſdem teſtimonio;

Carpe breuem quoque Caucalidem natalibus aruis,
*quæq; adeò huic ſimilis producit ſemina * Daucus.*

** In Græco textu* σταφυλίνου *ſ. Paſtinaca.*

Hæc autem radicem habet tenuem admodum, albam, lignoſam, cauleſcēs: Caulem verò lignoſum, anguloſum, ſolidum, veluti ſtriatum, medulla intus fungoſa, alba, hirſutum, ſed ſupernè rara hirſutie aſperum: alis pluribus ab imò & ſupernè diuiſum; folijs per genicula denſis, inciſuris tenuibus, lobis Officinarum Dauco, ſiue Caucalidi nobis ſimilibus, minoribus & infernè hirſutis, cauli hærentibus: ex quibus petioli ſemipedales, vmbellas trifidas habentes exeunt, abſque folijs illis baſim conſtituentibus, ſed nudi tres vmbellulas corymborum modo habentes purpureas, inter ſe diſtantes, & flores paruos admodum habentes purpuro rubentes: quibus ſuccedunt ſingulis tribus petiolis, tres fructus: vt nouem quælibet vmbella habeat; ijq; terna folia parua baſim conficientia. Fructus huius maiores ſunt ſuperioribus, rotundiores, aculeis durioribus, craſſioribus, luteſcentibus, octo ordinibus per longum diſpoſitis, intra quos breuiores, & viridiores alij ſunt; in cacumine veluti ſtellulam habent viridantē. Hi non per latera diuiduntur, ſed per medium, vt Fœniculi ſemina, & intus ſemina ſingula alba, oblonga, rotunda, ex vna parte canaliculata, velut Triticū, aut Far, vel nudum hordeum, cui paria ſunt, vel oblongiora: ſapore aromatico, amaro & acri. Iulio perficiuntur, ſed Iunio floret. Alę vt in ſuperioribus ad cacumen vſque eodem modo diuiduntur. Campoclari

Deſcriptio

Tempus.

ijſdem



N

1. Caucalis [illegible] Lam. 1.657
2. C. [illegible]

Sapor. Locus. ijſdem locis cum ſuperiore inuenitur. Radix & folia odore & ſapore Paſtinacæ aromatico.

Echinophora quarta maior πλατύφυλλον purpurea. Cap. XXVIII.

Tordylium latiſſimum

Deſcriptio HVIC radix eodem colore, ſapore aromatico & effigie eſt, in adultis lignoſa, paucis fibris diuiſa: Folia tamen maiora aſpera, dura, latiora, & alio modo diuiſa. Quinis vel ſenis lobis oblongis Sorbi modo diuiduntur, & ſinguli lobi trium digitorum ſunt longitudine, vnius latitudine, per ambitum profundis inciſuris diuiſi Quercus vel Heptaphylli Quinque folij dicti modo, vel alterius maioris Tordilij putati vulgò, folia præſertim quæ propè vmbellas hærent. Caulis eſt bipedalis, alis diuiſus, rotundus, ſtriatus, vt angulosſus videatur, aſper, alba hirſutie, vmbellas vt in ſuperiore trifidas, ſed breuiori petiolo, & craſſiori impoſitas; baſim habētes trifoliam, ſed iuxta flores pentaphyllam; Flores quidem purpurei, ſuperiore maiores, barbulas illas etiam habentes; quibus ſuccedunt fructus quini ſingulis petiolis, aſperi, ſtriati, vt quindecim ſingulis vmbellis inſint, ſuperioribus minores, molliores, viridioribus aculeis; Semen verò vt in ſuperiore minus & aromaticum. Eodem modo fructus diuiduntur, atque perficiuntur, eodemq; tempore floret. Campoclari depreſſioribus locis, atque humentibus parum obſeruauimus. Huic ſimilem foliis quodammodo & florum colore pro Caucalide in Latina Matthioli editione depingitur, in Italica quidem depictam nemo vidit, niſi qui illam idea ex hiſtoria Dioſcoridis corrupta depinxit tenuifoliam. Lobellius etiam rubro flore ſimilem plena vmbella depinxit, ſed ſi eadem eſſet minus rectè depicta videretur. Nec aliquid cum Caucalide commune, vt ex ſupradictis liquet, habere videtur.

Paſtinaca echinophora Apula, & Scandix. Cap. XXIX.

PROPRIVS accedit hæc folijs, atque habitu ſylueſtri Paſtinacæ quàm vulgò recepta aculetæ marinæ vel littoralis Paſtinacæ dictæ, quæ in arenoſis iuxta mare degit à Matthiolo ſecundum Chrithmum putata. Hæc autem & ſi terreſtris eſt, maritima dici poteſt, vt in Tripolio dicemus. Locus quidem denſus, aſper, nitroſus, vel ſalſus, vti tota ferè Apulia eſt, maris afflatui ſuppoſita, & Cirinola

præ-

præſertim, vbi Libanotis Cachrifera, atque caule, vt Plinius notat, gummifera; Capparis, Halymus, Rhamnus, Kali, Ferula, & ſimiles frequentiſſimæ ſunt; quæ locis alijs minimè ſpontè oriuntur, niſi maritimo tractu. Campeſtribus ſiccis ſterilibus tophaceis gaudet, ſemitis, viarum marginibus, marginumq́; foſſis Cirinolæ vbi à quodam Pharmacopæo *Finocchio ceruone* appellabatur. Radicem habet cubitalem digiti craſſitie, longam æqualem, Eryngio ſimilem, foris verò flauicantem intus albeſcentem, neruo intus tenui, cortice carnoſo; ſapore aromatico ferè non ingrato, cum acrimonia quadam & amarore dulci mixto; ſuccoſa in minus vetuſtis. Eſui aptior eſt quam ſylueſtris paſtinaca Dioſcoridis, quæ non ita carnoſam, nec craſſam aut molliorē habet. In nouellis radicibus adeò gratus eſt ſapor, vt quilibet quam libentiſſimè veſcatur, ſicuti euenit cum nos Pharmacopæo illo eſcam eſſe diximus, qui ſe non alijs, quam ijs veſci radicibus poſthac potius, quàm Carotis, guſtata dixit. Olus tamen ſylueſtre eſt. Folia promit Vere in terra ſtrata Paſtinacæ ſatiuæ noſtratis, quam alij *Carote bianche & roſſe* appellant, æmula; non ita ampla, minusq́; lata, diuiſura tenuiore admodum, carnoſiora tamen, media inter marinam & terreſtrem, parum acuta, leniter hirſuta, & ex viridi albicantia propter hirſutiem. Caulem craſſum, cubitalem, vndique folioſum, alarumq́; copia, & denſitate ſingulis geniculis reflexum. Alæ in orbem obliquæ & reſupinæ plantam conglobant, vt rotunda ſit plantæ tota effigies atque coma: vt Libanotis cachryfera & rotundior. In alis verò foliola minora, minusq́; diuiſa, carnoſiora, rotundiora, acutiora, aſperiora, & duriora, ſimilia illis littoralis Paſtinacæ ex quorum ſinu aliæ alæ breuiores prodeunt, vt denſa & orbiculata plantæ effigies videatur ob alarum multitudinem obliquè ſe propagantium. In illarum cacumine flores in vmbellis Paſtinacæ littoralis ritu Iulio & Auguſto menſe exeunt lutei, ex baſi ſex foliolis craſſis acutis, ſicuti & ipſa vmbella pungentibus, in medio plantæ ſupra caulem primùm, deinde in reliquis alarum cacuminibus, à ſummo incipiētes, quare diutius floret. Septembri menſe pericarpia remanent aculeata, dura ſex radijs diuiſa, ſupra quæ totidem apices eleuantur denſi, qui flores erant prius, ſemenq́; occultant ouali figura rotundum oblongum, cortice flaueſcente, medullam intus pullam ex flauo habens aromatico ſapore. Octobri perficitur, cauliſq́; ab radice primis imbribus ſiccatus marceſcit, atque diuellitur, vt locum in quo erat non reperies, vento quidem ita diuulſus vagatur per

Lib 24. c. 11.

Locus.

Deſcriptio.

Sapor.

Tempus.

N 2 campos

campos globoſa ſua facie hoc adiuante. Differt ab illa marina vulgari foliorum magnitudine, denſitate, atque multiplici tenui admodum diuiſura, Paſtinacam magis æmulante; radice maiore, ſuauiore, & reliquis; & ſi ſemine ſimilis videatur. Sunt qui hanc pro Siſere accipere malint; quibus hæc tantùm obijcieda videntur verba,

Lib. 20. c. 5 quæ Plinius de Siſere refert. *Gelduba appellatur caſtellum Rheno impoſitum vbi generoſitas præcipua: ex quo apparet frigidis locis conuenire.* Natalis quidem & priuatus locus ſicuti regio hic admodum conſiderandus videtur: atque in hac planta diuerſus ab hiſtoria, nam Apulia maritima & feruens regio eſt, præſertim Cirinola, quæ centrum Apuliæ dicitur. Nos autem frigidarum regionum indigenam plantam pro Siſere depinximus in noſtro Phytobaſano, cuius radice, quam *Carotà bianca* Æquicolani appellant, vbi copioſiſſima ſpontanea vicinis Caſtellis, in cibis elixa, & fixa oleo, Piſcium ritu vtuntur, & expetunt. Sed & melle decoquunt contuſã, ad picis ſpiſſitudinem, & duritiem, atque in placentas efformant, ſicuti ex Amigdalis alijs locis, & illas vulgò conſimili modo *Copeta* denominant: ori gratiſſima & ſtomacho vtilis, magno eorum lucro: Mos eſt ijs etiam Decembris menſis diebus feſtis Natalis Domini noſtri Seruatoris, & Ianuarij initiò, noui anni ingreſſu illas emptas affinibus, & amicis dono dare, fœlix anni initium augurantes. At ſi coniecturæ indulgendum eſſet, potius pro Scandice ſupponi poſſe videretur, ex quadam cum Paſtinaca ſimilitudine, ac Gingidio, effigiei & ſaporis vt Galenus notat, copioſam in Syria

Lib. 2. de alim. calida regione, ſicut etiam Paulus Ægineta ait. Quod pro grato ac-

Lib. 1. c. 74 ceptum olere, & non legitimo, cum eſſet ſylueſtre, obiectum Euripidi ab Ariſtophane fuit, matrem eius legitimum olus non venditaſſe, ſed Scandicem. Minus quidem olus legitimum illud eſt, quod ſpontaneum in incultis oritur, minuſq; vſu cognitum, quamuis guſtu & cibo gratum videatur, & vtile: decurtatis ramulis depinximus, vt foliorum dilucidior eſſet aſpectus. Sed quia locus eſt Theophraſti de Scandice naturam addemus & plantam illi magis reſpon-

Lib. 7. c. 8. dentem. De caulium igitur differentia diſſerens, inter plantas humi caule procumbentes, aut vt melius loquamur, ſupinum caulem habentes, per humum proerptãtem Scandicem enumerat: ad differentiam earum, quę recto aſſurgunt caule, & ſubſiſtunt; quarum maior pars vnicaules exiſtunt; eius verba ſunt. τὰ δὲ ἐπιγειόκαυλα, καθάπερ μαλάχη, σκάνδιξ, σίκυος ἄγριος, &c. *Alia verò humicaulia, vt Malua, Scandix, cucumis agreſtis*, &c. Cui naturæ additis quæ ſupra retulimus



Echinophora tenuifolia

limus notis ex Galeno & Paulo, qui Scandicem effigie ſimilem Gingidio dixerunt; Gingidium autem Staphylino ſylueſtri ſimile, verùm tenuius: igitur planta tenuioribus Paſtinacæ folijs, & humicaulis, ſiue ſupina, facile pro veriore Scandice ſuppoui poſſe exiſtimamus; Cui deſcriptioni & naturæ nulla melius noſtro iudicio quadrare videtur ex nobis obſeruatis hucuſq; plantis, niſi illa, quam alij pro Lappa Boaria, & doctiſſ. Gaſpar Bahuinus pro Caucalide altera nodoſo echinato ſemine addidit ſuo ſynonymijs ornato Matthiolo, quæ radicem habet candicantem acrem tenuem admodum, folia & reliqua, Paſtinacæ erraticæ veriori ſimilia, profundioribus inciſuris, hirſatie rara obſita vtrinq; : caulibus pluribus quibus fruticat humi procumbens, quæ de cauſa non Vmbellas in ſummis caulibus, ſed inter foliorum alas coaceruatos edit echinatis ſeminibus candidos flores Iunio menſe locis ſaxoſis ſterilibus Puteoli, & Cirinolæ vt obſeruauimus: non enim recto caule aſſurgit, niſi ab alijs herbis impedita ramulum aliquem elatum proferat, præter ſui naturam. Ex his igitur, non eſſe ſcandicem alias plantas ab alijs propoſitas, nec ſiſerem quiſque dijudicare ſatis poterit: Non addidimus iconem quamuis exactiorem poſſemus, quia ab alijs iam eſt depicta, & facilis eſt cognitionis. Gazam hoc loco pro ἐπιγειόκαυλα, legiſſe ἐπετειόκαυλα & interpretaſſe perperam *annicaulia*, ante nos animaduertiſſe Cornarium legimus; atque nihil ad ſenſum, & materiam *annicaulia*, verbum facere quiſque iudicabit. Pro Anthriſco plantam illam in vmbroſis frequentiſsimã Paſtinacæ erraticæ & huic Scandici ſimilem, recto tenui caule, vmbellis abſq; foliata baſi, minus denſis, ſemine ſimili, minus his odorata & ſapida ſupponi poſſe cenſeremus.

Scandix Theoph. Lib. 2. c de Caucal. de

Sylueſtris Paſtinaca Daucoides Apula. *Cap. XXX.*

Deſcriptio

ADEO ſimilis hæc eſt ſylueſtri Paſtinacæ Dioſcoridis, vt quilibet pro ea facilè decerpat, niſi floridam inuenerit. Folia quidem admodum ſimilia, tàm ima, quàm caulem cingentia, vt niſi minora parum paucioribus lobis diuiſa, quod id omnibus obſeruauimus, eadem viderentur; etiamq; difficilis eſt dignotio. Caulem habet rubeſcentem alba hirſutie aſperum, alis diuiſum; in quibus folia maiora ſylueſtri Paſtinaca, paucioribus longioribus, atq; aduncis lobis diuiſa degeneribus, quibus differre videtur; vmbellas ex baſi foliorum lacinijs interſecta, vt in vulgari, rotundas, planas, magnas,

magnas, maiores reſpectu plantæ; floribus ex albo obſcurè purpuraſcentibus depictas: medium illud croceum habentes vt in Dioſcoridis Paſtinaca ſylueſtri. Semine verò [differt oblongo anguſto non echinato, ſed hirſutie quadam aſpera, minuta albicante obſito: Quare potius Dauco, quàm Paſtinacæ ſimile ſemen quod viride purpuraſcit etiam: guſtu amarum, odorumq; parum in mandendo. Vmbella non in totum conglobatur areſcens, & clauditur, vt in vulgari, ſed minus, vt Auium nidum cauum repræſentet, vt Daucus ex Nicandri Latina tralatione metrica. *In Theriaca.*

Et ſimilans nidum Daucus,

Iulio menſe floret Cirinolæ cum congeneribus, Auguſto ſemen perficit. nec frequens admodum ſed rarior. Radix lignoſa alba dulcis aromatica, Poſſet hæc Plinij adaptari deſcriptioni, qui de Daucis loquens, ait: *Si iam maximè tertium genus facere libeat; eſt ſimile Staphylino, quod Paſtinacam erraticam appellant, ſemine oblongo, radice dulci*. Quod quartum genus eſſe deberet, vt idem ait, de radicibus loquens cartilagineis. *Eſt & quartum genus in eadem ſimilitudinem Paſtinacæ, quam noſtri Gallicam vocant. Græci vero Daucon: cuius genera etiam quatuor fecere*. Sed non deſunt etiam aliæ varietates Dauco affines magis aromaticæ, vſu potius recipiendæ.

Locus. *Tempus.* *Lib. 25. c. 9.* *Lib. 21. c. 5.*

Daucus Secundus Dioſcoridis. *Cap.* XXXI.

TRES à Dioſcoride Dauci ſpecies numerantur, quorum primus Creticus, Fœniculi folijs minoribus: alter agreſti Apio: Tertius verò Coriandro. Plinius verò & ſi quatuor genera eſſe à Petronio Diodoto tradita referat, in duas tamen in ſumma differentias diuidere videtur. Quorum alteram primam Dioſcoridis, folijs ſcilicet fœniculi in ſiccis ſaxoſis meridianis oriri tradit, non ſolum in Creta, vbi probatiſſima, ſed in Achaia etiam. Reliqua inquit genera, ſub alterâ & ſecundâ differentiâ comprehenſa, quam generis nomine comprehendit, & ideò plures ſpecies continente; vbique naſci in collibus terrenis, limitibuſq;. Ex quibus innuere videtur plures eſſe ſpecies, ſub ſecunda differentiâ, quam Coriandri folijs facit, ſub quibus & Apij foliis ſimilia Coriandro affinia intelligere etiam poterimus. Nam & Ranunculus qui Coriandri folio eſt, Apium niſus, & ſylueſtre dicitur ob foliorum ſimilitudinem. Horum primum genus, Fœniculi folio, ſemine Milio ſimile eſſe *Lib. 25. c. 9*

ait.


Paſtinaca ſyl: daucoides Apula

ait. Secundum verò Coriandri folio ſemine Cumini modo, omnia feruida, ſed ſecundi vehementius. Tradit deinde ſtatim Plinius, & tertium genus Dauci ſimile Staphylino, quod quartum eſſet, niſi ſub ſecunda diuiſione plura genera duo ſcilicet, Apij, & Coriandri folio compræhendiſſet, ob aliquam inter illos ſimilitudinem, quæ à Dioſcoride rectè diſtinguitur. Atque ita tertium Dauci genus Plinij, quartum eſſet Dioſcoridis, & Diodoti, quod forſan erit ſimile, vel idem cum Caucalide vel Daucalide, vt in aliquibus legitur, qui ſylueſtris Daucus appellatur, à Dioſcoride, & Galeno: cùm tertium genus Dioſcoridi ſit Coriandri folio, à Plinio in ſecunda diuiſione reliquorum generum relatum. & Quarta hæc Dauci ſpecies, eſt quarta etiam ex cartilagineis radicibus, vt Plinius refert. *Eſt & quartum genus in eadem ſimilitudine Paſtinacæ, quam noſtri Gallicam vocant, Græci Daucon, cuius genera etiam quatuor fecere.* Lib. 19. c. 5. Et alibi, *Dauci genera quatuor fecit Petronius Diodotus, quæ perſequi nihil attinet, cum ſint differentiæ duæ, probatiſſimæ in Creta,* Lib. 25. c. 9. *mox in Achaia, & in ſiccis vbicunque nati, Fœniculi ſimilitudine, candidioribus folijs, & minoribus hirſutiſque. Caule pedali recto, radice ſuauiſsimi guſtus, & odoris. Hoc genus naſcitur in ſaxoſis meridianis. Reliqua genera vbiquè naſcuntur terrenis collibus limitibusq́; nec niſi pingui ſolo, folijs Coriandri, caule cubitali, capitibus rotundis, ſæpè pluribus, quàm ternis, radice lignoſa, & cum aruerit ſuperuacua. Semen eius Cymino ſimile, prioris Milio, album, acre, odoratum omnibus feruens. Secundum priore vehementius eſt, ideò parcè ſumi debet. Si iam iam maximè tertium genus facere libeat, eſt ſimile Staphylino, quod Paſtinacam erraticam appellant, ſemine oblongo, radice dulci.* &c. Quare abundare in Dioſcoridis textu, & ab aliquo adiuncta cenſeri poſſunt, putante idem eſſe tertium genus Dioſcoridis & Plinij, verba illa, ἐφ' ἧ σκιάδιον ἐμφερὲς σαφυλίνῳ. σπέρματος ἐπιμήκους πλῆρες ὡς κυμίνου δριμέος. *Supra quod* (caput ſ. antedictum) *vmbellam ſimilem Paſtinacæ, ſemine oblongo plenam, vt Cuminum acri.* Antea quidem totam plantæ delineationem expreſſiſſe Dioſcorides videri poteſt, cùm plantæ flores deſcripſiſſet, & capitellum, & ſeminis ſimilitudinem his verbis, Τὸ δὲ τρίτον εἶδος κορίῳ φύλλα ἔοικε, καὶ τὰ ἄνθη λευκά, κεφαλὴν δὲ ἔχει καὶ καρπὸν ὅμοια ἀνήθῳ. *Tertium genus folijs Coriandro aſſimilatur, & flores albos, & caput & fructum ſimiles Anetho.* Quomodo nunc ſupra caput in quo ſemen habet Anethi, vmbella ineſſe poteſt Paſtinacæ, & ſemen Cumini? Sed perijſſe verba aliqua in Dioſcoride potius vel ex Plinij

textu excerpta irrepſiſſe credendum eſt, non ſine maxima rei Herbariæ iactura. Vtinam Dioſcoridis textum incorruptum haberemus in omnibus capitibus, quæ à tranſlatoribus ſiue interpretibus cum Plinij, Theophraſti, Galeni & aliorum textibus collatione, pro eorum intelligentia omnia ſubuerſa & corrupta, etiam quod in aliquibus emendata & reſtituta videantur: non ideo genuinus textus habetur. Habemus ex Vetuſto barbarè tralato Dioſcoridè alphabetico ordine digeſto, cum additionibus Petri Paduanenſis Venetijs Impreſſo 1514. ab Arriuabenis, de Dauco caput, in quo quatuor genera enumerantur his verbis, *Daucus calidæ eſt virtutis, & extenuatoriæ, vrinam, & menſtrua prouocans, & partum deducens, folia habet ſimilia Fœniculo ſed minora, & tenera, & virgam duarum palmarum, in qua virga eſt caput ſimile Coriandro, florem album habens, in quo eſt ſemen quaſi piloſum in magnitudine Milij, minutum, aſperum, guſtu viſcidũ, & odoratum: radix eſt illi vnius digiti groſsitudinem habens longa duabus palmis, naſcitur in locis aſperis, & ſolanis. Sed vnum genus Dauci ſimile eſt Apio agreſti odoratum, viſcidum & calidum, ſed melius eſt Creticus de quo ſupra diximus. Eſt & tertium genus Dauci, folia ſimilia habens Coriandro, & florem album, in cuius capitello ſimile ſemen eſt Anetho. Eſt & aliud, quod ſemen habet oblongum, & graue ſicut Cyminum agreſte, & cunctis omnibus ſupra ſeminibus calidius eſt*, &c. Ex quo manifeſtè apparet Dioſcoridis textum eſſe corruptum omnibus in vulgatis, & mutilum. Secunda quidem ſpecies Dauci Dioſcoridis Apij ſolio, à Plinio ſub eodem genere ſecundæ diuiſionis quaſi congener, vel ſpecies illius Coriandri folijs reticetur: quapropter ex ipſo Dioſcoride petenda ſunt ſigna, atque hæc tantùm adducit. *Alter verò Apio agreſti ſimilis, aromaticus, acris, odoratus, & guſtanti feruidus*. Cui tàm breui delineationi dubium remaneret, an ſimilitudo Apij agreſtis ſit nè foliorum, vel ipſius ſeminis, quòd fructus hîc Dioſcorides appellauit, καρπὸς, δριμύς Et de ſecundo ait, ὁ δέ τις, αὐτοῦ ἐςὶ σελίνῳ ἀγρίῳ παραπλήσιος, *Alter huius eſt Selino ſylueſtri adſimilis*. Quare relatio videtur ad verbum καρπὸς, *fructus*, ſeminis primi ſcilicet, nam maſculino genere dicitur, & amplius qualitates adiectæ odoris, & ſaporis fructum potius ſiue ſemen reſpicere viderentur: niſi Daucus etiam maſculino genere eſſet, atque in primi delineatione, & tertij de foliorũ figura diſſeruiſſet, antea quam de fructu; cuius in primi deſcriptione de odore, & ſapore, non de figura diſſeruit. Quare primam ſimilitudinem Apij agreſtis non ad

fructum

fructum, ſed ad folia reſpicere dicemus, reliquas verò ad totam plantam & fructus. Cuius delineationis notæ hæ ſunt ex Dioſcoridis textu deſumptæ, Ὁ δέ τις αὐτοῦ ἐστὶ σελίνῳ ἀγρίῳ παραπλήσιος ἀρωματώδης. δριμὺς καὶ εὐώδης γευομένῳ καὶ πυρώδης, διαφέρει δὲ ὁ κρητικός. *Alter verò huius eſt Apio agreſti aſsimilis, aromaticus, acris, & odoratus, guſtanti feruidus præfertur verò Creticus*. His reſpondere videtur planta illa Cretica, aut Veneta pro Macedonio Petroſelino accepta, quæ folia Apio vulgari ſimilia habet, ampliora, copioſioribus lobis, rotundioribus, magisq́; ſerratis, nitidis, Coriandrinis æmulis, vel Hircinæ ſaxifragiæ ante quam caulem edat, albicantibus ex radice longa, craſſa, alba, rugoſa, lignoſa, pedali, acri ſapore. Caulem verò poſt multos à ſatu annos promit nobis cubitalem, craſſum, hirſutum, alis diuiſum frequentibus, rotundam effigiantem comam, vmbellis candicantibus refertam, ſemine verò paruo, hirſutie alba obſito, oblongo ſaifragiæ Hircinæ ſimili, odorato, aromatico ſapore, acri, feruido, & Cuminum ferè reſipiente guſtu: viribus efficaciſsimis, vt Neoterici, pro eliciendis vrinis admodum efficacem prædicent, ideoq́; Petroſelinum putauerint. In hortis à noſtris colitur, Macedonici Apij nomine propagato, ſed nobis Dauci ſecundi nomine retinendo, quamquam & tertij ſimilitudinē etiā referre videatur, vt dicemus. His quidem patebit longius aberraſſe, qui Theophraſti putatam Libanotidem Apij folijs, Angelicæ dictæ proximis, foliaceo ſemine, non rotundo præditam depinxerunt; magis Silphij ſpeciem referentem, ſicuti eſt ipſa Angelica, de qua alias dicemus. Vires ex Dioſcoride. *Semen omnium vim habet calefaciendi. Menſes & fœtus, & vrinas ducit potum: tormina diſſoluit: tuſſes dinturnas mitigat. Auxiliatur etiam commorſis à Phalangio potum cum vino. Diſcutit quoque tumores in cataplaſmate impoſitum. Et vſus quidem aliorum ſeminis ſolum eſt, in Cretico verò etiam radicis, quæ maximè aduerſus venenatas beſtias bibitur cum vino*. Galenus verò non alium Daucum cognouiſſe videtur, quàm Staphylini ſpeciem, cui viribus ſimilem fecit. Quòd autem planta hæc Macedonicum Apium referat Lobellius & Pena dubitant, viribusq́; inefficacioribus Apio ſatiuo fecerunt, verùm guſtu nobis acrimonia ſatiuum Apium non parum ſuperare viſum eſt huius plantæ ſemen, ad Cumini ſaporem & odorem accedens ſtatim linguam mordicans, vt non ineptè Daucus ſit iudicandus effigie atque ſapore, & viribus. cæteris plantis pro Dauco ſecundo receptis præferendus.

Deſcriptio

Sapor.

Vires.

Vires.

O 2 *Daucus*

Daucus Tertius Dioſcoridis, Secundus Plinio. *Cap.* XXXII.

TERTIVS iſte Daucus ſic à Dioſcoride deſcribitur. *Tertia verò ſpecies Coriandro folijs aſſimilatur, & floribus albis: capitellum verò habet, & fructum ſimilem Anetho*. Quæ lectio eadem eſt cum antiquo textu ſupra relato. Reliqua verò verba quæ leguntur, ἐφ' ᾗ σκιάδιον, &c. vt ſupra retulimus corrupta, vel adiecta eſſe videntur, & aliud genus, quartum ſcilicet, conſtituere videntur. Plinius vero, *Reliqua genera vbique naſcuntur terrenis collibus, limitibusq́, nec niſi pingui ſolio, folijs Coriandri, caule cubitali, capitibus rotundis, ſæpè pluribus quàm ternis: radice lignoſa, & cum inaruerit ſuperuacua. Semen eius Cumino ſimile, prioris Milio, album, acre, odoratum, omnibus feruens*. Ex quo differentia dicitur in ſemine in hoc Cumini, in Dioſcoridis verò Anethi, quod minus eſt, atque rotundius. Ex quibus notis ſimul iunctis facilè quiſque iudicabit plantam hanc magis alijs reſpondentem eſſe Dauco à Dioſcoride tertio loco deſcripto, à Plinio verò in ſecunda diuiſione tradito. Natalis quippe locus primùm, in quo inuenimus in Sylueſtribus, reſpondere videtur, Campoclari quidem per colles nigro terreno refertos, herbidosq́; quamquam ſaxoſos frequens Vere, ac etiam in limitibus propè D. Rocchi ædem & in horto feudali tunc noſtro eruimus. Radice alba, læui, tenui Paſtinacæ vel Raphani, quæ lignoſa efficitur cauleſcens aromatica, guſtu acri, ſed parum hircino, & linguam vellicante, qui ſapor cum areſcit & lignoſa efficitur euaneſcit, ideo ſuperuacua à Plinio tunc reputatur, & rectè. Folia emittit læuia, rotunda, Coriandri æmula, rotundiora & longiore petiolo hærentia, primùm ſingula, deinde vnica loborum interceptione, tertiò bina, deinde ternis, & quaternis hinc inde lobis minus rotundis, & anguſtioribus diuiſa. Caulem emittit bipedalem, & ampliotem alis diuiſum, rotundum, læuem, ſolidum, Fœniculi effigie, fungoſa medulla alba, in imo ex viridi obſcure purpurante: folijs interceptum alternatim minoribus, anguſtioribus, magisq́; inciſis, in ſummo vmbellas albas habentem plures ſine baſi vt Anethi, [nec enim numerus ita ſtrictè eſt obſeruãdus] rotundas longis petiolis hærentes, atque dum corymboſæ, nec adhuc floridæ, teneriores, in terram inflexæ decumbunt: cum autem florere incipiunt eriguntur, atque dilatantur, flores oſtẽdentes Iulio mẽſe denſos,

Lib. 25. c. 9.

Locus.

Deſcriptio

Tempus.


Daucus Dioscoridis tertius, secnudus Plinio
folij uarietas

denſos, minutos, non diſſimiles Anetho: ſemina deinde perficientes parua albicantia, hirſuta Aniſo ſimilia, magis quàm Anetho, & Cumino, & ſi eadem, ſpecie videantur, ſuperioris Dauci æmula: guſtu acri admodum, odorato, Cuminum & hircinum quid reſipiente. Variat hæc iiſdem locis orta folijs in caule maioribus, ita profundè inciſis ac tenuiter, vt foliorum nerui à carne diſtincti ſint omnes, ita vt in huius plantæ folijs propè vmbellas conſpicitur, & folij exemplo ſegregato; Paſtinacæ diuiſuras quodammodo imitante, nec ideò diuerſa eſt planta, tam diuerſa & tenuiore, quæ rarior eſt, effigie. Quartum verò genus ex genere Paſtinacæ, variè ab antiquis traditum, variè à nobis diſtinguendum; nam Theophraſto, Daucus eſt nigra nobis Carota dicta, quæ ſatiua eſt. Plinio verò ſylueſtris Paſtinacę ſimilis quarta ſpecies, Daucus à Græcis appellatus, à Romanis Gallica. Galeno verò ſimilis etiam eſt, vel idem, Staphylinus, & Daucus; quem apertè his verbis pronuntiauit. *Daucus, quem aliqui Staphylinum vocant, ſylueſtris minus eſui aptus eſt, quàm ſatiuus. Sed in omnibus vehemētior.* Et de Alimentis ſecundò. *Eſt autem Daucus Staphylinus ſylueſtris.* Qui cum Caucalide affinis admodum erit facie viribusq; vt ſupra diximus, & idem Galenus refert, his, *Caucalis, quam aliqui Daucum ſylueſtrem nominant, Eſt enim ſimilis ipſi ſapore & facultate.* Facie verò ſeminis vn Nicander loco ſupra citato. Ex his igitur Recentiorum Daucos putatos minus veris reſpondere quiſque iudicabit. Differt hæc ab Hircina ſaxifragia natalibus, magnitudine caulis & foliorum, atque odore, huius enim folia hirci virus non reddunt. differt etiam ab altera ſaſſifraga pimpinella non fœtida, cuius folia maiora, nec in ſummo ita diſſecantur, ſed rotundis lobis tantùm diuiduntur.

Sapor. *Varietas.* *Lib. 9. c. 22 & c. 15.* *De ſimpl. phar. lib. 7*

Myrrhis Æquicolorum noua. *Cap.* XXXIII.

ESCVLENTAM plantam Cicutæ ſimillimam omnibus ſui partibus præter ſemen, odoratam, & minorem, Myrrhidi notis accommodatiorem haud habemus. Hanc in Æquicolorum Villis ſecus viarum margines, & ſæpes, atque maceries frequentem cum Cicuta, vt non niſi peritus, & naribus experiatur, haud facilè cauleſcentem dignoſcat, atque à Cicuta diſtinguat. Radicem habet albam, oblongam teneram, in ſummo craſſam, paucis fibris diuiſam atque tenuibus, per obliquum rugoſam in ſummo, facilem vulſu,

Locus. *Deſcriptio*

ſapore

ſapore dulci aromatico, parum graui, vel medicato, guſtu non inſuaui quodammodo ad Carotam accedente. Folia prima ex ſemine admodum breuia, & diuiſura rotundiore veluti Fumariæ, at poſt quatuor, vel quinque in bipedalibus petiolis cauis Cicutæ modo, atque canaliculatis, in imo latis ſuccoſis, admodum maiora & ampla Cicutæ æmula, minora verò, læuia ſplendida præſertim infernè, ſed neruis & petiolis hirſutis, rara, mollique hirſute alba: folia verò supernè antequam edat caulem Aprili menſe, maculoſa euadunt; albicantibus veluti calce infecta, ac etiam purpuraſcentibus maculis; atque tunc tenella Cerefolij vice legunt, eduntq; in acetarijs, *ſylueſtre Cerefolium* appellantes: guſtu ſimili, parũ amariuſcula. Caulem edit altum bicubitalem Cicutæ æmulum, atque ferè parem locis terrenis, in ſaxis verò breuem admodum & bipedalem, atque tenuem: terrenis craſſum pollicis magnitudine, tenerum læuem, rotundum, inanem, ſuccoſum, eſculentum, dodrantalibus interſtitijs diſtinctum genieulis, in quibus folia maiora, maioribus ante caulem editis, petiolis hirſutis amplis quoquo verſũ bipedalibus, ac etiam longioribus, Cicutæ folijs, niſi minora parum eſſent, admodum ſimilibus. In ſummo alæ multæ ex foliorum ſinibus prodeunt, atque hoc à Cicuta differt, quod vmbellæ ſecus alas poluſtris Apij ritu hærent, non in ſummo vt in Cicuta & alijs Vmbelliferis. Flores albi, tenues, ſeminibus inſidentes: ſemina verò oblonga, hirſuta, duplicia, rotunda, Aniſi modo, vel Dauci, aſperiora, veſtibus hærentia, cacumine longo, ſapore aromatico acri parũ, & dulci, amarore quodam mixto non ingrato. Martio germinat, Aprili folioſa, & Maio Caulem profert, qui non eſt maculis infectus vt in Cicuta obſeruatur, ſed albeſcens: flores & fructus Æſtate profert. locis exit meridiei expoſitis, vt eſt Æquicolorum poſitus Villarum. Hanc præ cæteris Myrrhidis notas explere toto habitu, & guſtu videtur, non enim aliæ ſemine oblongo admodum putatæ Myrrhides non aſpernendæ, ita Cicutæ ſunt æmulæ, vt ſimillimæ dici poſſint folijs, & caulæ, vt Plinius notat, & Dioſcorides ſimilem, & radice cibo ſuaui his verbis. Μύῤῥις οἱ δὲ μύῤῥαν καλοῦσιν, τῷ καυλῷ καὶ τοῖς φύλλοις ἔοικε κωνείῳ. ῥίζαν δὲ ἔχει ἐπιμήκη, ἁπαλὴν, περιφερῆ, εὐώδη ἡδεῖαν βρωθῆναι. *Myrrhis, quam Myrrham appellant, caule, & folijs aſſimilatur Cicutæ. radicem habet oblongam teneram, rotundam, odoratam, in cibo ſuauem.* Plinius; *Myrrhis quam alij ſmyrrhizam, alij Myrrham vocant, ſimillima eſt Cicutæ caule folijsq. & flore, minor tantùm & exilior, cibo non inſuauis.* Quibus Myrrhides ſupradictę

Nomen.

Tempus.

Lib. 24. c. 16.

oblongo


Myrrhis ſylu: noua Æquicolor.

oblongo ſemine haud caule Cicutaceo ſimili ſunt, nec radice tenera, ſed dura quamquam aromatica; Cicutariæ verò depictæ potius fœtidæ & Cicutæ, quam Myrrhides appellandæ. Vires ex Dioſcoridæ *Phalangiorum morſibus ſuccurrit eadem, ſ. radix, in vino pota. Purgat deinceps à puerperio fœminas. Trahit & menſes. Eadem cocta in ſorbitionibus tabidis commodè exhibetur. Quidam narrant ſi ea in peſtilentibus conſtitutionibus, bis aut ter in die, cum vino bibatur, auxilio eſſe, vt ne quis à morbo tentetur.* Plinius verò præter ſupradicta, addit, *Vlcera quoque in facie aut capite ſuccus eius in aqua triduo maceratus ſanat.* Galenus, *Myrrhis quam alij Myrrham nominant, odoratam & dulcem radicem habet, quæ & menſes mouet, & quæ in thorace & pulmone hærent repurgat, vt ſit ex ſecundo ordine calefacientium, habens etiam quid tenuium partium.* Lib. 24. c. 16.

Petroſelinum, ſiue Apium hortenſe vulgare, idem eſſe cum Antiquorum Apio ſiue Selino, non autem Dioſcoridis Petroſelinum. Cap. XXXIV.

MAXIMA etiam adhuc Recentiorum extat controuerſia de vero Petroſelino Macedonico, atque hucusq; alij hortenſe Apium noſtras receperunt, vt Germaniæ Officinæ, ſicut ab Auctore Germano, qui Emblemata in Dioſcoridem ſcripſit aſſeritur: idemq; Marcellus Virgilius etiam putat. Itali noſtro verò Creticã vel Venetam plantam Apio vulgari maiorem admodum, latioribus folijs, rotundioribus lobis, illisq; circumſerratis, ſplendidis Coriandrinis, albeſcentibus; caule craſſo hirſuto, alis vndique multum diuiſo, cubitali, vt rotundam efficiat comam, albicantibus vmbellis ornatam, & ſeminibus ex cæruleo albicantibus hirſutie; ſapore velut Cumini, acribus multum. Quam pro Dauci ſecunda Dioſcoridis ſpecie ſumere verius poſſumus, vt ſupra diximus. Nũc autem Theriacæ recenſor nouus Euangeliſta Quatramius putans nouam ſe opinionem proferre, magisq; veriorem: vulgare iterum ſatiuum Apium, quo in condimentis totus orbis terrarum vtitur, & vtebatur antiquitus, vt à Plinio refertur, pro Petroſelino reuocare conatur noſtris regionibus, ac pro Apio hortenſi Eleoſelinon ſpontaneum, ſed mangonio Geoſelinum factum, Dionyſij forſan nigrum Apium breuioris radicis omnino deteſtandum, atque ab vſu repellendum, vt Plinius idem tradit: Nec animaduertit, ſe magis, atque magis erraſſe, vt ex ſequentibus patebit. Et vt eiuſdem Lib. 20. c. 11. Ibid.

P vtamur

vtamur argumentis,(vt ſua elixetur,vt vulgo dicimus,aqua:)illius relata referemus.Et primo neſcio,an κακόδαιμον fuerit , qui mentem illius falſis idæis,ac diuinationibus repleuerit,vt tam falſa, & diuinata referat. Et quo textu probabit Theophraſtum pro ſatiuo Apio , Dioſcoridis Petroſelinum Macedonicum intellexiſſe, & deſcripſiſſe? Nullam quidem de Petroſelino in Theophraſto deſcriptionem inueniet,nec ex Plinio,qui ad verbum Theophraſtum exarauit. Quatuor quidem Apiorum genera deſcripſerunt,vt etiam à Dioſcoride factum eſt,nullam de Petroſelino pro Apio mentionem facientes : ſed Apium ſatiuum folijs variare dixerunt , vt iam cognouit Quatramius & refert;quod prolixius eſſet referre.Pręterea quomodo ſcit,an ad aures noctu retulit Theophraſti Genius Quatramio?(vt de Homero tradit Ennius poëta,)

In primo Annali.

in ſexto capite lib. 7. hiſtoriæ plantarum ſe aliter de Selino,quàm in capite 4.eiuſdem libri ſenſiſſe ? Atque cap.6.intellexiſſe de Selino,quod Geoſelinum nos appellamus ab ipſo propoſitum Selinum,& cap.4. de Apio vulgari petroſelino dicto,quod Petroſelinum Dioſcoridis fuit?qua ratione?

Lib.7 hiſt. plant.

Theophraſtus quidem in cap.6.ait,Reliqua Apiorum genera,ſcilicet Equapium,Paludapium, & Montapium,tam inter ſe differre , quàm differunt ab Apio vrbano , à quo plurimum differunt. E quibus Paludapium quodammodo ſimile eſt Apio odore , ſapore & figura.In cap.4.eiuſdem libri ait,Apiorum genus folijs & caulibus variare,verum omne ſylueſtri ſimile eſſe:atque cap.6.de ſylueſtris generibus , in cap. 4. verò de Vrbanis verba facere videtur.

Lib.1.c. 9.

Amplius, textus quos adducit Theophraſti qui ait, *Apio radix ſingularis*,Et alibi, *proportione ſua altius, quàm Arbores radicat*, Et alibi, *Fruticat non anno primo , ſed bimatu.* Cur hæc non contulit cum Apio ab ipſo propoſito?An de nouo Apio ſuo Geoſelino maximo,ingrato fœtido,an de noſtrate vulgari intelligi debent? Vbi in iſto ſuo Apio maximo Cicutaceo odore radix ſingularis ? cuius breuis & fibroſa ab vno principio eſt æqualiter.Vbi nam & quo loco radicem agit ſingularem , longiſſimam proportione ſui caulis ? quod folia longiſſima & maxima ita habet , radicem verò breuem admodum non ſingularem ſed potius Elleboraceam, minorem ſui? Vbi perpetuò virere obſeruatum?quod poſt caulis productionem finitur. Vbi ſuaueolentia ? quod potius Cicutæ modo fœtet ob humoris ſuperfluitatem?Quo loco difficillimè exit,& fruticat? cum eodem anno ſtatim in caulem abeat.

Lib.20. c.11.

Sed addamus ex Plinio textum ab eodem relatum,ibi, *Apio gratia vulgò eſt,namq; rami largis por-*

tionibus

tionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Quibus in terris,& quibus ab incolis in condimentis recipitur iſtud maximum?cuius non ramos, ſed folia ipſa in fruſtra ſecare oporteret, vt innatare poſſent per iura, non largis portionibus,ſed quam breuiſſimis:nulla gratia nec olentia niſi abhorrenda? An de illo Plinius intellexiſſe videtur?vel Auicenna, qui valde bonum oris odorem efficere domeſticum Apium aſſerit? Quis enim erit qui Plinij mentem verbis contrariam diuinare poſſit vt Quatramius? An ne ibi, *Apio*, addidit, in petris nato,cum dixit, *Apio gratia vulgò eſt*;cum de Satiuo intelligatur. Vel alibi ſatiuum Apiũ Petroſelinum eſſe aſſerit? vel ex aliquo ex antiquioribus hoc habet? nunquam inueniet quidem. At ne nimis in refellendis argumentis immemoremur, eandem eſſe plantam *Geoſelinum* iſtud, quod ſic nos appellamus,cum Eleoſelino experientia comprobatũ eſt,mangonio variantem,atque ita excreſcentem: quippe cum in aquoſis ſpontanea ſit, atque ex aqua non adeò copioſum habeat alimentum,quàm ex terreno refoſſo, & irrigato,vt in magnos ramos, & maxima folia, Hippoſelinum ſuperantia degeneret: quod quiſque ſi à paludibus paruas plantas in horto vt fieri ſolet refoſſo transferat, non minus addoleſcere atque degenerare animaduertet: atque eò magis ſi ſemine ex illis ſatum erit, & poſtea,vt fit in omnibus ſatiuis,iterum transferatur,in maximum degenerabit. Atque in marem & fœminam diſtinguere poterit, nam vt in Cannabi ſatiua euenit, eodem ſemine aliud in caulem ſtatim non trãſlatum, aliud in fœminam in folia abiens craſſeſcere cognoſcet. Hoc non modo Cirinolæ vbi etiam ſeritur, ſed Romæ deinde obſeruatum reperimus. Nec me mouet traditio illa Quatramij,plantam hanc in ſiccis in inſula Scio prouenire, cum & pleræque paludes,& aquoſa loca Æſtate ſiccata Eleoſelinum habere inueniãtur: & iam Horti Æſtate illis aquoſiores cum irrigentur quotidie nobis videntur. Nec refert,ibi Selini nomine plantam hanc appellari, vt idem inquit, nam & ab alijs etiam Ciliciæ incolis vt ibi ruſticis & ignaris, à ſimilitudine Petroſelinum appellari tradit Dioſcorides, quod propriè Smyrnium eſt: ſicut & nobis Petroſelinum dicitur hortenſe ac ſatiuum Antiquorum Apium. Quæ nomina nobis minimè retinenda cenſentur, ſed quæ Doctioribus & Antiquioribus omnibusq; communiora. Sed noſtris nunc vtamur argumentis. Apium Quatramij Cicutaceum,non eſſe Antiquorum Apium Theophraſti,Dioſcoridis,Galeni,& aliorum, ex Plinij verbis colligi poteſt:

Lib. 19. c.8. teſt: ibi, *Et Satiuis autem differentiæ in folio denſo, criſpo, aut rariore, & leuiore*. Sed Apium Quatramij nullas in folijs habet differentias, Satiuum verò noſtras multis differentijs conſtare idem Quatramius refert, ex Plinij verbis. Quamquam ex mente Theophraſti, ex quo excepit Plinius non de Satiuo vnico noſtrate, ſed de omnibus ſpeciebus in horto ſatis intellexiſſe videtur, ibi generis nomine accipientis verbum illud Theophraſti *Apiorum* &c. vt ex verbis, materia, & oratione liquet, ibi concludens, *Verùm ad ſummam eiuſmodi omne ſylueſtri proximum eſt:* aliàs enim non *Apiorum*, ſed *Apij*, ſingulari numero loquutus potius fuiſſet. Et ex Plinio hoc comprobari poteſt; Omnes quidem ſpecies Apij apud Olitores antiquos etiam ſeri mos erat, atque ait: *Hipposelinum ſeri nunc in repaſtinato agro, quamquam antiqui locis lapidoſis, & maceriis ſeri præceperant*. Et de Smyrnio, *ijſdem quibus Libanotis*, ſeri aſſerit. Et de omnibus ſpeciebus dixerat ex fine cap. ſeptimi, in initio, cap. octaui, vbi de ſatis in horto ad condimenta agit, *Apij*, nomen loco generis accipiens. Nec ſatiui aliam ſpeciem tradidit, quæ ab Eleoſelino, Hippoſelino, & Oreoſelino ſylueſtribus differre aliò quàm ſatu, & cultu cenſeri poſſit. Omnis enim planta è ſylueſtribus primùm allata in hortis reponitur, & ſatiua dicitur, nec ideo ſpecie differt. Atque iterum idem Plinius de Apio agens, in dubium vertens quod nam ſit Apium ad vſum recipiendum ait; *Verum apud Eruditos non aliud erutum è terra, in maiore ſententiarum varietate eſt. Diſtinguitur ſexu*, &c. alias ſpecies & differentias enumerans. Horum præter vrbanum ſiue ſatiuum à Theophraſto tres ponuntur differentiæ, à Dioſcoride quinque, nam Petroſelinũ addidit: à Plinio verò ſex, qui Buſelinum ſuperadiunxit, ab alijs minimè notatum, quod Satiuo Apio ſimile fecit, facie & viribus, differens tantùm breuitate caulis, & radicis colore ruffo. Cur & Petroſelinon, cùm eo loci, alio genere eſſe præter quatuor ſupradicta genera dixit, non ſatiuo Apio ſimile, aut idem eſſe non retulit, vt de Buſelino: quod in argumentum pro ſe Quatramius accipit? Cur diuerſas Petroſelini vires, nec Alexipharmacas tradidit, vt de Buſelino? Igitur non idem, ſed alio genere viribus & facie. Quod ibi teſtari videtur, atque ideò, *Quidam appellant*, dixiſſe dicendum eſt eo loco, non enim ab omnibus deſcriptum inuenit, vt aliàs *Græci dixerunt*, vt in Clymeno, & ſimilibus locis nolens auctores citare; & nõ quia Dioſcorides ignoraret, (vt tacitè innuere videtur Quatramius,) an idem eſſet ſatiuum Apium cum Petroſelino: quod nec

Ibid.

Lib. 19. c.12.

Lib. eiuſdem.

Lib. 20. c.11.

forſan

forſan ipſe animaduertit. Et verbum illud *Addidere*, in Buſelino Plinij, non vt Buſelinum in petris oriatur vt Petroſelinum, declarat: ſed potius orationem diſiungens notat, aliud eſſe Apiorum genus, quod, Buſelinum, appellatur: & ſextum numero: à quibuſdam inveſtigatoribus non omnibus, nomine & genere diſtinctum, & ſi paucis notis à Satiuo diſtare videatur, caulis breuitate & radicis colore ruffo; Et hæc Plinij eſt non extorta, neque fucata intentio. Cæterum Dioſcorides de Eleoſelino loquens ait, Paluſtre Apium maius eſt quàm Satiuum, ſed iſtud Quatramij maius eſt Eleoſelino & Hippoſelino duplo ferè, nedum Satiuo vero Apio: quo etiam Hipposelinum maius eſſe ſatiuo, & Smyrnium latiora folia habere ait idem Dioſcorides, quod veriſſimum eſt, vero collato Apio noſtrate: Sed Quatramij Apium maius eſt omnibus generibus: & cum Apiũ Dioſcoridis ſententia, minora folia proferre debet ſatum in hortis omnibus ſylueſtribus generibus, caule & folijs Smyrnio minoribus, & ſimilibus, vt ſunt veri Apij. Præterea Apij veri radix à Theophraſto gratiam habere in mandendo aſſeritur, eamq́; pro vſu coli, ſed in iſto Apio Spurio Quatramij non radix, ſed petioli & crura foliorum vt Carduorum cruda eduntur, cum radix ita fibris tenuibus diuiſa cibo ſit inepta, vt vix ceruicem comedant. Adde, cur Theophraſtus, ſi Apium verum hortenſe idem fuiſſet cum Petroſelino, non dixiſſet. Apiorum, aliud in ſaxis quod colitur Petroſelinũ dicitur, aliud in aquis quod Eleoſelinum, Aliud in montibus; quod Oreoſelinum, Aliud denique propter magnitudinem Hippoſelinũ: cum tamen Petroſelinum tacuerit? Hanc rationem fuiſſe ceſemus, aut quia illud tunc temporis ignorabatur, vel quia ſi nouit, in ciborum vſu non erat, nec ſerebatur in hortis, vt alia quatuor genera ſatiua omnia vt diximus, ſed potius medicatum & vſu diuerſũ: quod Theophraſtus non requirebat: At Dioſcorides qui de re medica ex profeſſo tractauit, illud adiunxit, atque vt nemini dubium ob æquiuocationem relinqueretur, ſic de Oreoſelino loquens ad diffetentiam tradidit. *Nec verò nos falli oportet, vt putemus Oreoſelinon eſſe, quod in petris prouenit, Aliud eſt enim Petroſelinon.* Et Plinius ſuperiore capite de quatuor Apiorum generibus loquutus, in ſequentis initio ſubiungit, *Alio genere Petroſeltnon quidam appellant in ſaxis natum*. Ex quibus videtur quod Oreoſelinum etiã in petroſis in monte proueniat; vt Dioſcorides animaduertit; ſed Petroſelinum differt genere, & quod in præmptis ſaxis, non petroſis locis, oriatur in Macedonia. Hoc videtur intelligi vt nõ in locis ter

reno

Lib. 3.

Lib. 6. c. 16 de cauſ. plant.

Lib. 20. c. 12.

reno ſaxisq́; mixtis oriatur, ſed Montium rupibus ſaxoſis, & inacceſſibilibus locis, vt Valles ſunt ſciſſorum montiũ. Sed videamus, an alia habeamus ſigna quibus illud venari poſſimus, & alijs oriri poſſit locis. Galenus hic diligentior videtur & ſi Plantæ notas ſuo more reliquit, cũ ait, *Petroſelinon ab omnibus laudatũ eſt macedonicum, quod etiã quidã Eſtreaticũ vocant, nomine à loco, in quo naſcitur impoſito. Eſt autẽ omnino modicũ quod in illo loco naſcitur, qui prœruptus eſt, & non magnus. At Eſtreaticum Macedonicum, quod ex Macedonibus ad omnes gentes defertur, modicum per Macedonam terram naſcitur. Quare quod circa mel Atticum, & vinum Falernum contigit, id etiam circa Petroſelinon accidit. Nam per omnem ferè terram mercatores mel velut Atticum, & vinum velut Falernum diuendunt. Ita enim Macedonicum Petroſelinum, cùm non iſtic tantum naſcatur, vt omnibus gentibus ſufficiat. Verum in Epiro plurimum naſcitur Petroſelinum velut in Cycladibus inſulis mel, & defertur hinc Athenas. Petroſelinum autem ex Epiro prius defertur in Macedoniam, & plurimum ac ferè totum in Theſſalonicam, atque illinc velut Macedonicum exportatur. Sed & circa vinum Falernum ſimile quid contigit. In paruo enim loco Italiæ modicum naſcitur, & tamen velut illud ipſum ſit, ad omnem Romanis ſubditam terram defertur vinum à callidis hominibus, ad illius ſimilitudinem præparatum. Quòd ſi tamen Eſtreatico Petroſelino carueris, nihilo deterius fore putes Theriaces medicamentum, ſi alterum inieceris. Non enim velut quod aduerſus venena, aut beſtiarum venenum iaculantium plagas commodum ſit inijcitur, ſed vt debili ſtomacho, & hydropicis, & alijs eiuſmodi affectibus vtile non iuxta principalem Theriaces promiſſionem. Facit autem amariſſimam antidotum Petroſelinum Eſtreaticum, & maximè ſi recens fuerit. Præſtat enim ſicut acerrimum præ alijs Petroſelinis, ita etiam amariſſimum.* Ex quibus omnibus habemus, Petroſelinum non eſſe illud quod in Montibus, vel Montium petroſis, ſed quod propriè in præruptis Montium ſaxis, illorumq́; rimis oritur. Quod non in Macedonia tantùm, ſed alijs locis & ſi non ita efficax vt Eſtreaticum. Quòd differat genere ab alijs omnibus, ſemine Ammi ſimile, quod eſt candidius & minus Cumino, Oreoſelino ſimile, quod etiã Cumino aſſimilatur Dioſcoridis & Plinij iudicio, odoratius, acrius alijs, aroma redolens, & guſtu amariſſimum ex Galeno. His notis non ſine ratione dicere poſſumus falli eos, qui vulgare omnibus Petroſelinum dictum in condimentariis vſu receptum, Culinis &

Olito-

Olitoribus frequentiſſimum, verum Antiquorum Petroſelinum cenſent, & paluſte ſelinum pro vero Selino ſiue Apio ſatiuo vſurpare malunt: Quare meliore deficiente plāta donec certior ex Macedonia vel Epiro habeatur, non parum accedere videtur illa, quæ in præruptis tantum ſaxis Montium, & Vallium rupibus præcelſis, ſole illuſtratis, in ſaxorum ingentium rimis ferè occultis, oritur multis locis, vt Obſeruauimus, & præcipuè in Campoclarenſium Valle ſic dicta, quæ altiſſimis vallatur ſaxorum præruptis, inacceſſibilibus rectiſq; rupibus, & Æquicolorum montibus rupibuſq; in quibus Liguſticum etiam, ſed illud in eorum alueis potius oritur; illa verò in rimis anguſtiſſimis, ab incolis loci, *ſylueſtris Anethi* nomine ob quādam foliorum ſimilitudinem, colore cæſio Braſſicæ, vel Rutę, ſed odore ita hortenſe Apium Petroſelinum dictū vulgò, referens; vt niſi oculis foliorum diuerſitatem inſpicias Apium verum dicas. Folia verò eò diſtant ab Apij folijs, quod palmipedis Anſeris pes, à fidipedis Gallinæ pede, qui nudis, diuiſiſq; firmatur digitis, nec intermedia cartilagine digitorum interuallum, vel loborum nerui coniunguntur; ſed inciſa ſunt folia ad imum vſque neruum, primis Anethi folijs æmula, craſſiora, carnoſaq. & hortenſis Apij diuiſura expanſa, & ordine diſpoſita. Sapore verò acriore, amarioreq. Radicem habet longam vulgari petroſelino ſimilem, magis æqualem, ſapore & odore parum acriore, & amariore Caulem tenuem etiam ſimilem, paucis alis diuiſum, folijs minoribus, anguſtioribus, atque ſummum trifidis Petroſelini dicti modo. Vmbellas candicantes paruas rotundas breuiores, ſemen ſimile, magis albicans & canaliculatum Cymini modo: odoratum, maius acrius, aromaticum, ſapore amaro admodum, vt reſpectu Petroſelini vulgaris & reliquorum, amariſſimum dici poſſit: magiſq. Petroſelinum iudicanda. Ab omnibus verò ſelinis tenuiora foliorū figura differt: hoc enim aliogenere dignoſcitur eſſe. odore verò Apio ſimillimo, vt idem videatur; ſapore ſimili, verùm acriore, ac amarore ſeminis inſigni admodum, vt ab illis hoc diſtare etiam dicatur vt ex Galeno conſtat. Natalis qnippe locus apprimè quadrat: & quod inſuper plus eſt, Recentiorum experimento efficaciſſimis viribus reſpondere videtur. Quam ab eximia vi vrinas propellendi, & efficaciter arenas, Saxifragiam noſtrates aliqui, & Recentiores, non quia in ſaxis præruptis tātùm oriretur, appellarunt. Nam vt Galenus ait, non ad principalem Theriacę promiſſionem inijcitur, ſed vt ſtomacho debbili, & hydropicis iuuet, quod ſua acrimonia, & partium tenui-

Petroſelini ſuccedan. *Locus.* *Deſcriptio* *Sapor.* *Vires.*

tenuitate, atque extergendi vi ab amarore inſigni facillimè præſtare poteſt. Non enim in ſatiuo Petroſelino vulgari amaror ineſt, qui à Galeno requiritur, & Quatramius illæ fidus proximo ſuo tacuit, ne obijci ab aliquo ipſi primo intuitu poſſet ex ſuimet ipſius ſcriptis: ideo in longâ Apij antiquorum, quam refert hiſtoriâ, non addidit illam Galeni non minorem, à qua veritas eluceſceret. At ſi diuinare licebat Quatramio, cur non potius Apium ſiue Petroſelinum vulgare hortenſe idem eſſe cum Oreoſelino ſylueſtri Antiquorum in hortis trāſlatum & cultum ob ſuauitatem & gratiam dixit? quod magis credendum erat, vt nos cenſemus; quàm idem quod Petroſelinum in ſaxis natum: cuius nullam foliorum ex antiquis Scriptoribus notam habemus, nec reliquarum partium, ſed genere differre vt Plinius retulit: Et Oreoſelini folia deſcribantur Cicutæ ſimilia ex Theophraſti & Plinij relatione, atque ex Dioſcoride ramos & capitella, cum quibus etiam folia intelligi poſſent, atque noſtras Petroſelinum vulgare vix à nouellis Cicutæ folijs diſtingui poteſt, vt ſæpè fœmellæ in illud legendo decipiantur, horto Cicutam producente, illius tenella folia conſecantes. Nec apud alios, neque apud Plinium legitur Petroſelinum pro condimentis ſatum aliquando apud antiquos Olitores, cum genera reliqua Selinorum ſylueſtria ſeri ſcripſerit, quæ omnia *Apÿ*, nomine generis idem recenſuit; Et ſpeciei; aliud *Eleoſelinum*, aliud *Hippoſelinum*, aliud *Oreoſelinum*, appellauit: *Petroſelinum* ſeri nunquam retulit, non modo in cap. octauo libri deciminoni, ſed nec in tota ipſius hiſtoria. Nec plantam aliam Oreoſelino magis reſpondentem quiſnam inuenerit vrbano ſatiuo noſtrate Apio, ſiue Petroſelino vulgò appellato. Et Pro Apio alio, ſi libuerit, ſatiuo alias ſpecies ſupponere, Catalonicam nempè, Sardam, Gallicam, Syrianam, Anglicanam, vel Turcicam dictam, atque eò magis Sardam, quæ criſpo eſt folio, nam Apij hortenſis folia ab Antiquis criſpa fieri etiam refertur. His magis chartæ erant ſignandæ, magisq́; forſan credenda. Nihil Græcè addere voluimus, vt à Quatramio præcipuè intelligerentur.

Oreoſelinū

Lib. 20. c. 12.

Apium ſatiuum.

Tor-


Tordilium

Tordilium maius alterum luteum [illegible]. *Cap. XXXV.*

Nominis Cauſa. SCVTVLORVM effigies in Tordilij ſemine à Dioſcoride tradita, vt à Recentioribus congeneres aliæ plantæ, atque ſimiles eodem nomine proponerentur occaſionem præbuit. Ex Vmbelliferis quidem non aptiores adhuc nouimus vulgatis, quibus hanc rariorem, minus cognitam cæteriſq. minimè poſthabendam, nec ab alio *Deſcriptio* deſcriptam addere viſum fuit. Huius radix parua eſt reſpectu plantæ fibroſa candicans, dura; ſapore inter Paſtinacã & Eryngiũ dulci, aromatico; Folia congeneribus affinia, verũ plãtæ congeneri purpureo flore ſimiliora, maiora & læuiora, guſtu parum acria. Caulem habet parem, ab imo alis diuiſum, tenuem rotundum ſtriatum parum hirſutum, circa imum purpurantem, ſicut foliorum petioli. Folia binis tantùm lobis diuiduntur, aut ternis circa ſummum, Flores lutei Anethi in magna vmbella, nullas habentes barbulas magnitudine dependentes, vt in alijs. Fructus edit cartilagineos latos magnos compreſſos, alijs maiores, virentes: at cum perficiuntur limbo externo, & vmbilico candicante, nec hirſutos, ſed læues, parum vel nihil extuberante limbo; ruffaq. linea vmbilicum diuidente. In ſummo Thlaſpeos fructus modo infractos ad Cordis figuram accedentes, apices inde exerentes. Perfecti cum ſiccantur vt congeneres diuiduntur, habentq. in vmbilico ſingula ſemina compreſſa ouali effigie. *Tempus.* Maio floret & perficitur. *Locus.* Spontè ortam non vidimus, at cultam Romæ in Horto plantarum copia refertiſſimo, ac illarũ varietate ac raritate ornatiſſimo Io. Pauli de Alexio Neap. viri huius rei peritiſſimi ac indefeſſi, cuius liberalitate habuimus, vt noſtris inſereremus obſeruationibus. *Sapor.* Fructus virentis ſapor acrior dulcis, parum naribus & cerebro in mandendo ingratus graui aromatico guſtu. Fructus & floris magnitudinem præter integram effigiem Plantæ expreſſimus è regione, vt illius facilior ſit dignotio perquirentibus illam.

Tordilium minimum Apulum. *Cap. XXXVI.*

Locus. PROXIMIOR hæc vulgari Tordilio dicto, acetarijs expetito, Pimpinellæ Romanæ nomine Olitoribus, videtur ſemine, quàm facie. In incultis & ſyluula illa propè D. Rocchi ædem Cirinolæ

Aprili

Aprili menſe. Huius radix tenuis admodum, albicans, dura, dulcis, aromatica & calfaciens eſt. Folia Coriandrina, maiora quæ radici proxima, hirſuta, mollia; quorum primum oblongum, rotundis crenis per ambitum inciſum, ſeſquiunciam longum, latitudine verò vnciam parum ſuperans; alterum verò duas æquat, nam veluti alcinias & incipientes lobos habet. Tertium caulis imo hærens longiore petiolo binos lobos habet diſtinctos, paruos, rotũdos ſemunciali diametro, & in cacumine folium maius & oblongum, primis anguſtius. Quartum circa tertiam caulis partem hærens, tertio ſimile; ſed minus: Quintum verò tantundem ab inferiore diſtans minus omnibus eſt, & acutius folium quod imminet. Ex illius & caulis ſinu, & geniculo ramulus exit. Caulis nudus eſt ſupra folium tertia parte. hirſutus ſtriatus, durus, tenuis, vmbellam habens ſylueſtri Paſtinacæ modo cum baſi foliacea, longis foliolis hirſutis conſtructa, ipſamq. planam, & expãſam, breuibus intus petiolis, in quibus flores albi, denſi, minuti, luteis intus ſtaminibus: in ſingulis verò florum, corymbis, tres flores exteriores, barbulas habent magnas binas, vt in congeneribus, & Echinophoris ſupra relatis, quorum medio inſuut minora: & vmbella exterius pendulis barbulis ornata videtur candidis, minutis intus floſculis remanentibus. Huic ſemina adeò ſimilia ſunt vulgari, vt non niſi magnitudine differant. Duplò ſunt huic minora ſemina, & vmbilico nigriore. Maio adhuc virentia purpuraſcunt, deinde albicant, & folia decidunt ê caule, vt planta cognoſci nequeat, niſi à ſemine miuutiore, ſcutulis ſimile, per ambitum exiguis extumeſcentibus granulis dẽſis vallato, vt incongenere, ſed minora omnia. Sapore aromatico, odorato, amariuſculo. Huic ſimilis videtur planta pro Syriaco Gingidio folijs Bauciæ à Lobellio depicta, ſed ſi eadem eſt, imperfecta videtur.

Deſcriptio / *Tempus.* / *Sapor.*

Sideritis ſecunda Dioſcoridis. Cap. XXXVII.

SIDERITIS ideo dicta fuit, quia facta vulnera ferro, quod σίδηρος Græcis dicitur, glutinandi vim habet. Huius notas ſic Dioſcorides tradidit. Ἄλλη σιδηρῖτις κλῶνας ἔχει διπήχεις, λεπτές. φύλλα δὲ ἐπὶ μασχάλων μακρῶν ὅμοια τοῖς τῆς πτερίδος, ἀκροσχιδῆ, πολλὰ ἑκατέρωθεν. ἐκ δὲ τῶν ἀνωτέρω μασχαλῶν ἀποφύσεις μακράς, λεπτάς, ἐπ᾽ ἄκρου σφαιροειδεῖς, κεφαλλιῶ ἐχούσας τραχείας· ἐν οἷς σπέρμα ὅμοιον σεύτλῳ, στρογγυλώτερον δὲ καὶ σκληρότερον. δύναμις δὲ καὶ ταύτης ἐστὶ τῶν φύλλων τραυματική. *Altera ſideritis, ramulos habet bicubitales,*

Etymon.

 tenues:



1. Tordylium apulum [illegible]
[illegible]
2. Poterium sanguisorba [illegible]

tenues: folia verò in longis petiolis ſimilia in illis Filicis, in extremo inciſa, multa vtrinquè in ſummo verò alarum propagines longas, tenues, in ſummo orbiculatas, caput habentes aſperum; in quibus ſemen ſimile Betæ, rotundius quidem & durius. Vis huius eſt in folijs vulneraria. Cui deſcriptioni quænam planta magis reſpondeat adhuc doctiores hæſitant, nec nos niſi Plinij obſeruatione adiuti veriorem propoſuiſſemus, quod alij minimè obſeruarunt: caulem ſcilicet trigonum præter alias à Dioſcoride traditas notas: ſic enim Plinius de vario Sideritidum genere loquens ait, *Aliam verò binũ cubitorum ramulis exilibus, triãgulis, folio Filicis, pediculo longo, Betæ ſemine, omnes vulneribus præcipuas.* His notis quantum reſpondeat planta Pimpinella vulgaris dicta in acetarijs & poculis expetita, & ab effectu Sanguiſorba dicta, ex ſequentibus apparebit. Radicem habet lignoſam ſubrufentem longam adſtringentem ex qua multa folia in orbem expanſa propè humum pinnata, longis ex candido rubentibus petiolis lobis vtrinquè ſenis ſeptenis, vel octonis circumſerratis hærentibus, atque in cacumine ſingulis, profundè ad neruum vſque exciſis, rotundioribus antequam caulẽ edant, & in caule longioribus, anguſtioribus, & maioribus, acutioribus inciſuris ſerrata magis Filicis folia æmulantia; ſed primæ Trichomanæ folia quodammodo ſimiliora videntur, atque ſimilitudo cum Filice, ex Dioſcoridis mente erit, vt folia habeat longis petiolis multa pinnata hærentia vtrinque Filicis modo, & inſuper, quod non eſt in Filicis folijs, per ambitum ſerrata, quòd verbo ἀκροσχιδῆ expreſſit. Folia hic pro lobis accipiẽs, nã in Filice lobi ꝓpriè dici debent, nõ enim ita parũ petiolo hærent, vt huius plãtæ, qui foliorum ritu magis vt in ſorbis hærent, potius quàm loborum vt in Filice conſpiciuntur, latiorem originem ex neruo habẽtium: atque in Dioſcoride loquendi modum in hac varietate obſeruandum maximè, notauimus in noſtro Phitobaſano edito, alias quidẽ nec plantam aliquis vnquam reſpondentem inueniet. Verba quidem Græcè ita foliorum notas exprimunt, non autem vt in vulgatis tralationibus, *Folia in pediculis longis, ſimilia folijs Filicis, multa, ſuperna parte vtrinque fiſſa.* Aut; *Folio Filicis numeroſo, vtrinque per oras diuiſo*, vt Ruellius vertit. Sed ſic ad verbum Græca ſunt verba, *Folia verò in pediculis longis, ſimilia illis Filicis, circumſciſſa, multa vtrinq.* φύλλα δὲ ἐπὶ μόσχων μακρῶν, ὅμοια τοῖς τῆς πτέριδος, ἀκροσχιδῆ, πολλὰ ἑκατέρωθεν. non enim vtrinque ſciſſa per oras folia, ſed folia per oras ſciſſa, multa vtrinque petiolis ſcilicet longis.

Lib. 25. c. 5.

Huius

Deſcriptio. Huius folia toto anno nobis vireſcunt, nam & cauleſcentem, & caule viduam, & regerminantem obſeruauimus eodem ferè tempore. Caulem edit Vere ex albo rubentem longum admodum, tenuem trigonum, quòd à Plinio acceptum referimus, ex vna ſuperficie parum veluti canaliculatum, alis diuiſum paucis in quibus lobi aut folia duplò longiora & profundè ſerrata, ex quorum initio pedales vel ampliores prodeunt petioli ſiue alæ tenues admodum habentes in ſummo capitula oblonga, acinoſa, virentia antequam flores pandantur, & poſtea floribus puniceis tenuibus ſtaminibus ſericeis conferti, quibus defloreſcentibus ſemina remanent congeſta in caput, rotunda, oblonga, aſpera, quatuor ſtrijs diuiſa, vt quatuor illis facies conſtituant, dura admodum quodammodo Betæ ſemen non denudata referentia, quibus Dioſcorides meliorem non inuenit ſimilitudinem. Capita verò ſeminibus referta nucis Pineæ quodammodo iconem reddunt.

Tempus. Sapor. Martio & Maio floret. Sapor foliorũ adſtringens odoratus, & Regiæ Nucis medullam ſiue nucleum ſiccatum guſtu referens ad amarum & acerbum mixtum inclinante. Huius ſpecies duas faciunt recentiores, & nos obſeruauimus in Syluestribus quarum alteram maiorem, alteram verò minorem, frequentiſſima vulgaris vbique

Locus. in macerijs, locis ſaxoſis, præruptis, tophis, in agris, vineis, & collibus vbique, ſed in Apuliæ Cirinola obſeruauimus an omnis Pimpinella quoquo tempore pilis illis raris tenuiſſimis referta eſſet, atque rariorem piloſam reperimus, frequentiorem & ferè omnem ibi ſine pilis tam cultis quàm incultis. Romæ quoque deinde in hortis abſque pilis omnem obſeruauimus. Quare non eſt omnino verum vulgatum dictum, *Pimpinella habet pilos, Saxifraga verò nullos*. Pilos illos ex abundanti humiditate tam loci quam aeris excreſcere cenſemus, in locis verò calidioribus, ſiccioribus, tenuibusq. vt Cirinolæ, ac etiam Romæ in hortis abſque pilis omnino nudam obſeruauimus. Iccirco verum cum ſit Pimpinellam non minus abſque pilis inueniri, quam piloſam, & læuibus petiolis eſſe in quibus foliola ſiue lobi hæreant, aliam de Pimpinella etiam opinionem in medium afferemus. Nouimus quoſdam ore obtorto tertiam à nobis Sideritidem propoſitam reſpuiſſe, quia vnicum tantùm in petiolo hæreret folium, atque maius, ideoq. Coriandro nõ eſſe ſimile. Quibus & ſi reſpondere poſſemus Dioſcoridem folij partem, & lobum pro folio accipere, vt de folio Hyperici quod ſimile fecit Rutæ, ſicuti de lactaria Apio, Polygono, Ono-

Ononide: & de folio Nucis regiæ in Gentiana & ſimilibus: de folijs Amigdalæ a contrario folium pro lobo, in Ebulo: & de Mentæ folijs in Quinque folio: de Oleæ, in Vitice: Atque eodem modo in Sideritide tertia intellexiſſe forſam nonne potuit? De magnitudine quis vetat, cum ſimilitudo non in quantitate, niſi exponatur, ſed effigie conſiſtat, & Plinius, Ranunculum, qui Coriandri folio eſſe dixit, magnitudine ad Maluæ folia accedere ſcribit? atque nonne & Coriandrum vnico folio quatuor & forſam plura rotunda folia promit antequam illa in lobos diuidere incipiat. Anemone Syluestris, nonne vnico folio inuenitur? atque etiam Ranunculus? & Coriandri folio eſſe debent? quare reliquis reſpondentibus non ſine ratione hanc obiectionem his refelli cēſemus viribus præſertim reſpondentibus. Verùm ne pertinaces nimis in noſtra tuenda opinione videremur, ſed rationibus quæ haberi poſſunt, obſeruationibus, indicijs, coniecturis, ac ſuſpicionibus potius aliquo modo probabilioribus opiniones noſtras ſubſtinere oſtendamus, alteram hanc de Tertia Sideritide Dioſcoridis a Crateuæ hiſtoria excepta proponemus: vt ſcilicet Pimpinella vulgaris læuis tertiam Sideritidem Crateuæ etiam referat, quam niſi variè deſcripta à diuerſo Auctore Crateua cenſemus, atque nos eodem modo eandem verbis depingemus varijs, Folijs enim ab vna radice longa copioſis longis pinnatis Coriandro ſimilibus antequam caulem edat, eſſe nemo inficiabitur; atque caules aliquando plures habet leues ex candido rubentes, trigonos flores puniceos, non purpureos, piloſos, guſtu adſtringentes & glutinoſos cum amarore quodam, vt ſupra diximus, & guſtu percipitur. Vires admodum vulgatæ, & Neotericis notæ, vt Sanguiſorbæ nomine à vi ſiſtendi ſanguinem donata ſit, quas hîc repetere non erit neceſſe, pluries tamen multis accipiendam iuſſimus, vt manus cultro ſauciatas glutinarent, dentibus commanſam vel tritam, & impoſitam, cum alio modo illam terere nequirent. atque citiſſimè nullo alio adhibito remedio ſolidatas. Cur autem hîc Matthiolus & Lobellius non eſſe hanc Coriandri folijs ſtrepant ignoramus: aut Coriandrum non obſeruarunt ante caulis productionem Autumno & hyeme toto, ac Vere, aut non nouiſſe dicendum erit: non enim alio modo folia vtrinque diſpoſita atque pinnata habet, & ſi cum caulem proferat magis laciniata emittere incipiat, vt Apio ſimiliora, deinde ita tenuiora, vt capillaria ferè exiſtimentur, nec illis folijs eſt ſimilitudo, ſed imis tantùm,

Crateuæ ſideritis.

in quibus plantæ natura conſideratur, in caule quidem degenerare ferè omnes conſpiciuntur, vt vix dignoſci queant, niſi ab initio obſeruentur. Ex his denique non eſſe Sideritidem ſecundam Tanaceti ſpeciem illam inodoram, quam Lobellius propoſuit, neque plantam illam CaninæRutæ Lobellij & Penæ ſimilem,vt in Italica Editione, à Matthiolo propoſitam, neque tertiã illã ab eodẽ affabrè depictã, fictamq. ex notis idea retentis quam alias Ranũculi ſpeciem repreſentare diximus, & Doctiſſ. Gaſpar Bauhinus vt illum defenderet ad Geranii ſpeciem accedere cenſet, atque vtrinque folijs vel lobis etiam eſt depicta. Ex hiſce igitur minutijs iudicium ſit de ſideritibus iſtis.Hanc ſecundam Sideritidem etiam feciſſe animaduertimus doctiſſ.Rembertus Dodonæus, & quia non ita priuatim deſciptionem & plantam contulit, alios recentiores forſam illius ſententiæ minime adhęſiſſe videmus, qui potius plantarum copiam, quam electionem affectant, nec trigoni caulis notam in ea animaduertit, quæ non parui pro veritate agnoſcenda facienda eſt. Vires quidem ex Dioſcoride eædem ſunt quæ à vulgò dignoſcuntur, nam recentia & ſanguinoſa vulnera glutinare aſſerere videmus. His addunt alias Recentiores,quas ex illis quis habere poterit, & etiam ex Matthiolo.

Vires.

Sideritis prima Dioſcoridis. *Cap.* XXXVIII.

SED quia de Sideritidibus verba fecimus,ne ſtudioſum nouã hac noſtra ſententia priuare videremur,in alteram Phytobaſani aliquando emendatiorem editionem, vt in animo erat, cum alijs illam vſque ſeruantes,amici cuiuſdam monitu hoc loco addere placuit,illius voluntati obſequentes. Dioſcoridis igitur primæ Sideritidi reſpondentem præ cæteris plantam in Phytobaſano noſtro pro viribus, ex his quas obſeruauerimus plantas, tunc temporis propoſuiſſe viſum fuit. At plantis poſtmodum plurimis Marrubij more, verticillatos flores edentibus conſpectis, atque perpenſis; necnon & Dioſcoridis textum:in animo ſemper fuit, Dioſcoridis primam Sideritidem hucusq;minimè notam fuiſſe:atque interpretationem illam à nobis tunc editam,foliorum breuitate peccaſſe; nec verbum illud μικρότερα μέντι, rectè à nobis relatum. Non enim Sideritidis folia minora illis Marrubij eſſe debent, vt nos, & alij doctiores putarunt;Sed Saluiæ & Quercus folijs;immo & Quercus forſan tantùm folijs,cum relatio proximiori verbo fiat,quod non

affirma-

affirmamus ob coniunctionem. Dioſcorides quidem poſtquam Sideritidis folia ſimilia Marrubio eſſe dixit; addidit, longiora eſſe, ac Saluiæ aut Quercus folijs æquiparari: verbum illud πρός τα τοῦ, ſimilitudinem, & comparationem denotat, verbi ἐπιμηκέςερα, Atque poſtmodum, ne adeò magna cenſerentur, ſubiunxit, minora parum eſſe illis. Quare ſimilitudo in forma & magnitudine eſt accipienda, non in forma tantùm, vt aliàs cenſuimus: atque relatio verbi μικρότερα, Saluiæ & Quercus folijs eſt reddenda: Notandum inſuper hoc loco Saluiæ folia pari magnitudine illis Quercus à Dioſcoride cenſeri, non vt alij putant, diuiſura. Clara hæc eſſe, ex Dioſcoridis textu liquet, ait enim. *Sideritis, quam Heracleam vocant, herba eſt, folia habens Marrubio ſimilia, longiora verò ſicut Saluiæ aut Quercus: minora quidem tantillum, & aſpera. Caules edit quadratos, pedales, vel maiores, non iniucundi guſtus, aliquantumq. ſubſtringentis, in quibus ex interſtitijs verticuli rotundi, vt in Marrubio, & in illis nigrum ſemen. Oritur in ſubpetroſis locis*; Græcè verò, Σιδηρῖτις, οἱ δὲ ἡράκλειαν, πόα ἐςὶ φύλλα ἔχουσα ὅμοια πρασίῳ, ἐπιμηκέςερα δὲ πρὸς τα τοῦ ἐλελισφάκου ἢ δρυὸς, μικρότερα μὲν τι καὶ τραχέα· καυλοὺς δὲ ἀνίησι τετραγώνους σπιθαμιαίους, ἢ καὶ μείζονας, οὐκ ἀηδεῖς ἐν τῇ γεύσει, καὶ πως ὑποςύφοντας. ἐν οἷς ἐκ διαςημάτων σπόνδυλοι περιφερεῖς, ὥσπερ πρασίου, καὶ ἐν αὐτοῖς σπέρμα μέλαν. φύεται δὲ ἐν ὑποπέτροις χωρίοις. Huic deſcriptioni maximè reſpondere videtur planta quædam in ſaxoſis locis, ſterilibus, incultis, Campoclari, Cirinolæ frequentiſſima, alijsq; locis ſimilibus vbique à nobis obſeruata, quæ Marrubij ritu caules edit quadratos, atque per interſtitia verticillatis floribus onuſtos, purpuraſcentibus, etiamque floribus & foliolis ad cæruleum vergentibus: Folia incana, hirſuta, vt caules. Differt verò à Marrubio, colore magis incano foliorum, illorumq. oblongiore figura: vtriculis florum amplioribus, quinis tantùm aculeis rigidioribus atque aſperioribus, pungentibusque. Folijs item in radice imis, quæ Marrubio deſunt, oblongis Saluiæ figura vel Quercus, ac Marrubij, & Saluiæ modo, rugoſis aſperis, magis hirſutis, maioribusq. crenis circumſerratis, ad illius etiam magnitudinem accedentibus; vt ab Herbarijs etiam *Syluestris Saluia* appelletur, & ab aliquibus perperã Theophraſti *Sphacelus*. Ab alijs verò quotquot ſcripſerint, pro *Stachide*, vel *Pſeudoſtachide* ſit depicta: quamquam & noſtro iudicio minus rectè depicta videatur, non enim à ſylueſtri, ſed ab hortenſi planta forſan delineata. Degenerat quidem in horto ſata, vt triplò maior folijs & habitu efficiatur. Huius radix parua, obliqua ingrato odore, fibris

Deſcriptio
Locus.

diuiſa,folia primum exigua promens longis petiolis inſidtêia,pollicari longitudine ; deinde paulatim maiora ,vt ad Saluiæ magnitudinem accedant;Quæ verò caulem Marrubij more ambiunt,vix petiolum habere cernuntur,minora ſatis , & Marrubij proportione,anguſtiora illis,& Saluiæ longam formam habentia,magisq́. piloſa & cana,molliora q́, Maio menſe floret,Æſtate perficitur.Sapor
Tempus.
Sapor. foliorum primo guſtu calfaciens,quo euaneſcente adſtringit & ſiccat palatum,odorem & guſtum non ingratum emittens : quamuis etiam nec iucundus dici poteſt illius odor parum grauis . Longè quidem à Saluiæ odore , ac ſapore diſtare guſtu , naribusq́. patet ; quamuis proprietate quadam illi ſimilem contra rabidi canis morſum Ætius & Paulus Ægineta fecerint , ibi *cum cyatho decocti Saluiæ,aut herbæ ſideritidis,quam heracleam appellant* , Et *cum decocto Saluiæ, aut Sideritidis heracleæ , quam aliqui Alyſſon vocant* .

Tetrab.2. ſer.2.c.24
Li.5. c.23

Quare expunctâ illa hanc reponendam in Phytobaſano cenſemus, magis hiſtoriæ cógruentem: ἀνθρώπου γὰρ ἐςὶ τὸ ἁμαρτάνειν , melioremq́. forſan,niſi hæc verior ſit,aliàs daturos,alijs plantis obſeruatis cõfidimus.Nulla quidem ex ijs,quæ rugoſis hirſutis Marrubio ſimilibus folijs videatur,Saluiæ formam & ferè magnitudinem ex ſylueſtribus refert,vt à nobis nunc propoſita planta,cæterisq́.notis etiã reſpódere videtur.Quapropter alias putatas Sideritides heracleas primi generis,quamuis viribus reſponderent,effigie nulla Dioſcoridis hiſtoriam referre ex his iam ſatis conſtat.Proponitur ab Anguillara viro doctiſſimo qui in locis illis genuinam inuenire poterat,planta albis floribus folijs ſerratis , Quercus modo; ſed quia folia ob rugoſitatem & hirſutiem Marrubio ſimilia eſſe poſſunt,ob eandem cauſam & oblongam formam , Saluiæ reſpondere , ac etiam Quercus folijs ; ſed ob ſerraturas Quercus modo à Dioſcoride minimè deſcriptas, longius ab hiſtotia diſtare videtur ; non enim illius inciſuras , ſed oblongam tantum formam Saluiæ parem intellexiſſe certum eſt . Iconem ex viua planta in ſylueſtribus orta expreſſimus,quibus differat ab alijs quiſque iudicabit . Hanc Herbarij Sylueſtris Saluiæ nomine in ſuis phytopolijs habent ac diuendunt , pharnacopæis mulierculis & Chimicis varijs eorum vſibus, iuxta eorum mentem,quidam calidam,cæteri potius frigidam, alij temperatam ſed adſtringendi vi atque ſiccandi pollere . Dioſcorides heracleæ vim tribuit , vt emplaſtri modo impoſita trita planta vulnera ſine inflammationis periculo iungere apta ſit,

Tele-


Sideritis heraclea
Telephium Dioſc

Telephium Dioſcoridis & Plinij. Cap. XXXIX.

QVID de Telephio ſentiamus, ac quænam ex nobis notis plã-tis, ſuæ hiſtoriæ, facie atque viribus magis accedere videatur *Nomen.* exponemus. Telephium igitur, vt ex nominis Etymo initium ducã-*Etymon.* mus, quia τηλέφεια πέδυματα ſanare creditur, dictum cenſemus: à pu-*Lib. 27. c.13.* trilaginoſis vulneribus Telephi regis, quibus medetur. Vlceribus fiſtuloſis & vulneribus vtilis à Plinio traditur, quamuis a Dioſco-ride non referatur. Id autem præſtare poſſe putamus, ob extergen-tem & ſiccantem facultatem quam obtinet, ac moderatè calidam, vt à Galeno refertur; & ex guſtu amaro, parumq; acri percipitur guſtu. Huius delineatio ſic a Dioſcoride traditur, cuius textus cor-ruptus a doct. Marcello Virg. animaduertitur, ob inconcinnam ver-borum ſeriem, & lectionis varietatem in Plinio, tàm circa notas, *Ibid.* quàm eius vſum. In Græco textu Pariſienſi cum Ruellij interpreta-tione aſteriſci duo notantur; & in verſione nihil; nec ab aliquo, in quibus corruptio inſit, refertur. Nos autem ita legendum cẽſemus, Τηλέφιον, τοῦτο καὶ τοῖς φύλλοις, καὶ τῷ καυλῷ ἔοικεν ἀνδράχνῃ· μασχάλας ἔχον δύο παρ' ἕκαστον γόνυ τῶν φύλλων ἐμπεφυκυίας· ἀφ' ὧν ἄνθη μήλινα, ἢ λευκά. *Telephium, hoc & folijs & caule congruit Portulacæ: alas habens geminas in quolibet geniculo foliorum innatas: ex quibus flores lutei, aut albi.* Verba illa, poſt ἀφ' ὧν, κλωνία ς', ἢ ζ', ἀπὸ τῆς ῥίζης πλήρη φύλλων κυανοειδῶν, παχέων τε καὶ γλίσχρων, καὶ σαρκωδῶν, ἄνθη *. Ex Plinio addita putamus, qui *Ibid* ait; *Telephium, Portulacæ ſimilis eſt caule & folijs. Rami à radice ſepteni, octoniuè fruticant folijs craſſis, carnoſis.* Quamuis plura & varia ſint Græca verba, hoc modo Latinè reddita; *à quibus rami ſex aut ſeptem, ab radice pleni folijs cæruleis, craſſis, & lentis, & carnoſis.* Nec aliquo ex interpretibus verba illa, ἀφ' ὧν, Latinè red-dita videntur, quæ orationis, & hiſtoriæ inconcinnam & incongruã reddunt lectionem: & nos vertimus. Relatiua quidem videntur ver-bi, μασχάλας, *alas*; quæ ita coniuncta, expunctis verbis illis medijs, (vt notauimus,) additis ex Plinij lectione, cum ſequentibus ἄνθη; re-ctus ſenſus, & hiſtoria Plantæ percipitur: Nam ex foliorum ortu flores prodeunt, non autem rami, qui à radice, & ex folijs exire le-ctione vulgata ſequeretur; quod ſecundum naturam haud fieri poſ-ſe putamus. Non enim ſi ex radice prodeunt rami, ex geniculis fo-liorum exeunt; ſi verò ex foliorum alis, non poterũt ijdem ex radi-ce proferri; atque hæc ſint dicta pro textus lectione, ac interpreta-tione.

tione. Nos autem aſteriſco notaremus verba *κλωνίας* & *σαρκοδῶν*; aut verba illa, *ἀφ' ὧν*, *ex quibus* poſt verbum *σαρκωδῶν*, *carnoſis*, reponeremus, magis congrua verborum, orationis, & hiſtoriæ lectione. Et ſenſus eſſet; vt, *rami*, iuxta Plinij hiſtoriam, *à radice* plures, (parum intereſt, *ſeni aut ſepteni aut octoni*, legatur iuxta Dioſcoridis vel Plinij textum,) *pleni folijs cæruleis, craſſis, lentis, & carnoſis, ex quibus flores lutei vel candidi* Sed nunc plantam conferemus. Supradictis notis nulla melius reſpondere videtur planta niſi illa, quam nos copioſam & cultam in horto Illuſtriſsimi & Reuerendiſſimi Card. Aldobrandini, Quirinali monte obſeruauimus Romæ floridam, ac fructiferam; vt delinearemus; Quæ radicem habet craſſam, perennem longam æqualem candidam tenui cortice obductam teneram, ſed vetuſtate lignoſiorem, capi te extuberante ob germinum vetuſtorum amiſſionem & nouam quotannis eruptionem, plures quidem exeunt ab radice rami firmi teretes læues virentes geniculati ſpontaneæ Portulacæ ſimiles, ſinguliſq. geniculis folia vtrinq. adhærēt vncialibus petiolis, vel minoribus craſſis foliatis, Aurantiorum petiolis quibus folia inſident ſimilibus, minoribus, atque anguſtioribus, in quibus folia bina ſemper inſident, ab eodē ortu prodeūtia, carnoſa craſſa læuia effigie Portulacæ, lēta ſuccoſa, ad cæruleum quodāmodo vergentia, ob candidam aſperginem, qua dealbari videntur ex viridi, circa radicem latiora & maiora, vt lata ſint vncias duas, & longitudine illas atque dimidiū ſuperent: circa ramos minora decreſcentia Portulacæ paria, & in ſummo minora. Hic perpendenda ſunt verba illa Dioſcoridis *μασχάλας ἔχων δύο*, &c. Latinè, *alas habens geminas in quolibet geniculo foliorum innatas*, &c. Non enim intelligi debet, vt bina folia ſingulis caulis geniculis hæreant, vt aliqui putarunt; & legitur in Auricula Muris, Ebulo & ſimilibus, & rectè; ſed qđ cuilibet foliorū geniculo non caulis, alæ ſint foliorum geminæ ipſaque folia alarum ſinum efficiant: non enim *παρ' ἕκαστον γόνυ τῶν καυλῶν*, ſed *γόνυ τῶν φύλλων* legitur: hæc ſi obſeruaſſent cæteri atque perpendiſſent, non plantas illas propoſuiſſent. Ex foliorum ortu igitur, Deſcriptionem proſequentes, & caulis geniculis breues bini producuntur petioli circa ſummum è medio ramulorum, in quibus primum virides corymbi rotundi parum oblongi inſident erecti, qui dehiſcentes alba folia interna exerunt parum, numero quina, ſicuti & externa illa continentia calycis vice, corymbum efficientia, pluribus croceis oblongis intermedijs tenuibus ſtaminibus capitatis productis

Deſcriptio

ex eorum centro tantundem excedentibus: Stamina quidem illa primum craſſo capite breui ſtamine cum flos hiat parum, & cauus conſpicitur, at perfectior, ſtaminibus admodum productis, capitella minuuntur, atque interna foliola floris candida croceum vnguen, dimidium folioli occupantem oſtendunt: quare non mirum ſi in Dioſcoridis textu legatur, *flores lutei aut albi*, parum aperti candidi, ſed hiantes crocei etiam conſpiciuntur. Illis marceſcentibus atque decidentibus, petioli remanent ſiliquam habentes electam, paruam, ſtaminibus adhuc remanentibus; at perficiente ſe ſiliqua, Rhaphani ſiliquam æmulante, ſtamina pereunt, petiolus intorquetur, ac ſiliqua deorſum nutat, vireſcens læuis nitida, circa extremum craſſa, atque pilum habent à quo veluti lineæ quinque per longum deducuntur q̃bus ſiliqua iam maturitatem & ſiccitatem adepta diuiditur hians, ſeminanq. dimittens oblonga plurima. Iunio & Iulio floret, & Siliquas profert, Auguſto & Septembri menſe perſicitur Sapor plantæ amarus, parum acrimoniæ offerens guſtata; non multum à Capparis vulgaris Sapore alienus folijs, ſed fructu diſtat: quare ob natalem locum Saporem & aliqualem plantæ habitum ſimilem cum Cappari *Leguminoſã Capparin* denominauerunt, proprium nomen ignorantes: & quia folijs alatis Fabæ folia imitari videretur, alij Fabaginem dixerunt. Radicis Sapor acerbus, parum acris ad amarum inclinans. Folia verò magis amara. Ob amarorem apud Syros, ad vermes necandos in vſu eſſe tradunt hac facultate iam clarè percipitur ſiccantem & extergentem habere qualitatẽ, cũ quadam calfactione: qua facilè à Dioſcoride atque Plinio tributas vires explere poteſt Dioſcor. vires. *Folia ad ſex horas impoſita vitiliginem curant quæ leuce appellatur. Verùm poſtea crudam ordeaceam farinam adhibere oportet. Tollunt eadem etiam vitiligines, alphos dictas, illita cum aceto in ſole: Sed vbi inaruerint defricare ipſa oportet.* Has vires & Capparis efficaciores habere videtur. Plinii verò. *Illinitur lentigini, & cum inaruit, deteritur. Illinitur & vitiligini ternis ferè menſibus, ſenis horis noctis aut diei; poſtea farina ordeacea illinitur. Medetur & vulneribus & fiſtulis.* Non eſſe ex his Thelephium, plantam illam *Craſſula* ſiue *Fabæ inuerſæ* nomine, ab aliis receptam, clarè patet: ſicuti nec erit planta illa *Scorpioides* dicta, quãuis viribus magis etiam accedere videretur, nec etiam quæuis alia planta, quæ binas alas in quolibet foliorũ geniculo nõ habeat

Tempus. *Sapor.* *Vires.*

vt



Erodium [illegible] Spr. herb.

vt in noſtra planta conſpicitur, & ex textu Dioſcoridis declaratur: quibus nulla adhuc ex plantis ab aliis ꝓpoſitis ꝑdita cernitur, ꝑter notas alias atque vires alienas. Huic natalis locus in ruderibus & ſterilibus traditur à recentioribus, nos enim in terra cultas pleraſq. plantas vidimus, atque imbecilles, & minimè frugiferas: in eodem horto in parietibus Capparis modo ſatas, benè adultas lætas, ac floribus & fructibus onuſtas plurimas obſeruauimus, maximeq. vegetas, ſatisq. indicio eſt ſaxoſis & maceriis gaudere. Dioſcorides oriri inter vites & cultis locis vere tradit, ſed eorum incolæ vineas locis ſaxoſis colere videntur; comparantur ex eodem Dioſcoride ſaxoſa loca, maceries & vineæ, vt de natali Crateuæ Sideritidis loco refert.

Geranium Apulum Coriandrifolium. *Cap. XXXX.*

DVodecimam hæc Geraniorum conſtituit nobis cognitam ſpeciem, Cirinolæ repertam, aliquam cum Cretico putato à Lobellio nobis frequenti ſimilitudinem habentem. Prima namque folia cum illis quadrare videntur, at reliqua latiora multum, laciniata magis Matricariæ noſtratis diuiſuris, niſi parum eſſent retuſiora, ad Coriandri propè caulē folia accedentia, mollia, hirſutie vix apparente obducta, odorata, vt Acus moſchata dicta ex eodem genere Geraniorum; longis petiolis ſubrubicundis fulta, circa radicem paruam, flauam, vel ruffeſcentem, breuem è terra parum elata, auriculas ſiue alas in imo petiolo circa radicis caput vnde oriuntur habentia rubra. Caulem profert Martio hirſutum, geniculis diſtinctum, vt Creticum & congenera, in quibus bina folia minora breuioribus petiolis ex geniculo, & binis illis etiam barbulis cartilagineis rubentibus, vt in congenere ſed maioribus. Ex quorum ſinu ſemipedalis cauliculus hirſutus atque viſcoſus exit, baſim inſidentem habens quinque partitam, ex qua petioli quatuor, aut quinque prodeunt, flores emittentes colore violaceo purpureo diluto, quinque partiti, ex hirſutis foliolis quinis Calycis vicemgerentibus, acutis in ſummo ſed non pungentibus, His fructus veluti longi, trientales roſtri Auium ſeu Ciconiæ vnde nomen corniculorum effigie ſuccedūt in imo craſſiores, in ſummo tenuiores, ac quinque apicibus tenuibus diuiſi; qui cum ſiccantur, diſrumpuntur, ac in ſemetipſos torquentur viticulorum modo atque tunc oblongis ſetis hirſuti falcatum apicem relinquentes:

Geranium rotundifolium saxatile montanum



S

atque in imo ſemen continentes oblongum hirſutum. Maio perficitur Cirinolæ nec alibi vidimus: in agrorum ſiue hortorum marginibus elatis frequens. Sapore admodum adſtringente. Quare hęc potius quàm illa Robertiana ſupponenda tertiæ Sideritis vice fuiſſet, folijs magis Coriandro cauli proximis & hærentibus, ſimilibus minuſq. hirſutis, viribus adſtringentibus, niſi Geranium etiam eſſet, non Sideritis, à Dioſcoride non deſcriptum. Cum Rhamno, Halymo, marino Abſynthio & ſimilibus in editis ſiccisque locis oritur. Inuenitur etiam & aliis locis montanis etiam, vt in comitatu Valuenſi per ſemitas.

Tempus *Locus.* *Sapor.* *Vires.*

Geranium alterum montanum Saxatile rotundifolium. Cap. XXXXI.

EST & altera Geranij ſpecies ab alijs non deſcripta Columbino pedi Geranio ab herbariis dicto, ſimilis: frigidis locis ſaxoſis, & maceriis ſpontè luxurians, radice minima parum flauicante vix humo hærente: folia in petiolis ſubrubentibus rotunda Geranii Columbini æmula ſed ſplendida nihil aut parum hirſuta candidis rariſq. pilis, rotundis crenis per ambitum diuiſa, cauliculis pedalibus ſupinis ferè ex albo rubentibus, in quibus folia & flores aliis minores admodum, rubentes potius quam purpuraſcentes, quibus breues admodum, nec rigentes, ſuboriuntur corniculi ſiue roſtelli, in quibus ſimile ſemen, quod perfectum apertis valuulis ab imo decidit. Differt à congenere foliorum paruitate, leuore ac foliorum ſplendore; minutiore flore, ac fructus conceptaculo quodammodo aſpero, & ortu in ſaxoſis præſertim montanis.

Eupatorium Dioſcoridis, Meſuæ & Auicennæ. quibus differat. Cap. XXXXII.

DIV torſit nos iſta Pharmacopæorum, Herbariorumq. atque etiam Medicorum controuerſia de Eupatorii varietate. Aliud enim Græcorum Eupatorium, aliud Arabum; & aliud Meſuæ aliud verò Auicennæ: rectumq. putant ſe facturos, ſi miſceant aliud pharmaco Meſuæ, aliud medicamento ab Auicenna deſcripto, ſic etiam à Græcis præſcripto: Dioſcoridis Eupatorium, vulgarem Agrimoniam iudicantes & rectè; Meſuæ verò illam à Dioſcoride pro Agerato deſcriptam & ab iiſdem etiam receptam pro Eupato-

rio,

rio: & pro Auicennæ, aquaticam cannabinam ſic vulgò dictam, quia prope fluenta etiam non minus quam in montibus oriatur, ſupponentes; an autem id rectè, & aliqua ratione ſit factum ex ſequentibus apparebit. Quod Dioſcorides antiquior ſit Arabis hiſce, nedum hoc vulgò eſt cognitum ſed ex eorum ſcriptis colligitur, in quibus ex Dioſcoride & Galeno tam cognitionem ſimplicium, quàm ipſam medendi artem habuiſſe videntur. Quapropter minime dubium cenſemus communia ſimplicia Græcorum in ſua tranſcripſiſſe: & adeò breuiter & ob linguæ & phraſis differentiam diuerſè, & quod veremur impropriè in multis tralata, vt vix parum adiutorii pro herbarum cognitione colligi poſſit, quamquam pro virium cognitione non parum vtilia ſint eorum ſcripta. Potius igitur ad Dioſcoridis textum ab iiſdem & à Galeno probatum, cum ab illo planta eſt deſcripta aut medicamentum recurrendum cenſemus, quàm aliios ſequi niſi diuerſitatis rationem adducant, eritque meioris cognitionis. Ad Eupatorium Dioſcoridis redeuntes, ita illud accuratè deſcripſit, vt ab omnibus ſit cognitum ac vulgare; Sed, quod miramur, vſu vix receptum ab officinis. Sic enim ait, *Eupatorium herba eſt ſarmentoſa virgam proferens ſingularem, tenuem, lignoſam rectam, nigram, hirſutam, cubitalem aut maiorem; folia ex interuallis diuiſa in partes maximè quinque, aut etiam plures, folijs Quinquefolij aut Cannabis ſimilia: & ipſa ſubnigra, & ſerræ modo in extremitatibus inciſa: Fructum fert à medio caulis ſubhirſutum, deorſum nutantē, vt etiam veſtibus hæreat ſiccatus.* Cui delineationi tàm ſedulo relatæ, minimè poterat plāta deficere, quæ ſtatim ab omnibus non dignoſceretur. Sed differētia eſt, nam duæ inueniuntur conſimiles plantæ, vt vix vna ab altera niſi naribus admota dignoſcatur. Quarū vulgaris, & quæ vbique naſcitur, inodora, vel ingrata eſt; Alterā verò cuius cauſa hæc ſcripſimus, adeò odorata eſt, & aromatica; vt vulgari ſit sēper præferenda: Mirum quidem naturæ inſtitutum, vt eâdem orā, tam breui intercapedine, vulgarem propè oppidum Campoclarenſium in montis radice Septentrionali, inuenies; in Sylua quidem & colle quodam iuxta flumen Auſtrum reſpicientibus, adeò odoratam & aromaticam, vt ab illa diuerſam quiſque, niſi flore & fructu eadem eſſet, iudicaret: nec longè abſunt loca niſi tribus mille paſſus. Sed & magis in Zagarolæ oppido iuxta Præneſtem Romano agro, in eodē colle, ſemita, & agro, *Mainello* dicto vtranque inuenimus. Verùm ſi rectè expendatur, effigies plantæ, minor parum eſt, & rotundiore

Eupat. Dioſc.

Varietas.

Locus.

lobo,ſed vix differente,colore verò pallidiore,tactu viſcoſo,& odoris fragrantia nobilior,& ſapore aromatico iucundiſſimo,adſtringente.Radice ex nigro rubente,fibroſa;reliquis verò eadem dicas.

Tempus. Æſtate & Autumno etiam inuenitur perfecta. Huius folia, vt deli-

Deſcriptio neationem proſequamur, in quinque maximè partes vtrinque diuidũtur,vt Dioſcorides notat,aut pluribus veluti ſex,(verùm alios intermedios lobulos totidem habent,quorum parui fecit)& in sũmo vnicum habentia,dodrantali petiolo,ſiue neruo,hærẽtia,Quinquefolij,aut Fragrariæ magnitudine,& effigie,aut Cannabis recenter nati:ſed ſi totum folium in lobos inciſum conſideremus,ab radice folia exeunt longa dodrantalia fere,Centaurij maioris modo diuiſa, pinnata Fraxini modo, cui Cannabina idem Dioſcorides ſimilia fecit,in extremis oris ſerrata,hirſuta,tactu viſcoſa,odorata & aromatica.Similitudo quidem foliorum à Dioſcoride tradita,nõ totius folij effigiem,ſad partis Quinquefolio ſimilem referri debet: non enim ſi Quinquefolio ſimilem facere voluiſſet,folia primùm deſcripſiſſet in partes diuidi quinque,aut ſex,ex interuallis;ſed ſimpliciter folia Quinquefolij habere dixiſſet,& non ex interuallis diuiſa,ſed ab vno principio,quod alij minimè inueſtigarũt;nec perceperunt ex Dioſcoridis notis,φύλλα δὲ ἐκ διαστημάτων ἐσχισμένα ,non autem vt in Quinqueſolio,πέντε καθ' ἕκαστον μόσχον, *Folia ex interuallis diuiſa*,non vt in Quinquefolio,*quinque in ſingulo petiolo*. Caulem Vere producit ſemipedalem vnicum,ſed in vetuſtis plures aliquando, rectum, hirſutum tenuem,lignoſum, obſcurè rubentem,folijs interceptum minoribus, in ſummo circa medium duabus alis aliquando diuiſum,in quibus flores in ſpicam longam ordine diſpoſiti,botrioſi primò,& denſi;deinde caule creſcente rariùs & alternatim diſponuntur, dehiſcentesq́; ſurſum elati, in quinque lutea foliola Pentaphylli æmula,minora;quibus fructus ſuboritur deorſum nutans,non diſſimilis ſemini *Scabioſæ* vulgò dictæ per longum inciſus,& ſtriatus,& pro limbo Scabioſæ cartilagineo, hirſutiem circũ habens in orbem aſperam,aduncam,denſam, vt ſiccatus dureſcat, rigeat,& veſtibus hæreat Lappæ modo. Nunc autem videndum quibus reſpondeat Auicennæ delineationi,qui ait, *Eupatorium eſt*

Auicẽnæ Eupator. *ex herbis aromaticis*; alij legunt,*ſpinoſis*,alij *piloſis*,& rectius,*& folia habet ſicut folia Cannabis, aut Quiuquefolij, & flos eius ſicut Nenufar*; &c.Et quidem ſi Dioſcoridis reſpondet hiſtoriæ, vt iam omnes conſentiunt,ſimili modo Auicennæ delineationi reſpondere videbitur,cuius notæ,floris tantùm deſcriptione,atque additione,

ne,

ne, ab hiſtoria Dioſcoridis variant, fructus notis omiſſis. Huic collationi plerique non reſpondere noſtram Agrimoniam contendunt, quia flore non ſit Nenuphari ſimili, ſed hallucinantur putantes in magnitudine ſimilitudinem ineſſe, quam tacuit Auicennas, cùm illis effigiei, atque colori referri debeat: ita quidem in vſu frequens eſt luteum Nenufar quinque partito luteo flore, ſicut candido multiplici. Cur, quæſo dicant, Cannabinam receperunt? Quam habet illius flos cũ Nenufare ſimilitudinẽ colore aut effigie? Vbi nã capillarem & papposũm florem purpureum Nenuphar habere reperitur? aut aliquis illi tribuit? Vbi aromaticitas, ſi verſionem primã recipias? vbi ſtipticitas & ponticitas? vbi amaritudo fortis vt Aloës, ſi incorruptus eſſet textus? Cur igitur recepta? Pharmacopeorũ, Herbariorunq. inſcitiã, & Medicorũ incuria. Nõ enim alia in illa eſt nota, niſi foliorũ quodãmodo Cannabin referẽtiũ, & nihil Quinquefolio cũ potius magis Quinquefolio ſimilia eſſe debeant eiuſdẽ Auicennæ iudicio; qui ſecundo loco, *Quinquefolio*, dixit, cum illi magis quàm Cannabi folia eſſent ſimilia, non aliam quam Dioſcorides deſcripſit intelligens plantam. His igitur eandem eſſe plantam Eupatorium Dioſcoridis & Auicennæ ſatis melioris ſententiæ eſſe conſpicitur: & amaritudinis nota ex Arabo auctore alio addita Auicennæ textui vel ex Meſue cenſemus, qui longè aliam plantam ab illa Dioſcoridis & Auicennæ deſcripſit, vt ex illius hiſtoria patet, ſic enim ait; *Eupatorium eſt herba longitudinis cubiti. amaritudinis multæ, cuius folia ſunt ſicut folia Centaureæ minoris, viridia, ſed ſunt aſpera & inciſa; & ſtipes eius ſubtilis, & quando exiccatur citrineſcit, & eleuantur ſuper eum flores, qui ſunt ſicut ſubcitrini, longitudinis paucæ, & ſunt qui dixerunt, quod Eupatorium eſt herba Culicum, in qua viſcoſitas eſt adhærens.* Hac delineatione, atque hiſtoria, nullam aliam deſcripſit plantam niſi illã, quæ Coniza minor eſt Dioſcoridi, cuius folia Oleæ effigie eſſe dixit non addita magnitudinis nota, & tamen longè maiora ſunt folia Conizæ maioris Oleæ folijs, & Conizæ minoris: Coniza verò minor parum Centaureæ minoris folia maiora proferre videtur, & quæ caulem, cum florida eſt, ambiunt parua & non diſſimilia, hirſuta, viſcoſa tactu, per ambitum parum ſerrata, odorata, floribus luteis piloſis oblongis, in pappum euolantibus ſemine perfecto, amaro acriq́ue ſapore, & culicum herba dicitur, Coniza cum ſit. Non enim in Agerato Dioſcoridis, quod pro Meſuæ Eupatorio Officinæ & Medici vſurpant, ſimilitudo aliqua eſt foliorum cum Centaurio

Meſuæ Eupator.

Deſcriptio

taurio minore, cum Centuarij minoris folia ſint oblonga anguſta, effigie Rutæ oblonga vel Polygoni; nec vt Meſues ait, hirſuta aut aſpera ſunt, ſed læuia, nec in eis viſcoſitas eſt adherens, nec ab aliquo vnquam Culicum herba fuit dicta: præterea longè feruidioribus viribus eſt Ageratum, Eupatorium ab ipſo Meſue deſcriptum magis ſuperans, quàm Coniza. Hoc autem verum eſſe non ſine gaudio, in Arabico Herbario manuſcripto in quatuor tomos diuiſo, apud nobilem & Doctiſs. Io. Bapt. Raimundum Romæ reperimus, dum Hyſſopi hiſtoriam quæreremus; cuius humanitati legẽtes hæc, mecum gratias agant. Illius auctor *Ahamad ben Abdeſſamad*, poſt Dioſcoridis Eupatorium ad verbum relatum ſub nomine *Gafet*, ſubiunxit, ex alio Auctore, *Lai*, qui ait, *Adeò inter orientales, atque occidentales medicæ rei profeſſoribus aucta eſt controuerſia de hac planta, vt illius nec certitudo, neque veritas apud illorum aliquos inueniatur. Occidentales quidem poſtremi, ac Africani Medici vice huius, plantam vſurpant, quam Barbaricè* Tarhalan *dicitur, quod eſt Tabaccum & in hac conueniunt opinione. Ex* Iſaac ben Emran, *&* Ahamad ben abi Chaled, *Hic deteſtabilis error eſt, nam quod* Tarhalan *dicitur, à Dioſcoride lib. 3 refertur, & Græcè illud appellat* Cuthira, (ita ob punctuum defectum legebatur, ſed nobis interpretẽ admonentibus an *Coniza* exprimere ijdem characteres poſſent, ob illius manifeſtam hiſtoriam, reſpondit, *Coniza* legi punctis additis poſſe:) *quod eſt* Tabaccum *arabica lingua, de quo locutus sũ in litera. T. Sed medici aliquot Hiſpani vtuntur planta hac, de cuius eſſentia, & viribus locuti ſumus; qui occidentales medici ſunt ex regione Bœtica, illudq. eorum vernacula lingua* Arramanda *denominant. Sed medici Aracb, & Syriæ, atque Aegypti ſupradictam plantam ignorant. Et quidem aliam illi plantam vſurpant amaritudinis multæ quæ flores edit cæruleos, longos acutos, folijs rotundis tenuibus, ſimilibusq. tenuioribus folijs* Aſel, *foliorum color illius, & ramulorum ad luteum inclinat, & tota planta amariſsimo ſapore, & Aloe amarior: maioribusq. viribus, & manifeſtioris vtilitatis ad aperiendas Hepatis obſtructiones, reliquorumq. viſcerum, quàm ſit medicamentum, quod Interpretes* Gafet, *appellant, ex ſimplicibus Dioſcoridis & Galeni. Dicit* Badigures, *loco Gafet, drachmæ dimidium Aſari, & drachma & ſemis illius de Abſynthio.* Quid autẽ ſit eorum Tarhalan addemus ex eodem Auctore, vt manifeſtior ſit declaratio. *Tarhalan, &* Tarhala *etiam dicitur Barbarico nomine planta quæ Græcè Coniza, quod eſt* Tabaccum *Arabicè, de quo in litera,*

lera, T. dicemus. Et hæc ſunt: *Tabaccum* Algafchi, *vulgus Boetica illud* Tabaccum *appellat, quod Barbarica lingua eſt* Tarhalan, *aut* Tarhala, *etiam, & eſt planta illa qua maior noſtratum Medicorum numerus vtitur, quod eſt verè Gafet: & quod Orientales illa vtantur accepi, ideoq; variant a Dioſcoridis Gafet, atque Galeni. Dixit* Abuhaniſa, *Tabaccum frutex eſt hominis ſtatura, oritur frequens, vt non vnica inueniatur planta: folijs eſt anguſtis virentibus gummòſis tactu, & illita vulneribus proſunt; ac etiã floribus eſſe luteis, quibus gregatim conuolent apes; atque etiam plantam hanc calefacere manifeſtè, atque Hepatis doloribus ex frigida cauſa obortis ſuccurrere, illiusq. abſtructiones aperire, & tumores cum duritie, & ventoſitate, illius imbecillitate obortos diſcutere, roburq. addere operationibus eius. Hinc cenſeo alios aberraſſe in hac planta, atque putaſſe quòd eſſet Gafet, etiam antiquiores medicos. At Rhaſis ait, de* Gafet, *quod menſtrua prouocat. Et Hæc quidem Tabacci vis eſt, non autem Gafet. Venenoſorum animalium ictibus ſuccurrit, precipuèq. Scorpionum, potum & illitum. Item doloribus iuncturarum. Aduſtos humores deijcit devoratum, & ideo vtile calefactioni & aduſtioni veteri ſcabiei, & prurigini potus ſuccus vel eius decoctio. Verùm quoad Tabaccum grauis odoris, quod idem eſt cum planta à Græcis* Coniza *dicta quæ viribus eſt acrioribus, calidioribus, minusq. vtilibus Hepati. Differentiæ nota inter ipſas eſt odor fœtidus, nam ſuauis odoris eſt Tabaccum dicta, & vtrique parum grauis odoris ineſt. Sapor illius dulcis, & Conizæ acrimonia & amaror manifeſtus ineſt, & pleriq. medici vtuntur illa vice Gafet & Tabacci. Coniza quidem illa planta proprie eſt quæ à Vulgò dicitur frutex pulicum. Hæc ex Arabis Auctoris volumine.* Adducit deinde Dioſcoridis nomen, eiusq; Conizæ Hiſtoriam trium ſpecierum & vires ſubſcripſit, quas addere hoc loco admodum prolixè agebatur. His igitur quæ de Eupatorijs ſentiamus ſentiamus ſatis retuliſſe viſum fuit. Vires ex Dioſcoride ſunt, *Huius folia cum adipe ſuillo veteri trita & impoſita, vlcera ægrè cicatricem recipientia ſanant. Semen autem & herba ſi cum vino bibantur, dyſentericis, Hepaticis, & reptilium ictibus medentur.* Galenus, Eupatorium tenuium partium, & ſecandi & extergendi vim habere dicit, abſque manifeſta caliditate. Hæc de Dioſcoridis Eupatorio intelligenda, non autem Arabum Meſuæ & ſupra relati Tarhalan, ſiue Tabacci, Conizæ Græcis, Eupatorij Arabum Dioſcoridi poſteriorum.

Agri-



Agrimonia agrimonoides Spe. Linn.

Agrimonoides. Cap. XXXXIII.

PROPTER aliquam cum agrimonia, quam habet ſimilitudinem, Agrimonoidem hanc appellauimus, cum aliò referre ignoraremus. Huius radix parua eſt, fibroſa, lignoſa & rubeſcens. Folia habet terræ proxima longis hirſutis dodrantalibus rubeſcentibus petiolis hærentia Fragariæ, ſed nigriora & plura, Agrimoniæ modo diſpoſita ſeptem, interque alia paruula magis inſunt, vt in Agrimonia etiam obſeruatur, hirſuta, mollia, per ambitum ſerrata, dentibus Agrimonia minutioribus, & acutioribus, verùm folia rotundiora. Caules producit plures veluti ſupinos, hirſutos rubentes, alis tribus vel quatuor diuiſos, in quibus folia minora hærent, pauciora, atque rotundiora auriculas habentia circa caulem vt in Congeneribus: in quorum ſummo tres aut quatuor ſimul inſunt vtriculi hirſuti Cytinorum forma, paruis multis inciſuris per ora fimbriati, luteum habentes florem paruum Agrimoniæ, quem in aliquibus locis vix exerit, ſed intus poſt illum fructum concipit. Campoclari verò illum explicare omnino obſeruauimus: quo deciſo fructus producitur oblongus rotundus tritici grano æqualis Lagenariæ Cucurbitæ modo binis ferè tuberibus formatus: & perfectus ex ſe decidit, hiantem vtriculum relinquens. Aprili menſe floret, & Maio perficitur. Sapore eſt abſtergente ſiccante, amaro. Odorata etiam eſt, media inter benè olentem & vulgarem Agrimoniam. Locis incultis inter vepres & frutices apud Mateſij radices inuenimus ſeptemtrionem reſpicientibus, humentibuſq́. & Æquicolorum poſtea montibus etiam meridiei auerſis locis vmbroſis. Hanc propter amarorem facilè quis pro Arabũ Eupatorio ſupponere poterit quamuis non ita ſit inſignis amaritudini forti, vt dicunt, æquiparari poſſit: ſed noſtram ſententiam protulimus.

Nomen. Etymon. Locus. Tempus. Sapor.

Alchimilla minima montana. Cap. XXXXIV.

aphane ... l. 4. 129

HANC rariorem plantulam nouem ab hinc annis cum alijs Campoclarenſibus, deinde in Æquicolorum montibus, & incultis etiam depreſſis obſeruauimus copioſam, ſemipedalis ad ſummum altitudinis, ab radice minima, lignoſa, flauicante, fibrillis diuiſa parum, cauliculi rotundi plures hirſuti, tenues ad-

Locus. Deſcriptio


Alchimilla montana minima


Malua ſiue Alcea montana

modum, parum rubentes, in imo lignoſi: folia ima puſilla alternatim diſpoſita, & cauli hærentia, hirſuta, viridi dilutiore colore, infernè albidiora, tripartita Ammeos, vel extremi Apij folijs; aut Nigellæ vulgaris primis, vel nuper naſcenti Fumariæ, auriculas habentia vt in ſuperiore, & *Alchimilla* dicta ſiue *Stellaria*, cui congener videtur; foliorum alis, vtriculis & fructu ſimilis. Florem obſeruantibus, non reperimus alium niſi ſit idem vtriculus Cytini forma exiguus, quinquepartitus, hirſutus, & vireſcens, ſemen intus habens Milij vel Panici effigie, minus: flaueſcens, atque parum compreſſum Folliculi coaceruati inter foliorum & caulis ſinus, vt in Alchimilla, ſed ab imo ferè nec niſi tria aut quatuor denſis caulis imis geniculis hærentia folia quæ minima ſunt, & vix conſideranda illis carent, & cum ſiccare incipiunt; vt tota planta flaueſcit; Iunio perficitur, quo tempore illa florida, & ſemine turgens reperitur, adhuc imis folijs hærentibus. Guſtu adſtringere atque ſiccare viſa fuit: Hanc neminem propoſuiſſe cenſemus, & ſi quidam Percepier Anglorum à Pena & lobellio depicta cenſent, quæ ſi eadem eſſet, non rectè depicta fuit; non enim folia ima tam longis nituntur petiolis, vt in illa; nec ita magna folia, ſed ſine petiolis, & minora admodum ima hærent, vt nec lentis diametrum æquent longitudine, vt fideliter expreſſimus, ex planta in Sylueſtribus orta. Inuenimus etiam apud Valuenſium montium prata.

Tempus.
Sapor.

Malua montana ſiue Alcea rotundi folia Laciniata.
Cap. XXXXV.

HANC neminem adhuc obſeruaſſe cenſemus, nec pictam vidimus rariorem Maluæ aut Alceæ ſpeciem, quam in Campoclarenſium Mateſio monte nec admodum frequentem excelſis iugorum planis anno poſt noſtram Phytobaſani editionem obſeruauimus: deinde in Æquicolorum etiam Montium planis, Raſcino, appellatis. Huius folia prima Maluam ita repræſentant antequam caulem edant rotunda, inferne parum hirſuta, atque vulgaris Maluæ modo quinque partita, vt nihil ab illa differre videatur, & prætereuntes vel colligentes fallat. Sed caulis tempore accedente ita incipiunt lacinijs diſſecari, vt longè ab illa differre videantur, vt qui caulem tantùm folijs veſtitum viderit, Napellum potius habere cenſeat, ita enim Cæruleo Napello ſimili diuiſura

Locus.

diſſe-

diſſecta ſunt: nec niſi floribus incipientibus in ſummo illius corymborum modo denſis, ad Maluæ ſiue Alceæ ſpeciem referendam iudicauerit. Flores magni ſunt, figura & colore Maluæ, ſed roſeo viuaci, quibus dehiſcentibus fructus remanent foliacei, vt vulgaris, ſemina intus habentes cōpreſſa: hirſuta, lunata, & nigreſcentia, vt congenerum. Octobri menſe perficitur, Supra Mateſij montis ſupercilium Septemtrioni oppoſitū *Ciuita vecchia* appellatum, & etiam loco *Stazzo della Serra*, Ouium .ſ. manſio. Sapor & effigies radicis Maluaceus. Huius foliorum lobi qui folium diuidunt in quinque partes ſi conſiderentur, & ſi tenuiores ſint, Alceæ vulgari diuiſuram æmulantur; cuius folia Dioſcoridis iudicio Verbenam imitari debent, ſed & huius lobi non minus Verbenam vulgarem, quàm totum folium Napellum cæruleum repreſentant.

Tempus.
Locus.

Noli me tangere Balſamita altera. Cap. XXXXVI.

COELI æſtum ita odit planta hæc, vt non niſi Septemtrionalibus vmbroſis, humentibus, vliginoſis & frigidis admodum locis, nec frequens oriatur: atque vno tantùm loco in tota Campoclarenſium valle: tenera quidem eſt ita, vt quouis cœli impetu aquæ diſrumpatur, marceſcat, & euaneſcat: alijs etiam eiuſdem Caſtri locis depoſita, translata, non deuenit ad frugem. Quare ad illius loca natalia eſt deueniendum, vt illius copia haberi poſſit. Semina quidem, perfecta ita difficulter haberi poſſunt, vt nihil ſit laborioſius: perficiente ſe ſiliqua ſi ventus flabit nulla remanet, diſrumpuntur omnes, Semen iaculant immaturum, vt ſi è terra, quod difficilimum eſt propter loci aſperitatem, colligatur, nec ſatum pullulet. Ideo nomen illi, quia etiam quouis modo tacta deſiliunt ſiliquarum valuulæ & ſemina. Huius Plantæ habitus ad Balſaminæ dictæ plantam accedere videtur: quare eodem nomine appellanda fuit: Caulæ quidem eſt longiore, bipedali, teneriore, viridiore, & ſi in imo purpuraſcat, geniculis eo modo diſtincto nodoſis, ſuccoſo, læui cauo, translucido, per quem folia alternatim ſunt poſita Mercuriali hortenſi ſimilia maiora parū, latiora, & circa petiolum longioribus acutioribus dentibus Serrata, magiſq; lunata, baſi latiore. Ex ſingulis foliorum alis petioli exeunt longi in terram inclinati, tribus vel quatuor ramis diuiſi, ex quibus flores, cùm parui, & inexplicati virides & Balſaminæ floribus ſimiliores dependent, per dorſum binis foliolis viridibus colli-

Locus.
Deſcriptio
Nominis cauſa.



1. Rumex bucephalophorus. Spec. plant.

2. Impatiens noli-me-tangere, ib.

Sm. fl. i. 299

colligati, maritimum monſtrum magno hians ore repræſentantes, paruo corpore, & cauda tenui, breui recurua, & acuta Bubulino cornu ſimili, ad Fumariæ bulboſæ flores acedentes, quadruplò maiores, & magis ſanguineis guttis reſperſi, caui, inanes hiantes, ac lato ore, diuiſuris ſiue barbulis ſex diſtinctis, ſed inferioribus longioribus. His defloreſcentibus ſiliquæ creſcunt duas vncias longæ, & longiores, tenues, nodoſæ, ex albo vireſcentes, lineis virentibus ſtriatæ, in terram nutantes, quæ cum perfici incipiunt, diſrumpuntur, non tantùm pro maturitate, vt in alijs euenit, veluti Sio, Cardaminæ, Ceratiæ, ſed venti impetu compulſæ, aut manu tactæ, & ſemina decidunt, & iaculantur etiam imperfecta: quæ oblonga, compreſſa, virentia primum, deinde cinereo, & fuſco colore euadunt. Autumni initio floret & illius fine perficitur. Annalis eſt planta. Huius pictura à lobellio propoſita non è virente planta extracta videtur, ſed ex ſiccata chartisq. agglutinata, quare nos exactius ex viua depinximus notisq. deſcripſimus vt cuilibet notior ſit. Huius ſapor aqueus & tenuis guſtantibus nobis viſus fuit, nec attrectantibus, nec guſtantibus aliquid mali euenit ſed quia Lobellius venenatam prodiderat, ob dubium nullum aliud periculum fecimus. Hanc tenellam cum radice & terra ſimul euulſam diligenter tranſtulimus domi cum illic eſſemus ſeminis perfectioris colligendi cauſa, nec viuere, cum aliæ multæ etiam florentes tranſlatæ ſemina ediderint perfecta, hæc potuit, ita vmbroſum frigidumq. locum diligit.

Tempus. *Sapor.*

Acetoſa Ocimi folio Neapolitana Βυκεφαλόφορος.
Cap. XXXXVII.

PLVRES ſub eodem nomine plantæ depinguntur à Lobellio, ab acido ſapore indicatæ, ac etiam à muſcoſo flore in ſpicam compoſito Laphathi modo. Huic tamen & ſi hæc omnia inſint, alijs quidem notis à cæteris diſtinguitur. Maior quidem ſpecies laphathi modo folia promit, in imo verùm Ari modo bifurcata, ſic & altera minor bulboſa radice rotundioribus folijs minoribusq. Tertia erit hæc Ocimi folio vtrinque acuto, oblongo non lunata baſi vt in cæteris. Quarta montium frigidorum incola rotundior bulboſa, ſed prima magis lata baſi bifurcata, ac veluti alata, quodammodo hederacea trifida. Quinta verò anguſtiore omnibus, oblongiore quartæ baſi lobis anguſtioribus diuiſa ac multiplicibus. Præter folio-

foliorum differentiã quæ huic Ocimi modo ſunt ſeſquiunciam lata carnoſa, ouali figura petiolo longo hærentia veluti nitroſo puluere obſita, acido ſapore, vt in congeneribus, cauli hærentia alternatim ex quorum ſinibus alæ ſurgunt minoribus eodem modo folijs, in quorum, & caulis ſummo in ſpicam vt in alijs flores emicant diſpoſiti, parui herbidi, luteſcentes, muſcoſi, ac etiam circa ſumma folia hærentes, foliolis quibuſdam paruis quinis pro calice, quibus fructus ſuccedunt foliacei, vt in alijs, ſed huic miro naturæ artificio Bubulinum caput exprimentes; nam veluti collo cauli hærent & inde ad capitis extrema, veluti cornua, parum inter ſe curua: paulo inferius verò ac veluti è regione oculorum, aures veluti apparent vtrinque & ſupercilia, & ab his reliquum dependens capitis totius iconem exprimens. Caules plures ab radice exeunt aliquando pedales aut maiores parum, anguloſi, ac veluti ſtriati. Radix tenuis reſpectu plantæ in ſumma tellure hærẽs Totius plantæ ſapor acidus nomen indicat vt in congeneribus. Frequentiſſima Neapoli in ſepibus, ac tenuibus locis, præſertim Pauſilipi & Mergellinæ. Autumni fine exit ſpontè locis ſupradictis, vere caulem edit, Æſtate perficitur.

Locus.

Globularia lutea montana. Cap. XXXXVIII.

CAPITATA, elegans raraq. iuuentu & pulchra plantula hæc, haudquaquam cui poſſet generi referri reperimus, quod proprium affineq. videretur. Quamobrem & ſi plantis illis quas alij Aphyllantes dicunt, alij Caryophyllum montanum, aut Statice, (nobis verò Scabioſæ varietas eſt,) quodammodo videatur facie accedere ob capitula nudo ferè cauli inſidentia, vtriculis quidem & ſemine differt, longeq. diuerſa videtur. At donec proprium inuenerit nomen, ab effigie, & foliorum ſimilitudine, locoque natali etiam Globulariæ luteæ nomen ad differentiam Ceruleæ vulgatæ cui folijs & habitu magis eſt ſimilis, indidimus: montium quidem altiſſima iuga, ſupra villam Flaminianum Æquicolis Marerij Comitatus, *lo Serrone*, loco dicto, quod eſt ſupercilium montis; incolit, in quo & Globularia cærulea copioſa, ſed non tam excelſis locis Locus ſupra montem paruus & anguſtus, in quo aliæ ſunt rariores plantæ, de quibus aliàs, herbidus parum, atque planus, quem diligit planta hæc, nec alibi inuenimus. Radicem habet longam, pedalem mini-

Nominis Cauſa.

Locus.



Saponaria bellidifolia

minimi digiti craſſitudine, craſſo cortice, ex fuſco pallido, medulla intus lignoſa, dura, fibris in terram ſe figentibus multis tenuibus circa foliorum exortus in reliquo vero radicis rarioribus, & craſſis longioribusq. Sapore ſicco, graui odore, acuto: folia ex illa denſa, (plura namq. germina fundit,) oblonga cochlearis modo, Globulariæ ſimilia aut Clymeni minora, digitali in ſummo latitudine maiora, minora verò ſunt reliqua læuia, elata, carnoſa rigida; occultis neruis intra carnem & minimis extuberantibus, Sapore amaro cum acrimonia quadam: inter quæ ex ſingulis propaginibus pedales exeunt iuncei rotundi caules, aut maiores parum æqualiter craſſi, vnico circa ſummam tertiam caulis partem geniculo duobus rectis foliolis intercepto, inquo purpuraſcunt. In ſummo verò capita ſunt orbiculata, quatuor apicibus foliorum duorum contecta, quæ caule perforata videntur, Scabioſæ modo compoſita. Quibus hi. ntibus copioſi vtriculi hirſuti purpuraſcentes in globum compoſiti flores emittunt luteos ſtellatos, odore Geniſtæ non ingrato quinis foliolis conſtructos, denisq. ſtaminibus longis, medium apicem craſſiuſculam bicornem pallentem & latum proferentes, ex fructu in quo inſidet, emicantem. Fructus quidem intra florem adhuc oualis, tenera pellicula tegitur vt Semina extuberare videantur. Defluxis per maturitatem floribus hirſutus fit, atque vtriculi modo apertus alium habet intra ſe duriorem oualem fructum paruum Lychnidis modo in quo ſemina nigra compreſſa rotunda, ſed parum inciſura quadã diuiſa, quæ aperto in quatuor partes pericarpij ore, vento excutiente decidũt. Iunio floret, Auguſto perficiuntur ſemina.

Sapor. *Tempus.*

Clymenos Dioſcoridis. *Cap.* XLVIIII.

SICVTI Periclymenos dicta fuit, quia conuoluitur adminiculis quibuſcumque, ita hæc non ſolum à Clymeno Rege vt Plinius refert de vtraque differens, ſed quia in ſe conuoluitur ſiliquis, velut Polyporum cirri, quare potius Periclimenos, & Climenos, & Græcè κλιμένος, & περικλίμενος per ,ι, nam per ,υ, ſcribendum eſset, vt etymon habeant; nam περὶ, circum, & κλίμενον, ἀπὸ τοῦ κλίνομαι, quia inclinatur, & recumbit, ſignificat; alias verbum illud, περὶ, nihil ſignificare. Sed hoc parum refert. Clymenos verò apud Theophraſtum non hæc, ſed Periclymenos eſt Dioſcoridis: ijdemq. diuerſis parum nominibus eandem deſcripſerunt plantam, eaſdemq. virtutes tribuêre.

Lib. 25. c. 7. *Etymon*

buere. Plinius verò qui ex vtroque exarauit, nulla habita differen- *Lib.* 25.
tia inter Theophraſti Clymenon, & Dioſcoridis de Clymeno lo- *c.* 7.
quens, quas Dioſcorides notas tribuit, ipſe Clymeno adſcripſit ex Theophraſto ſumptas, plantasq. confundens, in duas videtur ſpecies diuidere, primam neſcimus à quibus acceptam referat, an à Latinis, ſed certè ex Græco Theophraſto: ſecundam verò a Græcis ita appellari ait, nolens forſan Dioſcoridem citare, habereq. folia Plantaginis &c. quæ Clymenos eſt Dioſcoridis. Oblitus deinde eorum, quæ de Clymeno paulò antè ſcripſerat, Periclymeni hiſtoriā, *Lib.* 27.
atque vires, vt in Dioſcoride in ſua tranſcripſit iterum. Dioſcori- *c.* 12.
des verò Clymenum à Periclymeno diſtinguit, atque ſeparatim deſcribit his verbis, *Clymenos caulem emittit quadratum ſimilem Fabæ: folia verò Plantagini accedentia. Folliculos quidem habet ſupra caulem ad inuicem annuentes, ſimiles Iridi, & cirris Polypi. Et Græcè,* Κλύμενον καυλὸν ἀνίησι τετράγωνον, ὅμοιον τῷ τοῦ κυάμου. φύλλα δὲ πρὸς τὰ τοῦ ἀρνογλώσσου. θυλάκια δὲ ἔχει ἐπὶ τοῦ καυλοῦ εἰς ἄλληλα νεύοντα ἐοικότα ἴριδι καὶ πολύποδος πλεκτάναις. Plinius, *Græci Plātag ni ſimilē eſſe dixerūt, cau-* *Lib. eod.*
le quadrato, folliculis cū ſemine inter ſe implexis, velut in Polyporum cirris. Cui deſcriptioni, & ſi primùm aliam plantam adaptauerimus non inſcitè: (hanc enim tunc temporis minimè obſeruauimus & nobis inuiſa erat.) nunc autem ſuæ deſcriptioni magis reſpondere oſtendemus. Radicem habet, tenuem fibroſam, albeſcentē, *Deſcriptio*
ex qua folia terræ hærentia cinereo ferè colore oblonga exeunt, Autumno, & Hyeme in agris Cirinolæ editionibus, & Campoclari *Locus.*
in collibus meridiei oppoſitis, ex quatuor vel quinque propaginibus repentibus, auriculatis folijs circa caules, læuibus, parum hirſutis ſplendidis, duriuſculis, ouali forma linguarum, Plantagini effigie, tribus tantùm decurrentibus per longum neruis, ſemipedali longitudine cum petiolo quæ maiora inueniuntur: per ambitum hirſutiora: germina verò illa primo Vere in caules repentes, & ſupinos abeunt, pedales, quadratos, circa illos alternatim folia auriculas habentia, vt leguminoſa, in eorum exortu rarius diſponūtur: ex quibus petioli exeunt ſemipedales, nudi, tenues in ſummo tres aut quatuor ex oppoſito nutantes flores, vt in Iridis floris folijs terram reſpicientibus in arcum deuexis, colore luteo, aut flauo, effigie Geniſtæ vel leguminoſarum; quibus decidentibus, & mareſcentibus intus perficiuntur, atque producuntur ſimiliter decuſſatim dependentes longæ ſiliquæ, ſiue corniculi hirſuti, aſperi, nodoſi, in ſe cochlearum, vel auium vnguium modo, curui, & conuoluti, vt folia


Clymenum

floris Iridis deuexa, & Polyporum cirri, vndique circa vmbilicum dependentes, & ideo Climenon appellata. Hæc enim ſimilitudo eſt, quam Dioſcorides requirit, & Plinius, in huius plantæ ſolliculis cũ flore Iridis & cirris Polyporum, vt folia intelligantur floris Iridis ea ſcilicet deorſum ſpectantia, terna ſingulis floribus, quæ curua ſunt, in ſe conuoluta ad inuicem quoquo verſu, quorum dorſum albicans ſuperius, ac luteum poſtmodum, circa folium verò vireſcens, atque poſtremò purpurocæruleum, quibus coloribus cæleſtẽ arcum ex repercuſſione ſolarium radiorum in roſcida nube videmus pluuiarum deficientia in Oriente Veſpere, manè verò circa Occidentem. Roſcidæ quidem nubis denſitas, vel raritas, colorem dilutiorem, ſplendidiorem, vel nigriorem obſcurioremq. aut medium reddit, ex varia radiorum repercuſſione, nec alio modo intelligendum videtur. Non enim quia alia planta cæruleum, alia luteum, alia candidum, alia nigropurpureum florem edit, ideo Iris dicta fuit, ſed quia idem floris folium arcus modo deorſum ſpectãs recuruum, tot habeat in ipſius dorſo colores, vt iam diximus, & obſeruauimus. Huic Dioſcorides adſtringendi, & refrigerandi vires tribuit recentioribus incognitas propter plantæ infrequentiam, quas Plinius breuiter ſic enarrauit. *Et ſuccus autem in vſu. Vis eius ſumma in refrigerando.* Sed Dioſcorides adſtringentem vim maximè in vſu neceſſariam notam fecit, qua pollet in cohibendis ſanguineis eruptionibus, quibuſcunque, ita vt nedum internis eruptionibus, ſed externis vulneribus efficaciam ſuam oſtendat guſtu quidem herbaceo parum ſiccante percipitur mandendo. Quare vulneraria etiam eſt, planta non aſpernenda. Galenus verò & Poſteriores tamquam ipſis incognitam reliquerunt, ſilentio inuolutam. Hanc Dodonæus & Lobellius deinde, Scorpioidem alteram Bupleuri folio appellarunt, à ſimilitudine vtriuſque plantæ, alio nomine non inuento. Nunc autem antiquis reſpondentem Clymenon magis, quàm Siciliana dicta, Lathyris ſiue Cicerculæ ſpecies illa, aut aquatica Betonica ſiue ſchrophularia, & ſimiles. de quibus ex ſupradictis facilè quiſque iudicabit. *Vires.*

Ephemerum Dioſcoridis. *Cap. L.*

ADHVC incognitum Ephemerum, eſt nec alia pro illo planta ſuppoſita fuit, niſi quæ à Matthiolo ex notis idea conceptis

tis depicta, atque vt ſolet in ſimilibus inuentu rarioribus difficilioribuſq. hiſtoriam & illius qualitates ſilet, nuda pictura propoſita, ne alijs iudicandi occaſionem præberet. At nobis iam oculos ſoeniculo reſeratos habentibus, ex ſpurijs appoſitis plantis eſſe videtur, vt & Lobellius animaduertit, quàm nec aliquis diligentior habere potuit niſi depictam. Nos autem aliam inuentu facilem proponemus vt cuique ſit de ea iudicium: quæ in Quercetis Callatiæ primùm, deinde Syluis alijs, montibus, Vallibus vmbroſis & frigidis oritur, radice digitali, nigreſcente, dodrantali, fibris tenuibus paucisq. hirſuta, parum odora, guſtu adſtringente: Folia emittit Autumno, nam eſt perennis, poſt quam caulis aruit æſtate perfectus, longa, dodrantalia, duas vncias lata, dura læuia, virentia, multa circa radicis caput ad terram in orbem expanſa oris parum hirſutis, effigie Lilij folijs ſimilia, verum parum anguſtiore. Ex illorum vmbilico craſſus Æſtate caulis producitur, tripedalis aut maior, folioſus admodum pyramidalis Lilij cauli admodum ſimilis, vt niſi floreat idem videatur, in cuius ſummo flores oblongi, non vt Matthiolus affabrè Lilij æmulos depinxit, quos Dioſcorides omiſit, vno verſu diſpoſiti, humi procumbentes, albi, calathi effigie, vel nolæ, ore parum diuiſo veluti in Galericulatis, intus lutea ſtamina continentes, amaro ſapore ingrati, ſicuti & congenerum, poſt quos remanent botri ſiue pericarpij in acutum, & in pilum deſinentes Schrophulariæ modo, ſeminibus minutis turgidi, atque perfecto ſiccatoq. pericarpio & dehiſcēte decidentibus imperfectis, adhuc mollibus. Quare nec ſatum germinat, & propter illorū foecunditatem & copiam euenire cenſemus, radice ſe iterum firmante, ac vegetante, ideo Semen ſuperuacuum. Huius ſpecies alias nouimus, quarum altera in montibus excelſis frequentior, folijs parū nigrioribus, infernè & per ora hirſutie obductis, caule pari, floribus verò denſioribus atque in rotundam ſpicā in gyrum Coli effigie, diſpoſitis in ſummo, colore ruffeſcentes ex luteo, latiore ore atque hirſuto, purpureis intus guttis inſperſis: rotundiore effigie, corpore craſſiore, atque ore ſupino. Iulio & Auguſto Campoclarenſium Mateſio, & Æquicolorum, Raſcino, radice luteſcente amara. Aliam ſpeciem maiorem vidimus, cuius folia differunt latitudine hirſutie atque magis venoſa, molliora, candidiora, etiam amara: Caule ſimili rubente parum, ſed flores longè maiores digiti craſſitudine ſatis oblongi Calathi forma, ventrioſo fundo, vno verſu dependentes vt in priore,

Locus. *Deſcriptio* *Effigies Lobellij* *Digitalis vulgaris.* *Tempus.* *Sapor.*

re,

re, intus hirſuti atque purpureis maioribus maculis depicti, ſicuti & ipſi ſunt colore dilutiore, aliquando ad cæruleum vergentes, ac etiam in totum candidi: amaro ſapore: fructu ſimili Folia amara & ingrata. Has à florum effigie atque forma Recentiores aliud non habentes nomen, *Digitales*, appellarunt, quia theculas digiti ad ſuendum aptas exprimerent; atque à guſtu amaro calfaciente atque ſiccante, vulnerariam dotẽ tribuerunt experimento facto, vnde in Adagium venit Bononiæ, *Aralda*, (Sic haſce denominant) *Vires.*
tutte piaghe Salda: Omnium ſcilicet vulnerum eſt ferruminatrix. Lobellius verò addit Anglorum experimento vulgi, Decocto huius febricitantibus purgationes, & ſuper purgationes, & vomitiones humidioribus aluo moliri: Amarore obſtergit pituitoſa & bilioſa purgat, obſtructiones reſerando. Dioſcorides verò hiſce notis depinxit, Ἐφήμερον φύλλα καὶ καυλὸν ὅμοια ἔχει κρίνῳ: λεπτότερα δὲ; ἄνθη λευκὰ, πικρά. καρπὸν δὲ μαλακόν. ῥίζα δὲ ὑπέστι δακτύλου πάχος μία μακρὰ στυπτική, εὐώδης: φύεται ἐν δρυμοῖς, καὶ παλισκίοις. *Ephemerum folia & caulem ſimilem habet Lilio: tenuiora verò: flores candidos, amaros: fructum mollem Radix ſubeſt digiti craſſitie vnica, longa ſtiptica, boni odoris. Oritur in Quercetis & vmbroſiis.* Plinius verò. *Ephemeron folia habet Lilij* *Lib. 25.*
ſed minora, caulem parem: florem cæruleum, ſemen ſuperuacuum. *in fine.*
radicem digitali craſsitudine dentibus præcipuam conciſam in aceto, decoctamq. vt tepido colluantur. & ipſa etiam radix mobiles ſiſtit Cauis & exeſis imprimitur. Et alibi, *Folia Ephemeri tuberi-* *Lib. 26.*
bus atque tumoribus illinuntur, quæ etiam dum diſcuti poſſunt. Dio *c. 12.*
ſcorides verò in vino decocta & impoſita tumoribus & tuberculis valere ait: Galenus verò. *Ephemeron, non venenum quod etiam Colchicon appellant, ſed alterum quod etiam Iris agreſtis vocatur, folia & caulem habet ſimilia lilio: radicem longam, non rotundam, velut Colchicon. Eſt autem digiti maximè craſsitudine, adſtringens & odorata. Ex quibus manifeſtum ſit, mixtam vim ac temperamentum habere, repellendi & diſcutiendi. Atteſtantur particularia opera; Nam & dentes dolentes radice non inefficaciter colluuntur, & tuberculorum eruptionibus in augumento, ac vigoribus folia commoda ſunt, quæ coquere oportet in vino, & imponere antequam ſuppurantur.* Ex his igitur plantam à nobis propoſitam *Etymon.*
non ſine ratione poſſe pro Ephemero non lethali ſupponi videtur, atque forſan ita appellari cenſemus quia ſingulis diebus flores aperit, ab imo incipiens, atque ita etiam decidere incipiunt perfi-


ciente

ciente ſe fructu. Effigies à Matthiolo eſt ex illis ideâ conceptis, nunquam re ipſa viſis, & ſpuria dicitur à Lobellio.

Tripolium Dioſcoridis: Cap. XXXXXI.

Etymon. QVIA ter flores variare colorem fertur, vel potius vertere τριπόλιον, quaſi τρὶς πολεῖν, dictum fuit; & differt à Polio quod canum eſt folijs, & toto habitu, ἀπὸ τῦ πολιόω, dictũ, quod eſt, *canum facio*. De hac planta Recentiores varia commentati ſunt, atque demum plantas longè diuerſas noſtro iudicio facie & viribus pro Tripolio depinxerunt: de quibus inferius. Quid autem nos de hac planta referre poſſumus, his cognitum erit. Multæ ſunt maritimæ plantæ quas marinas, alias verò maritimas appellaremus, quarum aliæ in are noſis littoribus oriũtur ab alluuione maris toto Hyeme perfuſæ, & atque æſtate etiam Æſtus impetu tempeſtatum, & littorales & marinas appellamus, alias verò locis iuxta mare editis, vt in ſcopulis in quibus non arena ſed terra ſupereſt, atque non lambendo maris aqua, vt in arenoſis depreſſis, ſed impetu æſtus repercuſſu exiliendo diſtracta irroratas, maritimas dicimus, ſicut etiam illas, quæ toto illo tractu maris aſpectu & afflatu gaudent. Exemplum de marinis & littoralibus, Soldanella, Eruca Kachile dicta, Kali plures ſpecies, Pancratium Portulaca marina, Peplis, Eringium rotundo folio, & ſimiles. De maritimis, quæ in arenoſis proximis mari aliquando degunt, & terrenis locis longinquis & vicinis, vt Kali Cochleatum, Scylla, Ferula, Conuoluulus laciniatus, Tithymalus, paralius & alij, Rhamnus, Halimus, Abſynthium Abrotonum Cytiſus, Limonium, Coniza maior verior, & ſimiles; quæ aliquando triginta & amplius à mare miliaria diſtant meridiei verò expoſitæ, atque maris afflatui ſubiectæ: inter quas & hanc quia & in ſcopulis iuxta mare vt Plinius refert, ac etiam vt obſeruauimus toto meridionali tractu maritimo è Neapoli Romã vſque, ac etiam alijs locis meridionalibus maris afflatui oppoſitis, atque calidis oritur: aliæ quidem rimas ſaxorum & Scopulorum, vt hæc, & Empetrum, aliæ verò in terrenis & ſaxoſis locis ſiccioribus. Hæc autem ſaxoſis humentibus gaudet tàm iuxta mare, vbi æſtuoſa vnda alluere ſolet, quàm in illius afflatu, atque non oriri ſeptemtrionalem plagam reſpicientibus locis etiã mari propinquis vt aliæ maritimæ obſeruauimus: locis vero auſtralibus

etiam



X

Plumbago; Quadrupeda. L.
Lam. 2.269

etiam diſſitis inuenimus cum alijs ſimilibus maritimis natura, non
minus ac ſi iuxta mare orta eſſet, ſpecioſam. Hanc Tripolium non
minus natalibus, quàm facie, & viribus referre cenſeamus. Cuius
Deſcriptio radix fibris longis craſſis, carnoſis diuiditur odorata, guſtu feruí-
Sapor. da, vt Recentiorum etiam teſtimonio conſtat. Folia Glaſti obſcurè
virentia, latiora, in græco textu corruptè legitur ξυρά, quod ver-
bum Marcellus Virgilius tãquam ineptum reijcit, & Plinij relatio-
ne παχύτερα repoſuit, craſſa verùm latiora, interpretans. Nos au-
tem Dioſcoridis textum inemendatum relinquimus, & *folia exucca*
vertimus φύλλα ξυρά, vt ſcilicet Glaſti reſpectu ſint, niſi *craſsiora*, ad
latitudinem referatur (forſam πλατύτερα legendum.) non autem ad
carnoſitatem; huius namq́. folia Glaſto latiora, non autem craſſio-
ra & minus ſuccoſa, denſiore carne, quo etiam modo intelligi po-
teſt etiam verbũ illud παχύτερα. Huius folia ſtatim cùm caule exeũt
illi adhærentia Drabæ, vel Glaſti modo, latiora, maiora, atque
obtuſiora: ſemper in caule decreſcentia, per ambitum denticulis
exiguis aſpera. Caules è medio ad ſummum alis diuiſos habet pur-
puraſcentes ſtriatos plures ab vna radice fruticantes, dodranta-
les, in ſcopulis iuxta mare quibus allui vnda ſolet æſtu, & locis ſiccio-
ribus, maiores verò in humidioribus ac terrenis locis afflatis non
ſolùm ab radice frequentes habet ſurculos, ſed & ramulos mul-
tos quibus propagines à medio diuiduntur, vt fruticoſa ſatis videa-
tur. In illorũ cacumine flores primũ cõgeſti viridibus calycibus hir-
ſutiæ craſſa, viſcoſa obſitis producũtur incluſi, q nõ diuturno dein-
de temporis progreſſu, cùm aperiuntur quinquepartiti ſunt, & co-
lore ex purpuro cæruleo, cãdicantes, deinde magis colore ſaturan-
tur purpureo vt variare videãtur, ac poſtremò clauſi, & marceſcẽ-
tes puniceo: atq. in eadẽ plãta in alarũ ſũmo eodẽ cacumine ijdẽq.
flores cãdicãtes & magis rubẽtes vel punicei, atque ad Cæruleũ ver-
gentes videbis, tã deficientes quàm tunc primũ ſe exerentes: puni-
ceus color eſt in floris tubulo oblõgo è calyce tãtũdẽ exerti, in quo
deinde ſemen oblongum tritici ferè magnitudine cortice vireſcen-
te tenui, atque intus libro purpuro cæruleo cartã inficiente affricto,
quod deinde ſiccatum in nigrũ vertitur, medulla intus alba & ama-
Tempus. ra. Æſtatis fine & Autumno floret. Folia acri ſapore, ſed radix fer-
uida, vt recentiores pro Pyrethri radice ad dentium cruciatum
mulciendum vſos eſſe affirment, quare non minus facie, ſed quali-
tate Dioſcoridis notis magis reſpondere videtur planta à nobis
propoſita; qui ait, Τριπόλιον φύεται ἐν παραθαλασσίοις τόποις οὓς ἐπικλύζει ἡ θά-

λασσα

λάσσα καὶ ὑποχωρεῖ, οὔτε δὲ ἐν ξηρᾷ, οὔτε ἐν θαλάσσῃ. φύλλα δὲ ἔχει ἰσάτῃ παραπλήσια ξηρὰ*, παχύτερα μέντοι. καυλὸν σπιθαμιαῖον ἄνωθεν ἐσχισμένον. ταύτης ἱστορεῖται τὸ ἄνθος τρὶς τῆς ἡμέρας μεταβάλλειν τὸ χρῶμα, πρωῒ μὲν λευκὸν, κατὰ δὲ τὸν μεσημβρίαν πορφυρίζον, ὀψὲ δὲ φοινικοῦν. ῥίζα λευκὴ, εὐώδης, θερμαντικὴ γευομένῳ. *Tripolium oritur in maritimis locis, quos alluit mare, & recedit. Sed neque in arida, neque in mari: folia verò habet Glaſto adſimilia, exucca; parum craſsiora*, [Marcellus Virgilius vertit, *craſſa verùm latiora.*] *Caulem dodrantalem in ſummo diuiſum. Huius narratur flos ter in die mutare colorem, manè quidem albus, meridie purpureus, veſpere puniceus. Radix alba odorata, feruida guſtanti.* Et Plinius, *Tripolium in maritimis naſcitur ſaxis, vbi allidit vnda, neque in mari, neque in ſicco; folio Iſatis craſſiore: caule palmo alto, in mucrone diuiſo: radice alba, odorata craſſa, calidi guſtus.* Et inferius, ait, *Hæc herba eadem videtur quibuſdam quæ Polium, de qua ſupra diximus.* Atque ibi, *Polij folia mane candida, meridie purpurea, ſole occidente cærulea aſpiciuntur.* Polium cum Tripolio confundens, Theophraſti verba inſerens: quare in hac florum mutatione minus adhærendum cenſemus, cum incertam habeamus hiſtoriam, atque non parum etiam plantæ à nobis propoſitæ adaptatam, ſed nec à Dioſcoride affirmatam, cum ab alijs referri dicat, de qua dubitare videatur. Nos quidem potius flores manè in Orientem Solem, meridiei Auſtrum, veſperè Occidentem reſpicere, & verti cenſemus; quod etiam alijs plãtis eſt commune. Galenus verò, *Tripolij radix guſtanti acris eſt, facultate calida tertio abſceſſu.* Recentiores, vt Lobellius refert, *Lepidium* appellaſſe præceptores Narbonenſes, atque Rondeletium *Dentillariam*, propter feruidam vim Pyrethro æqualem ad dentium cruciatum placandum efficacem, qua vtebatur. Nec minus Glaſti modo & maiora folia habere aſſerit, atque manus volam plumbea macula inficere radicem parum detentam, quod verum eſſe reperimus; vnde aliquos Plinij Molybdenam putare aſſerit, ſed Plinius Molybdenam plumbi vitium ſiue maculam illitam eximere, non autem inferre tradit. Nos autem præter has vires, equorum dorſis Sellæ compreſſione vlceratis efficaciſſimè contuſam & appoſitam mederi teſtatos eſſe pleroſque dicimus, qui in proprijs equis experti, nec vermes oriri, & quamprimum exiccari vulcus atque cicatrizari aſſeruerunt: atque vulgò *Caprinellam* denominant. Addunt alij demorſis à Lupo quadrupedum pullis mederi contuſam herbam & impoſitam. Non videtur Tripolium Aſteris ſpecies illa paluſtris conizoides, Amelli ſpecies potius

Lib.26.c.8

Lib. 21. c.7.

Vires.

paluſtris appellanda; Nec minus Valeriana peregrina illa Ocimi folio, purpureo vel candido flore, cuius effigies forſan in codice illo manufacto, ex cuius ſimilitudine Tripolium Valerianam illam cenſuerunt, magis plantæ huic quadraret; ac etiam ſapore & effectu; cum Valerianarum illa inefficaciſſima ſit. Vires huic Dioſcorides. *Hæc pota in vino duarum drachmarum pondere per aluum aquam ducit, itemq. vrinam. Secatur etiam in auxiliaria contra venena medicamẽta, alexipharmaca appelata.* Plinius addit, *Datur hepaticis in farre cocta.* Galenus verò. *Tripolij radix guſtanti acris eſt, facultate calida tertio abſceſſu.* Quantùm hic decipiatur Quatramius ille Matthioli, enumerans errata, qui Dioſcoridis Lepidiũ genuinum putat, ex Galeno, & Paulo, qui Naſturcij odore & ſapore ac reliquis, & nomine ἀγριοκάρδαμον dici aſſeruerunt, ſatis quiſq. percipere poteſt. Quæ huic plantæ deſunt, quamuis acri & vrente ſit ſapore. Hanc Serapio eandem hiſtoriam Turbit ab ipſo appellato adſcribit ex Dioſcoride excerptam.

Laurus Alexandrina & Chamedaphna. Cap. LII.

DONEC plantas videro diuerſitatem teſtantes, in prima huius hiſtoriæ parte, Phytobaſanos inſcripta, præteritis annis, in ea eſſe nos opinione, ediximus. Non enim ab Vrbe diſceſſeramus, nec montes luſtraueramus, vt nũc nõ paucos; nec ab Auctoribus fide dignioribus plantã delineatam videramus. Non enim à Lobellio depicta fuit, & quæ à Matthiolo ſecundo loco addita viſitur, cum fictarum numero ab ipſo ſæpè propoſitarum, vt primus videretur, reijciendam cenſueramus; binis enim folijs hęrentibus depinxit, Primam verò, quam viuam adhuc non habuimus, ex genere Poligonati, ad Idæam radicem adaptabamus, & ſi Bislinguam in Editione eandem eſſe propoſuimus. Nunc autem non ſine animi noſtri gratulatione plantam viuam abſque ligulis Ruſci effigie admodum maiore, Hippogloſſo latiore, flores & fructus ex medijs folijs Ruſci modo proferentem Romæ conſpeximus in Vaticano cultam, verioremq. Alexandrinam Laurum, & Chamædaphnen referre cenſuimus. Cuius effigies adeò eſt ſimilis primo aſpectu vt eadem cum hippogloſſo quiſque cenſeret, niſi latiora folia, nec ligulam, ſed foliculi rudimentum in medio folio vt in Ruſco haberet, colore verò magis diluto & molliora, nec venulis ſiue neruulis in longũ rectis per folia, ſed diuaricatis, vt in noſtra pictura

Deſcriptio
Locus.

in



2. [illegible] hypoglossum. Linn. [illegible]

in qua & Hippogloſsū depinximus, vt ob oculos expoſita diuerſitas facilius dilucеſcat; Huius deſcriptio & effigies tam Lauro Alexandrinæ, quàm Chamædaphnæ cõuenire facie, & viribus, ex deſcriptione in prima noſtræ hiſtoriæ parte comprobari videtur, quam videbis, non enim hîc breuitatis cauſa repetere voluimus. Hoc autem omittere noluimus, non obſtare quod alii dicunt diuerſis capitibus deſcriptas eſſe plantas, nam reſpondemus trãſcriptorem ab alio tranſcriptore tranſcripſiſſe, nec vlla notatur inter illas faciei vel virium differentia, atque amplius nomina ſynonima eſſe ex eiſdem auctoribus colligitur: quare eaſdem eſſe iterum donec aliam plantam inuenerimus aſſeremus. In his nulla de ligula mentio fit, ſed tantum vt Ruſci modo habeant in medio folio fructum ſic Dioſcorides in Ruſco καρπὸν στρογγύλον ἐν μέσῳ δὲ τῷ πετάλῳ, In lauro Alexandrina καρπὸν δὲ ἐν μέσοις, folijs intellige, ἐρυθρόν. In Chamædaphne τοῖς φύλλοις ἐπιπεφυκότα. Sic de Ruſco & Lauro Alex. à Theophraſto ante dictum fuit, vt ἐπιφυλλόκαρπος ſit, quæ omnia idem ſignificare peritus quilibet cognoſcet. Iccirco plantam nunc abſque ligulis reiecta prima opinione, nos propoſuimus, nos ipſos corrigentes, & vtinam vſque dum genuinas inuenerimus in alijs etiam nos corrigere poſſimus, quod vt efficiamus perquirimus. Spontè ortam non vidimus. Similis planta in in Vetuſtiſſimo Herbario S. Ioannis Carbonariæ Neapoli depingitur.

Hippogloſium Dioſcoridis & Lauro Taxa Plinij. Cap. LIII.

Locus. EANDEM etiam præteritis annis eſſe putabamus hippogloſſum & Lauro taxam Plinij quam nos in Campoclarenſium valle copioſam inuenimus magna ligula vt depinximus floribus & fructu onuſtam Autumno, habentem maturos rubentes vetuſtos, & virentes nouos immaturos, bis enim floret, Vere etiam, locis vmbroſis humentibus frigidis, poſt noſtri Phytobaſani editionis annum, in montis radice contra locum dictum *Il Colle di mezzo*. Nunc autem non niſi diuerſas eſſe ab antedictis Alexandrina Lauro & Chamædaphne cenſemus rationibus in prima hiſtoria propoſitis, quas ibi videbis: differuntq. inter illas, nam hiſce ligulæ ſunt in medio folio excreſcentes magnæ, neruis per longum tam in folijs quàm ligulis dēſis prominētibus magis & decurrentibus: quibus non ita leuia, nec ſplendentia videntur vt in ſupradictis, &

angu-

anguſtiore effigie, & oblongiore foliorum forma coloreq. nigriore: Virgis radice & turionibus & qualitate minimè, aut vix magis vel minus inter ſe differunt. Aliam deinde Romę ſpeciem ligulatā cultam vidimus, paruis admodum ligulis, dilutiore foliornm colore reliquis ſimilibus, Neapoli vulgatiſſima, vt nemini non ſit nota: at magna illa ligula rarior, nec niſi in Syluestribus Campoclarenſium obſeruauimus ſpontè ortam & copioſam.

De Cynogloſsis Plinij. Cap. LII.

NISI à Plinio priuata Lapparum nota, & caulis productio tradita in Cynogloſſa eſſet, haud quidem ex Dioſcoridis notis hucuſque cognitam Cynogloſſam aliquis haberet: ſiquidem multæ ſunt ex hoc genere Plantæ in terram Hyeme expanſæ, atque etiam Æſtate, quia nondum benè adultæ caule carentes, & non niſi ſequenti, vel tertio anno ſemen proferentes. Quod non niſi diligenti obſeruatori, qui hoc ſcire velit, & ad plantam quatuor anni temporibus redeunti notum erit. Nec putandum nobis videtur, quia à Dioſcoride ſine caule Cynogloſſa deſcribitur, iccirco nunquam caulem proferre poſſe cum hoc ſilentio inuolutum reliquerit, atque caule carenti plantæ, floris etiam atque ſeminis fatuitatem addere ſoleat; vt in Filice, Adianto, & ſimilibus. Nec vnquam viſa eſt planta, quæ floris vel ſeminis rudimenta ſaltem non proferat, niſi verè exiſtere notum habeas, & fatearis. Nunc autem non Dioſcoridis, ſed Plinij Cynogloſſam, eiuſdem auctoritate, notisq. ab eodem relictis adhærentes proponemus. Qui de plantis linguā folio imitantibus loquens, ait, *Lingitur & Cinogloſſos, caninas imitans linguas topiarijs operibus gratiſsima. Aiunt quæ tres thyrſos ſeminis emittat, eius radicem potam ex qua ad Tertianas prodeſſe: quæ quatuor ad quartanas. Eſt & alia ſimilis ei, quæ ferat lapas minutas. Eius radix pota, ex aqua Ranis & Serpentibus aduerſatur*. Harum ſex obſeruauimus ſpecies, quarum aliæ maiores, aliæ mediæ, aliæ minores. Harum verò aliæ Montanæ, aliæ campeſtres tantùm, aliæ amphibiæ. De quibus nunc ſeparatim dicemus, & primò de Cynogloſſa maxima montana frigidarum regionum.

Lib. 25. c.8.

Ibid.

Vires.

Cyno-

Cynogloſſa montana maxima frigid. Regionum. *Cap. LIIII.*


Locus. *Deſcriptio* IN frigidis tantùm regionibus, Apenninis montibus excelſis, atque humentibus ſpontè ortam obſeruauimus Campoclarenſiũ *Mateſio*, & Æquicolorum *Raſcino* appellato, quam maximam atque montanam appellamus. Quæ radice nititur pedali & ampliore, craſſa ſeſquipollicem, foris nigricantem, intus vero parùm candicantem. Folia emittit longa, pedem ſuperantia, lata palmam, Plantaginis latifoliæ forma, anguſtiora verò, & venis obliquis diſtincta, & petiolo craſſo atque rubente hærentia, hirſuta, ex albo virentia, atque in terram conuexa quæ vetuſtiora, media verò erecta, tactu mollia, quæ ſic ad veris vſque finem iacent. Maio verò caulem è medio profert bipedalem, craſſum ſtriatum, cauum, hirſutum lanuginoſum, rubentem, folijs vndique denſis, rectis anguſtioribus, ſemper decreſcentibus ad flores vſque circundatum: atque ita vt nihil caulis appareat. Foliorum verò petiolorum neruus per folia rectus diſcurrens rubeſcit in omnibus. In ſummo verò & inter foliorum cacumina flores apparent oblongum & craſſum veluti colum, aut capitulum conformantes rotundum, vndique circum diſpoſiti, denſi deorſum tendentes, radijs foliorum intermedijs, quæ alarum, (cum expanſi ſunt flores) initia erunt. Quibus radijs, clauam quis repræſentari dicere poſſet, ſic rotundum & oblongum caput alternatim circundantibus. Flores verò ſinguli calycem habent quinque partitum vt in Bugloſſo, hirſutum, ipſi verò oblongi, caui, in purpura rubentes parum odori, in quinque rotundas oras rectaſque diuiſi ſunt, nec amplius ſe dehiſcentes, quorum pars interior calyce occultata, anguſtior eſt, oblonga ſatis atque albicans, intra quam ſeminum rudmenta inſunt quadripartita, longum apicem in medio habentia, quinque ſtaminibus luteis concomitantibus, & ex flore ſe exerentibus. Quare Plantæ huhuius caput globoſum, verſicolorem atque venuſtum efficiunt: viridi namque colore florum calyces, flores ipſi purpurorubente, ſtamina verò luteo, atque foliola intermedia neruo rubente depicta vmbra, ſuoque colore exornant. Æſtate paulatim dehiſcit, caule ſe producente, florum globoſum caput, alarumq. diuiſiones recipiens, diuerſam acquirit effigiem: denique perficiente ſe planta in brachia alaſq. diuiditur quatuor aut quinque, parum diſtantem

ortum

ortum ducens altera ab alijs alis, vt ab eodem ferè principio productæ cenſeantur. In diuerſa tendunt veluti quinq uefurcatæ ſi quinque, vt ſolent, erunt; vel plures etiam, pedales, hirſutæ: in quibus iuxta imum fructum, foliolum vnicum ſingulis tantum conſpicitur, ex cuius ſinu producitur. (Atque in hoc à cæteris differt etiā.) Fructus verò &ſi alternatim oriantur, per alas diſpoſiti vno verſu ſæpius inueniuntur, floribus ab imo marceſcentibus ſuccedentes, cacumine illos paulatim proferente, ita vt diutius durent. Fructus petiolis tenuibus digitali longitudine quinquefoliatā baſim habentibus, inſunt; quadripartiti, depreſſi, ouali figura, echinati, ſimul cohærentes cruciatim, quorum pars interior decuſſatim hærens in acutum deſinit Serpentis & Viperino maximè capiti ſimiles, apicem longum ex eorum centro, & veluti ex imo ore omnium linguæ in vnum collectæ ſimul exererentur. Quamobrem non inſcitè quis ad Echij genus referri poſſe ſimiles plantæ dicere poſſet ob fructum effigiem, quamquam folia non aſpera nec pungentia, ſed mollia nec alatis caulibus videatur. Pars fructuum ſuperior plana aculeis craſſioribus, minuſq. denſis, & limbo circumſepta parum excreſcente eſt vallata, vt aquam continere poſſet: pars vero inferior rotundior, tota hiſpida denſioribus aculeis, lappaceis, veſtibus hærentibus ſiccatis, præter eam quæ petiolo hæret inſidens, quæ leuis eſt decerpta. Fructus virides primùm, deinde ruffeſcentes cum perfecti, medulla intus libro ex viridi nigricante obducta, ipſa verò alba plana, per latitudinem ſe diſecante ſapore amareſcente ſicuti folia. Auguſto perficitur, deinde regerminat. Omnium maiora huic ſemina ſunt, latioreq. vmbilico ac planiore, ſimilia alterius incanæ anguſtifoliæ, montanæ, ac etiam globoſo capite Cynogloſſæ rubenre flore de qua infra. Nunc autem de Vulgata Cynogloſſa maiore, quam amphybiam appellamus, cùm tàm in montibus, quam planis, & ſecus vias tàm Calidarum quàm frigidarum regionum oriatur: quæ mollibus exit folijs, ſericeo tactu magiſq. candicantibus, vel glaucis potius, tribus vncijs latis, quæ in terra conuexa partim, vel erecta etiam conſpiciuntur, Plantaginea ſed anguſtiore forma & minora duplo: cæteris verò maiora graui odore; ex radice non magna nigro cortice ſub quo rubeſcere aliquando Februario menſe obſeruauimus, ſapore Bugloſſi prodeuntia. Caulem Æſtate profert pedalem hirſutum tenuem admodum repectu ſuperioris, rotundum, abſque ſtrijs albicantem, folijs abſque petiolis hærentibus veſtitum, obtuſioribus

Sapor. *Tempus.* *Cinogloſſa Vulgaris.*

Y bus



Cynoglossum apenninum


Cynogloſſa Apula

bus, magiſq. in imo latis Glaſti modo, alis multis ab imo ferè diuiſum. In ſummo flores Scorpioidis, aut Echij modo incurui & conuoluti inſunt ex albo cærulei quinquepartiti, plani ferè, non caui, venis purpurocæruleis depicti ſtellulas effigiantes rotundis radijs, breui admodum tubulo inſidentes, ex calyce quinquepartito etiam, vt in congeneribus hirſuto, vnico verſu diſpoſitos fructus quaternos, echinatos, lappaceos, minores, rotundiores, apice breuiore intermedio etiam relinquentes; per ordinem diſpoſitos in obliquis & rectis alis tenuibus, longis, pedalibus, caule aliquando maioribus, vt facilè per ordinem plantæ ſatæ topiario vſu cedant, ac necti poſſit, ramulis inter ſe implicatis. Huius fructus non depreſſi vel vmbilicati ſuperiore parte, ſed rotundiores ſunt, atque calycum foliola latiora, obtuſioraq. cæteris. Ad Autumnum vſque virentem Æquicolis obſeruauimus circa Villarum vias, atque iterum noua ſobole virere incipientem. totoq. anno aut cum caule, vel illo carente inuenitur, ſicuti Incana, & Apula argentea de quibus paulatim agemus.

Cynogloſſa media argentea Apula campeſtris Calidarum regionum. *LV.*

HVIC folia minora vulgari, & anguſtiora, incana lanugine & ſericeo tactu, argenteo ferè nitore, vt Argentea vulgò dicta planta, quare ad differentiam, mediam & argenteam appellauimus. Hyeme Cirinolæ germinat, ſemperq. viret è radice Bugloſſi modo fuſca minore, folijs multis pluribus quàm in Pictura in qua reſecta ſunt, elatis longis, ſemipedalibus, digitali latitudine, lanugine denſa minuta argenteo colore, ſplèndente obſitis, carnoſis, mollibus, graui odore. Caules edit plures pedales rotundos ſubrubentes, albeſcentes, hirſutos, alis in ſummo diuiſos, inter quarum ſinibus flores oblõgi petiolis inſunt ſingulares atque primùm emicantes, ſed in ſummo per alas conceruati & ex foliorum ſinibus, & incurui Echij modo atque Bugloſſi, & Vulgaris Cynogloſſæ, deorſum ſpectantes calycibus concluſi, quorum imi particulatim florere incipiunt, atque ex baſi quinquefoliata prodeunt Martio oblongi, caui, Cerinthæ, vel maximæ Cynogloſſæ modo, vnciali ferè longitudine longum habentes tubulum candicantem vt in pictura in quinque partes diuiſum os habentes ex albo purpuraſcẽtes, carneo

ferè

ferè colore ſuauerubente, intus nigra ſtamina, occludentes: & perfecti dicidunt in calyce quinquefoliato, vt in Vulgari ſemina remanent Lappacea, craſſioribus aculeis armata, quaterna ſed parum in ſuperiore parte caua, non autem limbo diſtincto vmbilicata vt in maxima & ſequenti: quæ ſicca pertinaciter veſtibus hærent, vt congenerum. Folia guſtu ſicco ob humoris forſan paucitatem, amarum os relinquentia in fine. Aprili menſe ſemina perficiuntur. In ſabuloſis oritur locis Cirinolæ Apuliæ calidæ regionis, nec alibi in frigidioribus locis obſeruauimus oriri. Differt à Vulgari floribus huic ſuauerubentibus, longo tubulo, illi cæruleis breuiſſimo; ſemine huic craſſiore ſupernè cauo parùm craſſioribus aculeis; illi minore, rotundiore dorſo, nec compreſſo. *Sapor.* *Tempus.* *Locus.*

De Cynogloſſa media montana incana anguſtifol. altera flore globoſa frigidar. regionum. Cap. LVI.

MONTIVM excelſorum indigena hæc & frigidorum, vt Æquicolorum in quibus primò inuenimus Maio florentem, ſed & toto anno viret præter brumam, regerminante ſobole ex radice perenni pedali, pollicari craſsitie nuda ſolida, craſſo cortice nigreſcente, neruo intus lignoſo ingrata ſapore. Folia cum germinat exigua ſunt Oleæ anguſtiora, & acutiora, ac Veris fine & Æſtate ſemipedalia, & maiora, digitali latitudine in medio, nam vtrinque acuminata ſunt; recta, carnoſa, lanoſa incana admodum, mollia petiolo & neruo rubente per longum diſcurrente. Caulis Maio producitur folijs vndequaque veſtitus denſis hirſutioribus, in imo latis, in acutum deſinentibus lãceæ modo, vt nihil ſtipitis conſpici poſſit, ſemipedalis, in ſummo globulum ſiue ſphæram habens rotundam mali magnitudine incanam, foliolis puſillis lanoſis admodum, & floribus rubentibus, cauis denſis, fauorum cellulas exprimentibus, rubente Cinnabaris colore, vndique elaboratam, oculis admodum gratam, atque raro aſpectu. Flores ſinguli calycem habent vt congeneres, ſed lanoſiorem, ipſi verò latiores ſunt alijs atque maiores, magis apertos, nec admodum cauos, longo tubulo etiam, ſed Maximæ minore inſidentes, ac intus ſtellulam nigriore colore vt vulgaris habentes: qui caule ſe producente Iunio in diuerſa iuxta alarum rationes tendunt, atque diſponuntur, Alæ vero tres, aut quinque inueniuntur ſæpius, in pedalis caulis ſummo, ex eodem principio initium ducentes, ſemipedales; in quibus *Tempus.* *Deſcriptio*


Altera globoso flore


Cynogloſſa med:mont:rub:flore

bus vt in maxima foliolũ eſt paruum,& deinde fructus, ex petiolis longis alternatim non vnico verſu diſpoſiti, calycibus anguſtifolijs. Fructus verò minores ſunt Maximæ, rotundioresq́. vmbilicum admodum paruum habentes, minusq́. hirſutam planiciem internam, leuioremq́. omnibus: atque limbus non in laterum extremo, ſed ſupra conuexam partem poſitus eſt: in reliquo ſimiles: medulla amareſcente, intus eadem forma. Iunio perficitur. Radix ingrato eſt ſapore, in ſummo piloſa, villis deperditorum foliorum: iterum germinat poſt fructum, & cum fructu. Folia parum amara ac adſtringentia. Æquicolorum montibus, *Cornino*, dicto & ſimilibus alitudine, locis nudis ſaxoſis ſine arboribus.

Sapor. *Locus*

De Cynogloſsa media altera virente folio, rubro flore, montana frigidarum regionum. Cap. LVII.

Locus. *Tempus.* *Deſcriptio*

HÆC autem in Æquicolorum vdis, atque vmbroſis montibus Æſtate inuenitur, & mediam à magnitudine appellauimus, quia parum ab alijs diſtat, & ſi ima parum breuiora videantur. Tota virens, nec albeſcens eſt è radice tenui longa nigreſcente, craſſo cortice Bugloſſi, neruo etiam intus albo lignoſiore amaro ſapore parum, folia pauca breuia primùm, in terra magis conuexa, digitali latitudine hirſuta, mollia, virente colore exeunt; quæ paulatim circa caulis initium creſcunt augusto petiolo hærentia; qui cum adoleuit, latiora fiunt & petiolo exuuntur, breuioraq́. efficiuntur obtuſiore cacumine cæteris. Caulis verò rotundus ſolidus hirſutus ſeſquipedalis antequam in alas findatur in ſummo: inquarum centro vnicus prior flos emicat longo petiolo hærens, quẽ ambiunt quinque, ſex, aut ſeptem alæ incuruæ, floribus obſcurè rubente colore, effigie & poſitu Vulgari Cynogloſſę non diſparibus, maioribus verò ferè duplò latioribusq́. tubulo etiã nimis exiguo. Quibus decidere incipientibus ſemipedales fiunt alæ, aut paulò longiores, eorumq́. fructibus ſe perficentibus, ex inferioribus foliorum finibus aliæ alæ ſingulæ exoriuntur, ita vt fruticoſior euadat planta, inque alias alas, præter ſummas ſimul vt in alijs prodeuntes, diuidatur. Huius fructus baſim habent quinquepartitam, vt in alijs, ſed acutiore cacumine, & anguſtiore diuiſura, atque ex finibus foliolorũ per alas alternatim diſpoſiti exeunt, quo differt à cæteris, ſed vnico verſu tendentes, minutioribus aculeis armati, minores, vmbylicati etiam, ſed non tàm elato limbo, medulla &

dulla & reliquis non differentibus à cæteris. Tota planta cum eſt perfecta tripedalem altitudinem ferè æquat, longior vulgari, tectiore caule & alis. Æſtate perficitur. Sapor foliorum ſicuti radicis amareſcens nobis viſus fuit tunc guſtantibus. *Sapor.*

Cynogloſſa altera media fructu, κοτυλώδης, ſiue λυχνιώδης. Cap. LVIII.

NON minus elegãs planta hæc, quàm rarior, nec à nobis alibi reperta, niſi in Valuenſium Anuerſæ oppidi montibus, eorumq́. radicibus, in valle per quam flumen deſcendit ruens ſupra Ædiculam D. Nicolai dictam ſaxoſis locis meridiei auerſis. Radicem habet tenuem fibris diuiſam, lignoſam pullo colore, iuxta radicis caput magis; plures aliquando exortus proferentem. Folia Vulgaris Cynogloſſæ multò minora, ad ſuperiorem flore rubente accedentia, candidiora, & ferè incana, mollia, hirſutię albicãte obducta & magis in ſuperna parte, mollitie verò folia Cynogloſſæ globoſæ ſimilia. Caulem pedalem & ſeſquipedalem ad ſummum, hirſutum lignoſum, ſolidum rotundum; folijs alternatim veſtitum, vt in ſuperiore planta, lata baſi abſque petiolo hærentibus: in cacumine verò in tres diuiditur caulis contrario nutu cernuus ob florum & fructuum poſitum atque naturam; aliquando verò circa ſumma folia alias alas alimenti copia profert. Flores edit paruos ſupradictis minores admodum, colore ſuauerubente, ſanguineis lineis variegatos, centrum ſiue vmbilicum hilari rubente colore infectum habentes. Fructus profert quaternos, magnitudine effigie & modo vt in Maiore diximus Cynogloſſa à nobis propoſita vmbilicatos cauos latiore vmbilico, elatioreq́. limbo circũſepiente, nec obtuſo, vt in alijs, ſed tenuiore, Lucernarum effigiem imitante quare non minus κοτυλώδης, fructu quàm λυχνιώδης ab effigie appellari debet. Apicem medium ſingulis fructibus & quinquefoliatam baſim congenerum ritu habet. Semen verò non depreſſum, planum, ſed piriforme, parum compreſſum continet ſapore amaricante. Maio menſe florida cacumine inuenitur, atque fructu pregnans, Æſtate perficitur & deperditur.

Locus. *Deſcriptio* *Nominis cauſa.* *Sapor.* *Tempus.*

Cynogloſſa altera media fructu κοτυλώδης ſiue λυχνιώδης, mont:




Cynoglossa
min: Plinij

De Cynogloſſa minore montana ſerotina altera Plinij. Cap. LIX

Myosotis lob... Lam. 4.480

Nominis cauſa. *Lib. 25. c. 8.* LAPPVLARVM minuta forma, effigies plantæ, atque ſpecies, non ſolum in Cynogloſſarum numero recenſendam hanc minorem ſpeciem eſſe; ſed alteram Plinij iudicandam ſatis indicio videntur: Qui de Cynogloſſa loquens ait, *Eſt & alia ſimilis ei, quæ ferat lappas minutas.* Hanc autem congenerũ omnium minimas habet lappulas, & in Cynogloſſarum ſpeciem connumerauimus ob ſimilitudinem, atque Plinij alteram iudicauimus. *Deſcriptio* Cuius radix parua eſt, & fibroſa, lignoſa dura craſſo cortice nigroq. ex purpureo fortè vetuſtatè corrupto (recentem non vidimus, ſed ſemine turgeſcẽtem) reliquæ fibræ obliquæ, longæ tenues pullo colore lignoſæ; dulci ſapore. Planta eſt bipedalis ad ſummum anguloſo tenuiq. caule, hirſuto folioſo, oblongis Oleæ folijs, vel, Lithoſpermi maioris virentibus, mollibus, hirſutie aſpera alba & longa obſitis, alternatim denſè ſemidigitali ſpatio hærentibus cauli: inter cuius & foliorum ſinus alia germina foliorum exeunt parua. In ſummo verò caulis in tres, vel quinque diuiditur alas ſemper obliquus, & pedales tenues, trifidas aut bifidas, ſubſunt etiam & aliæ deinde alæ ex proximis foliorum ſinibus paulatim excreſcentes, ſuperioribus ſe perficientibus, quæ folijs, tenuibus multum atque hirſutis veſtiuntur, alternatim illis & florum ſiue fructuum petiolis per virgas vtrinque diſpoſitis, atque Scorpioidis modo incuruis cacumine ſemper floreſcente. Flores puſilli ſunt admodum vt minores ſint plantæ floribus Auriculæ muris Scorpioidis dictæ à Lobellio, quæ nobis Echium minimum vel Bugloſſum potius, ſicuti & Gaſparo Bauhino viro Doctiſſimo viſum fuit. Cœruleo ſunt colore amœno, breui tubulo, ore quinquepartiti, ſtellulam intus luteam continentes, quibus decidentibus fructus ſuccedunt ex baſi minima quinquefoliata lappacei, longis atque tenuibus aculeis armati, oblongi pyramidales, apice medio illo carentes in quatuor partes ſe diuidentes, quatuorq. ſemina diſtinguentes, oblonga oualia anguſta, figura trigoni, in dorſo caui; vmbilicati parumper, per longum eadem forma, virentes primùm mollioreſq. deinde ſiccati ruffeſcentes, atque aſperi. A ſummo caulis florere incipit, deinde per foliorum ſinus alæ producuntur paulatim excreſcentes, vt diutius Æſtate & Autumno duret ſemper nouas proferens obliquas alas, & in *Tempus*

illis

illis flores. Inuenitur & vetuſtior, maxima radice, craſſa fibroſa, pluribusq; ab radice caulibus, vt rotunda ſit comâ. Sapore folia ſunt amaro Cynogloſſæ maximæ ſimilis. Differt ab alijs præter fructus figuram, alijſque notis hac etiam, quòd in alis vtrinque obſeruatur, aut foliola, aut fructuum petioli alternatim ad inuicem diſponuntur, quod in alijs non inuenitur. Æquicolorum montibus frequens, atque propè & ſubtus Caſtrum Podium Poponiſcum appellatum, locis ſaxoſis humentibus. Hanc quidam Heliotropium putarunt, qui cæruleis floribus curuis ramulis eſſet, folijs tamen ocimo diſſimilibus. *Sapor.* *Locus.*

Borrago minor ſylueſtris καρποχήνοπυς. *Cap. L X.*

VSVALIS Boraginis penuria Ciriholani Pharmacopæi hac planta vti dixerunt, quæ ſucco ſapore & odore ita vulgarem Boraginem refert, vt non ſit dubium ex illo genere eſſe. In marginibus & ſepibus Septentrioni oppoſitis, vel Orientalibus, Solis meridie vmbroſis, atque humentibus parum. Hyeme exit è radice admodum tenui flauicante, folijs primum paucis admodum paruis oblongis, atque caule creſcente ſimul, & ipſa grandiora fiunt ſimul, ſemipedali longitudine, duas vncias lata, hirſuta parum atque aſperiuſcula, ſed tenera multùm. Caulis tenuis eſt longus bipedalis & maior (vbi denſiores oriuntur plantæ, ſibi ipſis vel vicinis incumbentes, atque aculeis aduncis hærentes) angulis quinque diſtinctus, tenuibus ſpinis aduncis deorſum ſpectantibus armatus; veluti hamis, cauus, ſuccoſus: in ſummo paucis alis diuiſus tribus aut quatuor, in quibus foliola hærēt, non alternatim vt in caule, ſed bina ſurrecta, aliquando verò in imo alarum ſingula, inter quæ bini flores parui admodum cærulei, vt vix percipiantur, ſimiles effigie Bugloſſo vulgari & etiam colore, vel minimæ Cynogloſſæ Plinij à nobis depictæ pares. Martio menſe emicantes, è tenuibus petiolis & calycibus prodeuntes, ſtatim decidui: quibus fructus ſuccedunt lati, compreſſi foliacei Atriplici ſimiles, è petiolis tuncincuruis, deorſum ſpectantibus. Atriplicis folijs ſiue Anſeris auis pedum modo quinquepartiti vnde nomen καρποχήνοπυς, ſemina quatuor intus compreſſa læuia nigra, Echij ſapore, ſibi ipſis ſuperpoſita concludentes: ita vt folliculi videantur, bina illa foliola ſibi ipſis hærentia, quæ calyces floris antea erant, non autem coniuncta vt in veris folliculis. Aprili menſe perficitur, & Maio iam ſiccata in totum *Vſus.* *Nomen.* *Nominis cauſa.* *Sapor.* *Tempus.*

totum deperditur planta, annalis eſt. Hanc neſcio quomodo pro Germanico Alyſſo depingant Pena & Lobellius verticillatosq́ flores tribuant,& folia rubiæ magnitudine,cum admodum ſint maiora & latiora. Nullam quidem Alyſſi nec faciem folliculorum nec foliolorum habet, non enim duplex eſt, quod diuiſum, integrum etiam non remaneat,nec huius plantæ fructus,folliculi, ſed potius calyces,vel vtriculi ſunt ore aperti,&ſi occludantur compreſſione. alij eandem idæam proſequentes pro Aparine depinxerunt, quantum à veritate,ijdem iudicent.Hanc etiam in Æquicolorum montibus *Raſcino* in quodam diruto Caſtro propè antiquam turrim inueniſſe meminimus. Elixam mandunt montani Valuenſes pulmenti modo,apud quos etiam oritur.

Locus.

Anchuſa Echioides lutea Cerinthæ flore montana. *Cap. LXI.*

Locus. *Tempus.* *Deſcriptio*

SAXOSIS Æquicolorum montibus meridiei expoſitis oritur hæc, radice Maio menſe rubentem obſeruauimus in tenellis, in vetuſtioribus verò lignoſa longa, magna reſpectu plantæ foris nigra corticoſa, & piloſa ex qua multi veluti ſupini elati fruticant in orbem rubentes ſeſquipedales ad ſummum ramuli hirſutie obſiti alba aſpera, quemadmodum folia, quæ anguſta ſunt, alterius Anchuſæ apulæ Alcibiadis vel Onochilis forſan Dioſcoridis,minora; Linariæ ferè tres vncias longa, & minus, atque circa radicem puſilla hirſuta albicantia hiſpida,multa circa radicis caput, in terram conuexa, (multa enim germina ex vetuſta radice oriuntur,) ex quibus caules pedales, vel ſeſquipedales, quibus alternatim hærent maiora & circa ſummum latiora, ſemperq́. breuiora foliola: flores verò in Caulium ſummo qui bifurcati ſunt & incurui Scorpioides modo,aut cōgenerum emicant ab imo incipientes, primi verò in ipſo furcæ ramulorum ſinu, oblongi melleo ſucco intus Cerinthæ modo, caui lutei parum circa ora ventrioſi, atque anguloſi,in quinque lacinias paruas ora diuiſa habentes, ex quorum centro longus apex prodit, qui medius eſt inter ſemina quatuor in imo cōcepta anguloſa roſtrata vt congenerū,ſed nitida læuia colore corticis caſtaneæ,nigricantia; quæ demum intra oblongos hirſutos quinquepartitos calyces alternatim diſpoſitos per caulium ſummitates tunc erectas perficiuntur Æſtate, illos parua foliola concomitantia vt in congeneribus. Maio floret. Planta eſt

peren-

Borrago minor ſyl. κκοπεχιμεῖα. Anchuſa echioides lutea cerinthoides mont.



perĕnis, ab Antiquis minimè deſcripta ſub genere Anchuſarū, vel Echij, quorū flores purpureiaut punicei, huic autē lutei, effigie diuerſi ad Symphiti maioris flores magis accedentes, cuius ſemina etiāEchio, Borragini, Bugloſſo & Anchuſis ſimilia ſunt, atque plātæ guſtus ad ſimilis, quare ſub eodem genere collocari poſſet, quod hucuſque à nemine animaduerſum eſt, etiam quod ſpecialiter ob viſcoſum lentum, adſtringentem atque ferruminantem in radice ſuccum Symphytum ab antiquis ſit dictum.

Echioides Lutea minima Apula campeſtris. *Cap. LXII.*

Deſcriptio EIDEM familiæ adſcribenda hæc minima planta, cuius radix tenuis eſt admodum cortice fuſco Echij lignoſa & alba intus; ex qua folia in terram ſparſa duas vncias ad ſummum longa, ſatis anguſta, vt latitudine paria ſint cauliculi diametro, Lino ſimilia ſed in ſummo latiora carnoſa hirſuta duriuſcula, propè caulem molliora. Cauliculis tribus aut quatuor fruticat circa radicem parum ſupinis dodrantalibus aut pedalibus albeſcentibus, rotundis hirſutis, folioſis admodum, atque circa ſummum maculoſis, ex flauo guttis purpuraſcentibus vt in Anchuſa Apula breui radice obſeruatur, ac in Lycopſide putata latifolia, in quinque ramulos ſiue alas, aut tres vel plures aliquando quadrantales, diuiſam comam habentes Cynogloſſarum modo atque vulgaris Echij ritu folioſis denſis, atque vtrinque alatis ſiue pinnatis: ante inter foliorum ſinus flores exeūt lutei oblongi tenues puſilli tenui tubulo, minores & anguſtiores alijs, ſed ſui proportione latiuſculis oris, quinque partitis ac ſtellæ modo hiantibus: in quorum calyce deciſis illis parua ſemina quaterna alijs minora intorto roſtro capitella exprimentia auiculæ potius quàm ſerpentis inueniuntur, Aprili floret; Maio perficitur, guſtu ſimili, atque florem vnicum vt in alijs, ante alios in alarum ſinu ſed abſque petiolo hærente; Cirinolæ frequens.

Tempus. *Sapor.* *Locus.*

Echioides parua, alba Amphibia. *Cap. LXIII.*

NEC alio debet aut poteſt referri hæc in agris incultis vbique Cirinolæ frequens, atque etiam Æquicolorum montibus circa ſepes radicis, foliorum, florum, atque ſeminum effigie. Dodran-

Locus.


minima.
Echiöides alba

drantalis planta aut pedalis ad ſũmũ radice parua Anſerinæ pennæ calami craſſitie, fuſca foris intus alba, at Maij fine Æquicolis, & Valuenſibus rubeſcere obſeruauimus, dulci ſapore: ex qua caulis craſſior duplò ſupradicta fruticat ab imo duabus vel tribus alis diuiſus, ſubrubens, rotundus aſper, folijs alternatim veſtitus per interualla oblõgis paruis, Oleæ minoribus, ſemiunciam latis atque quadrantalibus longitudine, virentibus, alba hirſutie aſpera parum obſitis, in ſummo vt in ſuperiore tribus alis diuiſus, in quibus alternatim eodem modo minora foliola diſpoſita hærent, inter quę flores ex calycibus hirſutis quinquepartitis ſuperiori ſimiles atque maiores parum, albicantes emicant: Semina in imo habentes quaterna eodem modo, maiora parum ſuperiore, atque rugoſa aſpera & etiam intorto roſtro. *Tempus.* Eodem tempore cum ſuperiore floret, atque perficitur. *Sapor.* Foliorum ſapor propter humoris paucitatem guſtu ſicca viſa tunc fuere.

Elephas Campoclarenſium. Cap. LXIV.

CAMPOCLARENSIVM Vallis (ob excellentiam ita denominata) rariorum ſtirpium ferax, & hanc quam exibebemus modò plantam profert, *Locus.* non tamen multam ſe raram, ſicuti effigie rarior videtur, nec ab aliquo vſquam viſam. *Nominis cauſa.* Elephantis quippe roſtrum, cum capite ita flore perbellè exprimit, vt non aliud illi nomen à quouis illam intuente tribui poſſit. *Deſcriptio* Quapropter ſub Elephantis nomine delineandam cenſuimus. Radicem habet paruam, obliquam albeſcentẽ teneris veluti dentata foliolis craſſiuſculis tritici grani effigie, ac magnitudine, ſic enim illam inuenimus, paulò tamen latioribus, inciſuram illam præferentibus colore ex viridi albis, translucidis, ac veluti aquoſis, vt etiam in Scordio obſeruauimus. Caulem quadratum, virentem, ſuccoſum cauum, tenerum, nonnihil hirſutum, ſicuti & folia, quæ primo intuitu læuia videntur, bina ex oppoſito cauli hærentia Menthæ modo primùm parua, demum cum caule grandiora, atque oblongiora, magnitudine Menthæ ſed retuſiora, vt etiam ſerratura quæ rarior eſt, ad Scordij folia accedentia, colore albidiore, ſplendidiore atque ſuccoſa. Ex eorum verò finibus & caulis geniculis vtrinque à medio ad ſummum, & aliquando ab imo ferè etiam alæ multæ exeunt, ſed minoribus folijs atque acutioribus, forma & ſerraturis: interque folliculi bini ex ſingulis geniculis paruo petiolo hærentes

rentes Narciſſi ferè odore ſuaui flores emittunt luteos, aureo colore roſtratos Elphantis caput repræſentantes: Caput enim ex folliculo exerunt cum ceruicis inciſura & craſſitie recuruum naſum ſiue roſtrum proboſcidis inſtar ſemiunciæ longitudine producentes: in cuius medio ex inferiore parte ſuperioris veluti madibulæ dentes bini ſunt recurui: ex Capitis verò fronte vtrinque dependent veluti maxillæ ſupercilia formantes, ſub quibus maculæ ſunt excauatæ, vt oculos purpureo roſeo colore repræſentent: inde ex inferiore parte, & ſub collo latum eſt folium auriculas referens, quatuor diuiſum inciſuris, vt in Galericulatis floribus, ſed longè latius; vnciam enim æquat latitudine. Floribus deciſis intra ſingulos folliculos parum hirſutos vtricula perficiuntur ventrioſa, quadrata ſed obtuſis angulis, in quibus ſemina ob cutis tenuitatem, & illorum copiam extuberant, vt illorum craſſities videatur, quę Milij vel Angallidis eſt magnitudine. Colore ſunt ciuereo, gibboſa & rugis circum delineata, numero ferè triginta ſingulis pericarpijs, quæ cum perfecta ſunt vtriculos diſrumpunt, atque decidunt. Particulatim ab imo florent Iunio, & Iulio perficitur. Loca vmbroſa diligit, frigida, atque humentia ſeptentrionalia, in dicta Valle ſupra locum dictum, *il vado di Scartocchia*, ſecus viam contra arborem illam exiccatam, ibi in latiore vallis. Folia manſa linguam vellicare, extergere atque ſiccare viſa ſunt, nobis deguſtantibus. *Tempus.* *Sapor.*

Caſſida. Cap. LV.

EDIA videtur hæc habitu atque effigie inter Horminum, & Lamium, aliasq. eiuſdem generis plantas: Quam à ſingulari & priuata fructus ſiue pericarpij forma, in alijs nondum viſa, militaris galeæ iconem exprimente, Caſsidam appellare libuit, ſic enim Latinè illam appellant. Huius namque fructus rotundi ſunt & compreſsi, hirſutie craſſa aſperginoſa, viſcoſa & odora, manus inficiente dum virent, obſiti: quorum pars anterior in acutum producitur, fiſſuram habens oris ſpecie, & deſuper veluti in fronte limbum eleuatum ſui proportione magnum, elatum velut diadema, aut criſta obliqua, qua ornari videtur, vt in Militum Galeis. Cum ſiccari incipiunt os dehiſcentes aperiunt, ſuperiorē criſtatam partē vt in Caſſidis eleuandò, eo ac ſi miles modo ſuam nudare vellet frontem, vt ſolent æſtu, vel vt melius videant, vt Propertius bellè carmine explicauit, dicens, *Nominis cauſa.* *Deſcriptio*



Rhinanthus elephas
Sp. Pl.



Scutellaria Columnae Spr. hist

Aurea cui poſtquam nudauit Caſsida frontem.

Et quatuor oſtendunt, ſemina intus cohærentia, parua, rotunda fuſca, verrucoſa vt illa Morſus Gallinæ dictæ plantæ à Vulgo. Quibus perfectis ac ſiccatis, cũ ipſis decidit ſuperior pericarpij elata pars, imam tantùm relinquens breui petiolo hærentem cauli: Qui ab radice parua Vrticacea obliqua lignoſa flauicante, fibroſa admodum Vere cubitalis producitur vel amplior, ſolidus, in imo rubeſcens, rectus, ſingularis quadratus hirſutus, folijs circundatus per genicula binis, in imo paruis, & per caulem maioribus, obſcurè virentibus, in vmbroſis; ſed apertis locis, ex viridi languentibus, hirſutis mollibus petiolis à caule recedẽtibus, vt in Hormino & ſimilibus, circumſerratis, & dentibus retuſis Meliſſophylli modo, cui figura & magnitudine ſimiliora ſunt, non ita rugoſa, ſed Lamij modo plana. E medio caulis & ex folijs alæ ſingulis geniculis binæ caulem diuidunt, in quorum & caulis ſummo foliola ſunt anguſta parua, acuminata læuia, florum baſim exiſtentia, vt in Hormino, Ocimo, & ſimilibus, binos flores purpureos galericulatos Lamij modo oblongos proferentes, non obliquos, ſed erectos ceruice, atque vno verſu diſpoſitos, collum habentes longum albeſcentem: particulatim ab imo floret per longam veluti ſpicam, Maio & Iunio menſe, atque Æſtate perficitur. Locis incultis intra ſepes Collium & Montium, humentia & ſaxoſa amans loca: cum Meliſſopyllo & ſimilibus in Campoclarenſium collibus, at Æquicolorum montibus ſyluoſis via ad Flaminianum, & Cappuccinorum ſyluula ſupra viam. Folia amara ſunt admodum, ingrata, Chamædrios modo, parum vel nihil odora, vſus illis incognitus. Variat flore ex albo pallente, folijs latifoliæ Calaminthæ ſimilibus, candidis, vt Romæ apud Ioſephum Guidum peritiſſimum pharmacopæum obſeruauimus, quam cum alijs rarionibus alebat.

Tempus. *Locus.* *Sapor.*

Lamium Plinij Campoclarenſe & montanum. *Cap. LXVI.*

INTER Vrticarum genus recenſet Plinius Lamium, quod & ſi à recentioribus deſcribatur, diuerſum ab hac planta videtur. Non enim albam lineam per medium folij decurrentem habent plantæ ab illis propoſitæ, vt in hac obſeruatur, ab illis differentiã conſtituente. Quæ in frigidis montium locis ſeptentrionalibus Campoclarenſium & Æquicolorum oritur circa vepres & vias, ab

Locus *Deſcriptio*

alia Vrticacea maculis albis conſperſa ſeparata; caulibus multis quadratis, procumbentibus rubeſcentibus, in quibus folia Vrticæ hirſuta mollia, Lamio vulgari albo flore ſimilia, aut Ballotæ; ſed minora duplò, ſerrata rotundis inciſuris, lineam albam per mediũ atque rectum neruum vtrinque ambientem habentia, quæ maculæ in ſiccatis ſeruatiſq. plantis poſt decenniũ etiam durant conſpicua, ſemperq. per longum, nõ vt in Vrtica mortua alia diuaricata & guttatim diſperſa: trita grauem odorem remittunt, minus quàm in vulgari mortua Vrtica ingratum. Flores circa ſumma genicula verticillatos, galericulatos, colore ex albo rubentes, ex vtriculis vt in congeneribus prodeuntes in his quaterna ſemina relinquẽtes. Vere floret, & Æſtate perficitur, ſed Autumno regerminat. *Tempus.* Hanc pro Dioſcoridis Leucade prima faciẽ ſupponere putabamus, Sed quia non ita Mercuriali, vt Dioſcoridem notaſſe vidimus, ſicut Vrticeo generi folijs quadrare videtur, ac etiam natura; pro Lamio Plinij propoſuimus. De qua ita loquens ait. *Ea quoque quam Lamium inter genera earum appellauimus, mitiſsima & folijs non mordentibus medetur cum mica Salis contuſis incuſſiſque inuſtis, & ſtrumis, tumoribus, podagris, vulneribus: Album habet in medio folio, quod ignibus ſacris medetur.* *Lib. 22. c. 14.* *Vires.* Differt hæc ab altera quam obſeruauimus Aequicolorum in montibus: cuius folia breuiora anguſtiora, & acutiora, profundis inciſuris per ambitum diuiſa vt in Chamædrio, linea alba per medium decurrente anguſtiore, cæteris verò minimè differre videtur, cuius ramulum depinximus, vt eius facilis ſit perquirentibus differentiæ dignotio. *Varietas.*

Scrophularia montana maxima. *Cap. LXVII.*

Scrophularia [illegible] ... 322

MONTANA frigida vmbroſa & humentia loca diligit hæc Vrticaceo etiam fœtido generi cognata, ab antiquis fortè derelicta. Nulli aptare magis potuimus, cui quadrare videretur, quàm Scrophulariæ vulgò nuncupatæ, propter totius plantæ ſimilitudinem & forſan efficaciã. Differentia eſt, Radix huic non glandoſa ſiue tuberoſa, vt vera Scrophularia, ſed vt altera minor, quæ etiam ſcrophulis in radice caret, cui ſimilior, ſed maior & craſſior lignoſa & nigrior. Folia antequam caulem edat plura in terram conuexa, magna, rotunda, hirſuta, Matriſaluiæ maiori vulgò noſtratibus, ab alijs *Sclarea* dictæ paria, magis quidem ſerrata per ambitum, acutioribuſque dentibus Scrophulariæ minori ſimilioribus, *Nominis cauſa.* *Deſcriptio*



11. Lamium maculatum,

bus, mollia tactu, & fœtida Galeopſidis modo Vrticæ mortuæ vulgò dictæ: atque tota hyeme ſic expanſa in orbem durant. Vere caulem profert tripedalem, aut maiorem, quadratum, craſſum, cauum hirſutie alba obſitũ, rectum, geniculis diſtinctum, in quibus folia vtrinque ſunt bina ſemper decreſcentia, ex quorũ ſinibus, non alæ vt in alijs, ſed longi hirſuti petioli bini è ſingulis geniculis prodeunt, tribus digitis longis, in quibus, veluti corymbi tres aut quatuor, ſunt orbiculati flores pallidi luteſcentes, ciceris magnitudine in quinque breuibus lacinijs ora diuiſa parum habentes, & ſtamina quædam in medio Arbuti ſiue Vnedonis floribus admodum ſimiles, baſim habentes virentem quinque foliolis conſtructam, quibus ſuccedunt oblongi pericarpij in acutum deſinentes Scrophulariæ ſimiles, in quibus eodem modo ſimilia ſemina continentur, & aperto fructu decidentia. Maio floret, ac etiam Æſtate in Vmbroſioribus frigidioribusq. montis locis, & Autumno perficitur: deinde iterum ex radice germinat, non enim annalis, ſed eſt perennis. In Valle Campoclarenſium, atque etiam ſupra Mateſium vmbroſis ſeptentrionalibus niuoſis inuenimus, poſtremò autem in Æquicolorum etiam montibus in Villa, *Plagis*, dicta. Hanc pro Lamio Pannonico deſcripſiſſe videtur primus omnium Doctiſſ. Carolus Cluſius in Pannonicis obſeruationibus, & poſt illum ante nos Doctiſſ. Gaſpar Bauhinus in ſuo Synomijs ornato Matthiolo Schrophulariæ luteo flore nomine, iccirco iconem relinquimus proferendam, verùm in illa ima folia deeſſe videntur, eo quo diximus modo deſcripta. Eandem pro Galiopſide depicta viſitur in Vetuſtiſſimo Herbario Græcis literis inſcripto maioribus, mẽbranacea pagina, coloratis iconibus, quod in ornatiſſima Bibliotheca ſancti Ioannis Carbonariæ nuncupati Neapoli cuſtoditur, in quo Dioſcoridis plantæ deſcribuntur, additis quidem ſynonimijs illis in initio, & alphabetico ordine diſpoſitæ.

Tempus. *Locus.*

Cynocrambe vtraque Dioſcoridis. *Cap.* *LXVIII*

NEMO adhuc veram Cynocrambem habuit, atque ex deſcriptione & pictura hoc manifeſtum eſſe videtur; Dodonæus & poſt illum Pena & Lobellius plantam floribus fœminæ Mercurialis, in ſummo, & inter folia fructibus Maris depinxêre teſticulatis, atque cum mari Linozoſtide ſimilitudinem tantùm eſſe cognouerunt. Nos autem quid de his ſentiamus in medium afferemus.

Caninæ Mercurialis ſic dictæ ob ignobilitatem, duæ ſunt in Hortenſibus differentiæ maris nempè & fœminæ ſexu diſtinctæ, parum ab illis differentes. Radicum prima eſt differentia, quæ in Cyno-
Deſcriptio crãbis prolixæ, perplexæ obliquæ & ſparſæ, parum ſub terra latentes inueniuntur: Caules plures, haud abſimiles, niſi tenuiores, ſicciores, atque minores in imo purpuraſcentes, nec ramis diuiſi. Folia maris vtrinque acutiora, magiſque venoſa, minutioribus ſerraturis, ſed maiora: inter quarum alas ſicut in hortenſi flores haud ſunt conſpicui, fructus verò bini teſticulorum modo hirſuti, & maiores duplò, longioribusq. multò petiolis producuntur. Aprili fru-
Tempus. ctificare incipit, & Maio perficitur. Sapor & odor herbaceus ſub-
Locus. uiroſus, non differens ab alijs. Differentia altera in loco natali. Hanc non niſi in Montibus altiſsimis Mateſij vmbroſis inuenimus occidentalibus, deinde alijs conſimilibus.

Fœmina verò alijs etiam differentijs notatur; vt folia habeat longiora multum vt quadruplò ſint latitudine maiora, venoſa etiam, & longioribus ſit caulibus, è quibus inter foliorum ſinus eodem modo longi admodum vtrinque, & trientales petioli tenues admodum, è medio ad ſummum floribus in ſpicæ modum, vt in vulgari hortenſi fœmina ſint onuſti; triangulis, herbaceis, multis intus ſtaminibus pallentibus hirſuti, quibus decidentibus nullum ſemen habere comperimus. Radicibus eodem modo vt in mare ſupradicta, multis, ſparſis, perennibus; quòd in hortenſi non obſeruatur, cũ
Locus. ſit annalis. Hanc in ſepibus vmbroſis Neapoli ſupra D. Mariæ Sanitatis Templum in quadam vallecula colligebamus dum primùm hiſce rebus operam nauaremus. In his animaduertendum cenſuimus, Caput hoc, vt Doct. Marcellus Virgilius ait, ſuſpectum eſſe; quia in Antiquioribus Codicibus non legitur, nec in Plinio Galeno, alijsq. ſit facta mentio, & alterius Mercurialis herbæ, traditam ab aliquo poſteriore ſub hoc titulo hiſtoriam eſſe. Alij putant ſuperuacaneum eſſe, & redundare. Nobis verò minimè ſuperfluum, atque ſi non eſt Dioſcoridis, quod poſſet ea ratione eſſe, qua ſupra Marcellus Virgilius retulit, non tamen ab indigno Plantarum ſcriptore vel obſeruatore adiunctum: nec ideo reijciendum, cùm ſuas habeat plantas hiſtoriæ reſpondentes atque proprias, ab alijs differentes. Illud etiam notandum videtur nobis, quod alij non obſeruarunt, non ex Græco, ſed potius Latino ſcriptore in Græcum tranſlatum fuiſſe caput hoc, vnius verbi malè tralati ratione; ſimilitudinis ſcilicet, *Hederæ*, nam dicit, ſimilia Mercuriali folia

eſſe,

eſſe, aut Hederæ, quod potius ſcriptum erat, *Helxinæ*, & ratio, quia Mercurialis Ocimi folio eſt, ad Helxines folium accedens Dioſcoridis iudicio; quod maximè verum eſt. Helxines quidem folia oblongiora Ocimo habet, ſicut Mercurialis hortenſis. At huic Cynocrambæ folia Mercuriali & Helxinæ ſimilia eſſe ſcriptũ erat, quod verbum, *Helxinæ* minimè rectè pro, *Hederæ*, acceptum, κισσῷ, verſum fuit in Græco textu, nihil cum Planta commune habens. Harum vires non ſecus ac aliæ aluum ſoluendi olerum modo coctæ, & acceptæ, & bilem & aquam è corpore trahendi habent: & ſi minus notæ cùm ſint, in vſum haud nimis receptæ, vel rarò ob eorum infrequentiam. Harum Icones non adpoſuimus, cum illas poſt hæc antequam imprimerentur, à Doct. Gaſpare Bauhino in ſuis in Matthiolum ſynonimijs delineatas viderimus, nec illarum à Matthiolo, vel ipſo deſcriptionem additam, aut illarum differentiam. Nunc autem quæ nam ſit vera mas & fœmina Cynocrambe ex his quilibet cognoſcere poterit. Noſtram verò Alſinen nouam longius abeſſe à mare Cynocrambe exiſtimamus nedum effigie atque habitu, ſed odore Cucumerino; à viroſo Mercurialis alieno, quod alij tacuerunt; vt ex ſupradictis quiſque dijudicabit: ac etiam quia non binos cohærentes fructus teſticulorum effigie, vt ſupradicta Cynocrambe, ſed illos ſeiunctos, atque ſæpius ternos, magis quam binos, inter alarum ſinus, & aliquando quaternos. Quam poſteà Romæ via qua ad D. Pauli Baſilicam itur, & alijs etiam locis obſeruauimus. Nec vulgarem putatam Alſinem, ita Parietariam folijs, atque floribus & fructibus alis hærentibus foliorum imitari obſeruabit, totoq. etiam habitu: quare de hac hactenus. Oritur Neapoli etiam Mergellinæ, via qua ad montem itur tophis humẽtibus vmbroſis; Hyemis initio, vbi etiam copioſum ſemperuiuum tectium Dioſc. à nobis in Phytobaſano deſcriptum. Illam, ſi quis pro Paronychia potius accipiat, cum ſemine ſit inter folia Pepli, & Chamæſycæ modo; folijs Peplo maioribus, atque in petris oriatur; guſtu in initio parum acri extergente, linguam vellicante, ſed non imprimente calorem, vt Galeno ſatisfacere videremur, faciliùs aſſentiremur; non enim Paronychiam fecimus, ob foliorum enormem magnitudinem, & etiam quia non ſit breuioribus ramulis Peplo, Peplide, neque Chamæſyce: hac enim de cauſa Alſine facie plantam nouam denominauimus, cum etiam quia Cucumerinum planè odorẽ tritis folijs inter digitos, naribus offert; quod in recepta Alſine non obſeruatur. *Vires.*



Sideritis montana
Spec. hasl
Lam. 2,167



Rhinanthus Trixago Spe. hab.

Sideritis montana paruo flore nigropurpur. *Cap. LXIX.*

Locus. *Deſcriptio* RARIOREM hanc, elegantemq. plantam, inculta montana ſteriliaq. fundunt ſaxoſa loca Aquicolorum ſupra Capuccinorum Syluulam. In qua dignum obſeruatione videtur floris aculeatus vtriculus ita paruum concipiens florem, varioq. diſtincto colore, caput nempe & barbularum oras purpuronigreſcentes, medium verò vmbilicum luteo, & collum denique candicante. Flos quidem galericulatus eſt, ac in hoc genere minimus, caput habens hirſutum, nec ab vtriculo exertum, vt vix niſi lecta manu planta diſcerni queat. Vtriculi verò quinis latis diuiduntur neruoſſsoris, aculeis longis parũ hiſpidi, hirſuto reliquo corpore: ſeni circa genicula caulis & alarum, quibus caulis ſeſquipedalis ad ſummũ quadratus rubeſcens hirſutus, lignoſus, alis duabus in medio diuiſus ornatur, binis inrercipitur folijs alternatim ex oppoſito hærentibus, oblongis ex viridi languentibus, alba lõga, hirſutie obductis: ternis circa foliorum extremorum vtrinque obſcuris dentium ſerraturis: circa imum caulem longis veluti petiolis, at circa faſtigium caulis, & vtriculos illis carentibus, latioribus quidem ac neruos quinos per longum habentibus, nec inciſuris diuiſis, at acuminatis. Iunio floret, ac Æſtate perficitur. Semen anguloſum, quaternum ex nigro cinereum, quod anguſto piloſoq. vtriculorum ore occluditur. Radix lignoſa parua fibris diuiſa atque flaueſcens inuenitur. *Sapor.* Sapor plantæ dulcis, caleſcens parùm atque palato non ingratus. Aliquando vnicaulis, quandoque pluricaulis ab radice inuenitur, Sed ſemper in medio duabus alis, rarius pluribus diuidi obſeruauimus. Differt ab illa quã ſuperioribus annis deſcripſimus natali loco, longitudiue, caulisq. rectitudine, anguſtiore, foliorum effigie, atque neruorum poſitu: itemq. florum colore, magnitudine & conceptu. Singula in pictura expreſſimus vt ſolemus, vt facilior ſit eius dignotio, & nota differentia. Quia verò congeneres Sideritides appellari à Recentioribus nouimus & hanc neutiquam parui faciendam eodem nomine appellare voluimus.

Trixago Apula vnicaulis Τετρασάχυς. *Cap. LXX.*

COPIOSAM cùm primum Cirinolæ vidiſſemus hanc, nobis mirandam ſe præbuit, eo quòd innumeræ cùm ibi in quodam inculto, depreſſoq. loco non longe ab Oppido ſimul exortæ adeſſent, nulla diuiſo alis caule, ſed ſimplici rectoq. produceretur. Quare an ab aliquo fuiſſet depicta memorantes, cũ recentiorũ tum verò antiquorum, in mentem venit ſi aliquid cum recta Verbena commune haberet, ac Diſcoridis notas perpendentes, hanc non parum accedere illi, niſi folia ad Alceæ diuiſuram magis quàm quercus accedere deberent, vt idem Dioſcorides in cap. de Alcea notat, ſic etiam pro Plinij Alectorolopho niſi ſemina flaueſcentia eſſent. Iccirco Trixaginem potiùs vnicaulem appellauimus ad differentiam Trixaginis Dioſcoridis & vulgaris. loca amat humentia depreſſa prátenſia plana vt ibi Cirinolæ, ac etiam colles tophaceos humentes quales Gallicani propè Præneſtem Romani agri Herba eſt vnicaulis ſemper, ab radice ſingulari prodiens, pedali altitudine aut paulò magis caulem proferens, quæ vegetior oritur, folijs anguſtis oblongis obtuſis craſſis ex viridi albicantibus, raris dentibus ſerratis Quercus ferè modo criſtatis hirſutis carnoſis, in medio caulis maiora, triunciali longitudine, reliquis verò tam imo quàm circa ſummum breuioribus atque obtuſioribus, alternatim binis ex oppoſito quoquo verſu, digitalibus interſtitijs cauli ſine petiolo hærentibus, hirſuto quadrato albeſcente, & purpuraſcente pedali vel ad ſummum ſeſquipedali; in cuius cacumine ſpica eſt longa quadrata, vnde nomen impoſuimus Τετρασάχυς, criſtatis, folijs rotundioribus, hirſutis denſis Euphragiæ vulgari ſimilibus conſtructa, ex quibus flores galericulati magni admodum proportione plantæ, latis barbulis, albis pallentibus, capitibus verò purpuraſcentibus hirſutis, ex quibus luteum ſtamen veluti dens exeritur, è denſis vtriculis hirſutis inter folia ocultatis, capitulorum Thymi modo prodeunt. Quibus decidentibus fructus remanent nigri aſperi rotundi in acutum deſinentes longum ſtamen habentes in eorum ſummo, eodem Scrophulariæ modo, foliaceo dentatis oris hirſutoque vtriculo, & inter folia illa quadratam anguloſam longamq. ſpicam formantia ocultati. Hi tandem ſicca in totum planta, deciſiſque è caule folijs, & poſtremò ab ipſa ſpica, veluti botri Ciceris magnitudine, nudi, duri nigri parum hiantes ſemenq. emit-

Nominis cauſa.
Locus.
Deſcriptio
Etymon

emittentes arenæ inſtar minutiſſimum & copioſum flauum, virgæ denſè diſpoſiti remanent. Tota ſpica tactu, dum folioſa, gummoſa & viſcida eſt, atque parum odorata. Aprili menſe cauleſcit, Maio floret, & Iunio perficitur. Radix fibroſa parua alba lignoſa parum ſub terra deſcendens. Sapore amaro vellicante extergente. Foliorum verò ſapor amarus parum acris calfaciens, quodammodo aromaticus, cerebro guſtanti iucundus. Qui viderit folioſam plantam, & poſtea illis carētem atque botrioſam, niſi primùm locum obſeruauerit plātæ, haud illam eādem eſſe cenſebit. Si quis hanc pro recta Verbena Dioſcoridis accipiat, Vulgarem & ramoſam, pro Hierabotane, quæ ſupina Verbena denominatur cui ſimilior eſt Alceæ foliorum ſciſſura non valdè refragabimur.

De Eufragijs. *Cap. LXXI.*

QVINQVE differentias Eufragiæ ſic à Recentioribus denonominatæ obſeruauimus, quarum præter Matthioli vulgarem, quæ in montibus vnicaulis ferè ſemper inuenitur in
Locus. Campoclarenſium nudis, & Æquicolorum, ſpecioſa latifolia & pedalis ferè altitudine; & alteram à Dodonæo depictam, montanam, ſaxoſis magis atque excelſioribus nudis iugis meridionalibus, gaudentem, minimam breuem admodum palmari altitudine nigro purpurantem caule & folijs, ab imo ramoſam, & ſingulis geniculis foliorum, anguſtioribus multò folijs atque longioribus, magisq. in Æquicolorum præſertim ſupra Flaminianum Villam, via quæ ad D. Angeli dirutum templum itur in vertice montis copioſam Iulio
Deſcriptio. & Auguſto menſe. Tertiam addemus non ſcriptam in pratis colliū frequentem, tàm frigidarum, quàm calidarum regionum, latiore folio, ſemipedali caule, quę media dici poteſt, purpuream & albam. Purpurea namque in frigidis locis, colliumq. pratenſibus herboſis
Tempus. primo Vere copioſa inuenitur atque denſa, humum ornans coma purpureoſerico colore Amarantho proximo. Breuis herba, radice minima puſilla lignoſa multis diuiſa fibrillis, ſemipedali caule, nec nimis procero, & craſſo, ab imo alis diuiſo, vel ſæpius ſimplici, quadrato hirſuto rubente, folijs per interualla binis vnguis magnitudine rotundis ferè, per ambitum criſtatis raris dentibus quinque aut ſex diuiſis, carnoſis hirſutis. Flores inter foliorum & caulis ſinus è medio caule ad ſummum bini, oblongum vtriculum habentes pro calyce, vulgari Eufragiæ & alijs ſimilem, at maiorem, ſicut

etiam

etiam flores, qui galericulati anguſtioribus barbulis, & inter folia ferè occultati oriuntur, purpuraſcentes ipſi ſicut & tota coma. Vbi naſcitur, ita frequens inuenitur, vt humum tapeto opertam purpureo inſpicere videaris. Amaro ſapore eſt, atque apud Pharmacopolas vſu pro altera Matthioli vſurpata. Semen in vtriculis candicans anguloſum oblongum copioſum à cæteris non differens niſi magnitudine pauca. Variat planta hæc regionibus calidis, vt in Apulia & Cirinolæ præſertim in pratis & paſcuis, vbi Pharmacopolæ veram putabant, atque verã ſe vſurpaſſe pharmacisq. miſcere dixerunt, candido flore, atque ita etiam coma candicare conſpiciebatur, vt album tapetum ſicuti de ſuperiore, purpureum in terra ſtratum cenſeri poſſit. *Vſus.* *Varietas.* *Apula.*

De Eufragia maiore ſylueſtri purpurea latifol. Cap. LXXII.

DESCRIPTAM hanc à nemine, quod viderimus, cenſemus: atque ob affinitatem, quam cum Eufragijs habet, illis iungendam, earumque varietati adſcribere duximus. Sylueſtrem appellãtes maiorem purpuream & latifoliam, ad differentiam aliarum, & eius quam luteam, & anguſtifoliam montanam etiã proponemus. Hæc ſylueſtribus, collibus, vmbroſis atque humentibus gaudet, etiamq. in ſepibus inuenitur tàm calidarum, quàm frigidarum regionum, altitudinem petens ſeſquipedis, radice tenui, intorta, lignoſa bifurcata, vel magis diuiſa, quadrato caule hirſuto ſubrubẽte, per genicula folijs oblongis veſtito, digitalibus interuallis, vnciam longis, latis verò tertiam illius partem, in acutum deſinentibus, per ambitum ſerratis: ex quorum finibus, à medio ad ſummum vſque caulis alæ ſurgunt vtrinque obliquæ parum, minutioribusq. foliolis ornatæ, quibus ab eorum medio circa ſummum denſi flores inſunt verò verſu diſpoſiti, ex alternatis tunc foliolis prodeuntes, galericulati purpuraſcentes, ex vtriculis emicantes hirſutis, non diſſimilibus cæteris, quibus fructus ſuccreſcunt craſſiores, minusq. congeneribus oblongi, ſeminibus turgidi anguloſis candidis, parũ Vulgari maioribus, quæ Septembri & Octobri menſe perficiuntur. Auguſto floret, amaro tota ſapore. Æquicolorum collium ſemitis & Quercetis depreſſioribus etiam locis, at in editionibus propè Flaminianum in Capuccinorum ſyluula altera emicat lutea anguſtifolia de qua nunc dicemus. *Nominis cauſa.* *Locus* *Deſcriptio* *Tempus.* *Saper.*

Eufragia ſilveſtris maior purpurea et latifolia pratenſis



Euphrasia latifolia Spr. hal.


Euſragia ſilueſtris maior lutea anguſtifolia

Eufragia lutea montana anguſtifolia maior altera. Cap. LXXIII.

Locus. HÆC autem editioribus ſylueſtrioribusq. locis gaudet, ſyluoſis, vmbroſisq. copioſiſſimam in Capuccinorum ſyluula quercina inter Flaminianum & Podium Poponiſcum Æquicolorum caſtrum Auguſto menſe floridam inuenimus. *Tempus.* Simul copioſa oritur, vt nihil aliud ferè eo tempore ſimul floridum conſpiciatur, oculos recreans aureo florum colore: *Deſcriptio* a ltior ſuperiore, atque tenuiore caule bipedali, ferè rubente, quadrato, ſed obtuſis angulis, folijs anguſtioribus, Lino paribus, craſſis, per ambitum rarioribus dẽtibus: ternis ſcilicet, ſerratis: per rariora genicula binis cauli hærentibus ex quibus, alæ vtrinque cruciatim alterno verſu oppoſitæ, binæ panduntur obliquæ oblongæ admodum caulis & plantæ proportione: è quorum medio ad ſummum vſque, vt in ſuperiore denſi flores vno verſu diſponuntur duplicati, galericulati deorſum ſpectantes, ex vtriculis eodem modo prodeuntes, ſed colore aureo luteo ſaturato oculos recreante. Semina perficit Octobri menſe ſuperioribus ſimilia, atque ſicco pericarpio, atque dehiſcente, ab imo incipiente decidunt vento flante, candida inter fructus hiantes conſpicua. atque Serotina ita eſt, atque durat lignoſa Hyeme ſicca planta, folijs nuda, cacuminibus tantum botrioſis veſtita. *Sapor.* Sapore amaro adſtringente & extergente linguam exaſperante guſtantibus tunc nobis viſa fuit. Radix ſuperiore tenuior, lignoſa fiorisq. diuiſa. Nullo alio loco deinde plantam vidimus, cum & congener vbique ferè in ſylueſtribus inueniatur. Has pro Sideritide alij depinxerunt.

De Valerianellis & dè Cornucopioide. Cap. LXXXIV.

VALERIANÆ apud nos dicuntur plantæ Nardum radicis odore referentes, quæ apud Dioſcoridem Phu nomine donantur, vel Sylueſtris Nardi. de quibus in noſtro primo Phytobaſano, & poſt has dicemus. At quia inueniuntur plantæ aliquot illis quodammodo radicis odore, folijs flore totoque habitu affines, iccirco nos diminutiuo nomine appellauimus quas minus obſeruatas, atque rariores nunc proponimus, illarum generi, vt aptius adſcribentes. *Nominis cauſa.* Harum quædam vt nota, & ab alijs prius depicta, & ſi non exactè, exprimere non curauimus: verum illam aliquibus notis

per-

perſtringere duximus, vt quibus ab hiſce rarioribus differat digno-
ſci poſſit. Omnium ortus locis herbidis humentibus cliuoſis primo
Vere conſpicitur; nec antequam in caulem abeant facilis erit dif-
ferentiæ cognitio: radice quidem & primis folijs ſimiles ſunt, ve-
rum vulgatæ maiora parum folia cõſpiciuntur Lactucellis & Seriola
lis tenellis ex ſemine ſimilia, minora multùm, quarum vice plebs
ignara legere, ac acetarijs miſcere ſolet: nec in caulis geniculis
laciniantur, & flores ex albo cæruleos in vmbellulis exiguos edit,
ſeminaq. ſingula inter alarum ſummarum ſinus, præter vmbella-
rum habet, illaq. rotunda compreſſa parumperin ſummo, acuta, &
per obliquum rugis quibuſdam delineatã, atque antequã perfectè
ſiccescant deffluentia ſicut etiam accidit illis confertis in vmbellu-
lis. At quam depictam nunc proponimus rariorem, maximum Na- *Deſcriptio*
turæ in huius plantæ constructione oblectamẽtum ante oculos ob-
ijcit conſiderandum: ac prima facie monſtrificum quid potius, quã
naturale putandum. Omnium quidem plantarum cacumina tenu-
iora natura, (niſi monſtrifica ſint de quibus etiam ſuo loco dice-
mus) nunc autem craſſiora eſſe obſeruandum, eadem naturâ ſic il
la perficiente demonſtramus. Atque ob rariorem huius plantæ for-
mam comæ, Cornucopiam ab antiquis memoratam & depictam
exprimentem, *Valerianellam Cornucopioidem* græca deriuatione *Nominis cauſa.*
appellauimus. Huius natalis locus eſt Montanus vmbroſus vdus, *Locus.*
qualis eſt ager ille conterminus Cappuccinorum Syluulæ, quem
diuidit alluuionis foſſa ex Podio Poponiſco Æquicolorum caſtello
Comitatus Marerij dicti, deſcendens, propè viam inferiorem, &
qua ad Podium itur, primo Vere germinans, ex radice tenui ad- *Sapor.*
modum Vulgari ſimili flauicante parum odora atque guſtu Valeria
næ, folijs breuibus, vulgatæ non diſſimilibus, minoribus parum,
atque læuibus, Valerianam Syluestrẽm minorem æmulantibus, bi-
nos aut ternos per ambitum ſinus habentibus Hieracij lanoſi mo-
do, ſemidigitum lata, longa verò duabus vncijs, quæ imo cauli hæ-
rent, magiſque profundè ſerrata. In alis quidem latiora quo hæ-
rent, & lobo vtrinque magis ſciſſo, & maiore, vt alata videantur,
eodemq. modo ſuperiora ſunt, ſed minora ſemperq. decreſcentia.
Caulis veluti caudex plantæ, duas vncias longus, geniculo in me-
dio interceptus in quo folia bina ex aduerſo oppoſita vt reliqua,
& ex illis alas habet; compreſſus eſt læuis canaliculatus, vtrinque
contrario foliorum verſu, in ſummo bifurcatur læuibus cauis ra-
mis & expanſis, bifidum ordinem ſemper obſeruantibus, atque
circa


cornucopioides echinata

circa diuiſionum geniculos ſemper craſſeſcentibus: in quorum ſummo veluti tubuli parum compreſſi etiamq. canaliculati craſſiores latiores breuioreſq. cæteris alis, inuerſam pyramidem effigiantes latiores in ſummo & craſſiores, anguſtis foliolis exiguis alati inſunt, in quibus [veluti fructus in Cornucopia] capitula ſunt, baſim foliaceam quodammodo habentia, florum conferta exiguorum Valerianam aut Nardum æmulantium, ex purpureocæruleo albicantium, ſupra fructus corniculatos brachiatos & aduneos inſidentium. Quibus Iunio menſe decidentibus, atque craſſeſcentibus fructibus maiora fiunt cornicula duriora & flauicantia, vel pallentia, remanentq. cornicula denſa copioſa vndique adunca per orbem, atque tàm floribus, quàm fructibus onuſta plænta Cornucopiam æmulatur cacuminibus, eſt & inter binos tubulos ſummos in qualibet ala interceptus fructus etiam, qui veluti compreſſus ob loci anguſtiam inter illorum ſinus conſpicitur ob longior cæteris. Æſtate perficitur atque ſiccata deperditur planta tota pedalis eſt alitudinis, nec minus coma ſumma latitudinis, occupat expanſis alis, Ortiur etiam in Valueſium montibus. *Tempus.*

Valerianella altera tenuifolia ſemine Scabioſæ ſtellato, & Altera vmbilicato. Cap. L X X V.

HÆC autem radicis forma, colore magnitudine odore atque ſapore ſuperius deſcriptas æmulatur. Natali verò loco parum abeſt, ac propè ſuperiorem, ſed in agri margine, & macerie ſaxoſa herbida tam ibi quàm nòn longè in altera macerie eadem viâ copioſa. Folia huic anguſtiora atque minus inciſa ſunt in imo: at è medio caule erumpentia quatuor lacinijs longis diuiduntur, Nardi vel maioris Valerianæ ritu Vulpis vmbram ſine capite deſcribentia: quæ verò iuxta alas hærent quinquepartita, aut trifida ſunt anguſti & longa Aiugæ diuiſura & magnitudine, atque in ſummo tenuiora. Caulis eſt ſemipedalis rectus ſolidus purpuraſcens, ſupernè brachiatus, bifidum ordinem in alarum diuiſione ſeruans, iuxta contrarium foliorum poſitum canaliculatus, ſicuti alæ. In ſummo vero totius plantæ ſemipedalem altitudinem aſſequutæ atque alis bifidis diuiſæ ſexdecim inſunt vmbellulæ, eędemq. binæ cohærentes, florum cõfertæ exiguorum admodũ, Nardi modo ex albo purpuraſcen tium, tenuiſſimis ſtaminibus è medio erumpentibus *Locus.* *Deſcriptio*

tibus

tibus, fructibus inſidentiũ, vtriculorum effigie, qui floribus decidentibus ſtellati euadunt ſex radijs diuiſi, in medio parum caui, atque Scabioſæ modo cartilaginei, quorum corpus hirſutum eſt atque vmbilicatum, vel fiſſum tritici modo ſed profundius. Æſtatis fine perficiuntur, atque ruffeſcunt ſiccati, deperditurq. deinde planta. Iunio florida inuenitur. Baſim habent vmbellulæ foliolis cartilagineis exiguis albeſcentibus conſtructam. Inuenitur alis etiam caulis aliquando diuiſus in medio. In Apulia quoque Cirinolanis agris Aprili menſe obſeruauimus. Hanc Æquicolis quadragenæ diebus nouiſsimis in acetarijs ſæpius apud amicorum menſas eſitauimus peragrantes.

Tempus.

Valerianella altera nudo vmbilicato & laui ſemine. *Cap. LXXVI.*

VARIAT hæc à ſuperiore florum baſi magis virente, atque anguſtioribus longioribusq. foliolis conſtructa. Floribus etiam paulò maioribus, ſed vmbellis minoribus, atque flore & fructu ſingulis inter ſummas alas interceptis, vulgaris modo, & Cornucopioidis. Fructu nudo trigono læui, acutiore in ſummo, & quodammodo trifido, ſed vmbilicato, eodem quo ſuperior modo, etiamque ruffeſcente cùm ſiccatur. Reliquis verò, loco, tempore, radice, folijs, caule, alarum ordine, numero, altitudine, atque ſapore, à ſuperiore non diſcernitur, vt etiam peritus in dignoſcendo fallatur, niſi floridam ſaltem ſpectet, vel cultam loci notione diſtinguat. Huius ramulum tantùm ideo appinximus cum ſuperiore, quia vt diximus eadem videtur, præter, notata & depicta. Has, niſi ad Valerianæ genus referri deberet, pro Phyteumate ſupponere cenſebamus, ſemine cum ſint pertuſo fiſſo, & copioſo; folijs paruis atque laciniatis, ſed Lanariam primùm deſiderantes, noſtram de hac opinionem aliàs protulimus.

Nunc autem quia locus oportunus videtur, de Valerianis & veriore Phu dilucidiorem opinionem addemus, Euangeliſtæ Quatramij obiectionibus reſpondentes, vt cuique ea de re ſit iudicium.

De


Valerianella semine Scabiosæ Stellato hirsuto et etiam umbilicato.
Altera umbilicato nudo semine.

De Phu Dioſcoridis veriore
Exemplum Apologeticæ noſtræ Epiſtolæ ad F. Euangeliſtam Quatramium miſſæ apud Sereniſsimum Ferrariæ Ducem olim Herbariæ rei profeſſorem.
Cap. LXXVII.

ETSI in deſcriptione ſylueſtris Valerianæ noſtratis à nobis propoſitæ pluribus ab hinc annis in noſtri Phytobaſani editione, quamplures inſint perſpicuæ atque firmæ rationes, & etiam reſponſiones, quibus cæterorum contrariam opinionem tuentium argumenta, cùm clara, tum verò occulta refelli facilè poterāt, quas accuratè repetita lectione perpendens aliquis animaduertet; tamen vt dilucidior noſtra opinio, atque omnibus notior efficiatur, ac etiam à tuis obiectionibus apertè tueatur, hæc ad te ſcribere voluimus.

Noſtram quidem de Phu Dioſcoridis ſententiam ab alijs ventilari atque perpendi valdè lætamur, nec alios cōtraria niti opinione, relicta calumnia moleſtiæ quid afferre nobis, ſcito; Vna quidem eſt veritas, quæ obruta etiam ſuperſtat. Et quamuis cum illam de Phu ſententiam protulimus, annum vix, xxv, attingerimus, atque parùm in hiſce ſtudijs verſati nec vnquam ab vrbe abfuerimus; exiguo tamen ingenio nobis à Deo Opt. Max. tributo, & interrupta in hiſce rebus obſeruatione noſtri animi recreatione adhibita, exactiùs quid pro Dioſcoridis Phu ſtatuendo, nos retuliſſe viſum fuit. Ac illa eadem zelotypia atque erga proximum charitas, quā iteratis vicibis habere refers in tuo de Theriaca tractatu, cùm ſimplicium medicamentorum ſis, atque diceris profeſſor; illā quidem eâdem adducti nos, qui non ex profeſſo, ſed oblectamenti ergo, atque vt aliàs retulimus, aduerſæ valetudinis cauſa hæc euoluentes, quid ratione magis conſentaneum, ac verius videretur ꝑpoſuimus; noſtros labores, ac ingenij partus alijs eiuſdem rei ſtudioſis communicantes, & hanc præſertim Phu deſcriptionem atq; obſeruationem, velut non aſpernendæ Plantæ, ac minus receptæ; cum illi non paucæ atque efficaciſsimæ inſint qualitates ac vires, de quibus aliàs diximus.

Quod dicis, noſtram atque tuam opinionem de Phu, atque alijs à doctiſſimis Italiæ Collegijs cribratum atque diudicatum iri: vtinam & vnaquæque Ciuitas doctorum Senatus, atque Academias haberet,

haberet,in qua præter alias liberales artes,& hæc φαρμακευτικὴ profiteretur,quæ poſt medendi methodum,θεραπευτικὴν ſcilicet , apprimè vtilis atque neceſſaria cenſetur; quid enim prodeſſet pharmaci vim noſcere,ſi quæ pharmacũ componunt,ignorarentur?ac ab illis, & in ijs ſuper huiuſmodi naturalibus diſceptatio haberetur,vt cognita denique veritate , ab omnibus deinde communiter non ſine magna vtilitate reciperetur,promulgata .

Valerianam vulgarem maiorem hortorum Nardifoliam ab omnibus alijs Valerianæ ſpeciebus differre nemo ambigit,atque nec à nobis negatur.Eſt quidem vulgare axioma,quòd ſi maior Valeriana à te recepta ab alijs differt ſpeciebus , illæ ſpecies differunt ab ea;ſed hoc quid refert ? nihil quidem, ni fallimur,pro noſtra differentia ſedanda .

Quod autem ſupradicta tua Valeriana hortorum omnes obtineat dotes,vel notas,dicere volebas, a Dioſcoride tributas in Phu deſcriptione,hoc opus,hic labor,in hoc noſtra verſabitur diſceptatio,vt rectè cum planta conferantur , vel planta cum illis , & hoc abſque calumnia & deceptione.

Et vtſummatim loquamur,quamquam in illa noſtra hiſtoria,in qua Phu deſcripſimus magis pro noſtra intelligentia reſpondentem , omnia ferè hæc à nobis dicenda recenſentur , tamen vt tuæ obiectioni ſingillatim reſpondeamus,hæc ſubiungemus.

Et primò dicis , Valerianæ maioris à te receptæ folia , caules, flores , ſemina , radicem craſſam villoſam , rectam fibris obliquis colore & ſubſtantia flauicante,atque interſe implicatis Iunci figura,vel Ellebori nigri veri , minoribus, tenuioribus ſcilicet Pentaphyllo, & non effigie aut magnitudine Ellebori nigri vulgaris recepti ab omnibus, quod Aconitum Ponticum putas,notas eſſe Phu Pontici . Et fibras illas aut villos obliquè ortum ducere ab radice illius craſſa,inſtar digiti,parui,recta intra humum,illasq́. implicatas colore citrino vel aureo,ſapore in initio inter dulcem & acrẽ, atque deinde amaro,quòd caliditatis nota eſt,atque indicium Phu Pontici,ſapore aromatico,atque odorato,Nardum referente, cum pauca odoris grauitate.

Sed nos reſpondemus,Valerianam à te receptam radices habere geniculatas Acori effigie,atque ſupra humum nitentes , & detectas,quas verè,vt ſunt naturaliter, exactè depinxerunt Dodonæus, Lobellius & Pena viri doctiſſ. atque candidi;& nos varijs in hortis obſeruauimus illas Neapoli,atque Romæ, habentes paucas rario-

reſque fibras humum rectè potius quàm obliquè petentes,nec vnquam implicatas interſe propter eorum laxitatem & paucitatem. Quod contrà euenit in radicis fibris à nobis propoſitæ Valerianæ, quæ naturâ interſe implicitæ atque obliquæ oriuntur, nec vnquam rectæ inueniuntur;ſed expanſæ atque in orbem radiantes. NecDioſcorides vnquam longitudinem & rectitudinem Phu radici tribuit, vt in tua radice nimis oſtendere conaris; nec illius fibras tenues aut craſſas eſſe Dioſcorides refert Iunco, aut Elleboro pares; verùm quod ex radicis ſuperna parte,digiti minimi craſsitudine, veluti ex ceſpite,fibræ aut villi hæreant vel ortum ducant, quemadmodum in Iunci,& Ellebori nigri radice:vt ſcilicet ſimili modo radix Phu fibroſa videatur: Nec fibrarum tenuitas aut craſſitudo in huiuſmodi ſimilitudine conſideranda à Dioſcoride proponitur,nec debet;non enim Iunci radicis fibræ pares Elleboro ſunt;& Dioſcorides Phu radicis fibras illis comparat nulla facta craſſitiei mentione; atque hoc argumentum ſufficiet,fibras radicis Phu, non tenues ſicut Pentaphylli, vt tu putas, nec Elleboro aut Iunco pares, verùm eodem illo modo à ceſpite depēdere debere,atque obliquè. Hæc quidem Dioſcoridis mens ex eius deſcriptione colligitur. Quare radix recta & oblonga à te propoſita & recepta, ab radice Phu omnino differt;cuius nec recta pars, neque longa deſcribitur.

Dicis etiam Valerianam maiorem in planis ſylueſtribus oriri, ſicut montanum Nardum in montibus. Nos reſpondemus ſi nunquam in Ponto fuiſti:& hanc in Italia minimè ſponte oriri aſſeris, quomodo talia in hominum mentes adducere conaris? quæ nunquam vidiſti,nec aliquis refert. Et quid amplius de illius ortu Dodonæus aſſerere poterat,à Ponto longius abſens,quàm quæ ab alijs accipere poterat,& idem aliorum relationi aſſentiens, Phu in Ponto oriri ſpontè,ferri tradiderit?

Dicis præterea Dioſcoridi minimè placuiſſe folia Phu ſimilia facere Montano Nardo; cum altera, Phu ſcilicet Planta in planis oriretur, atque altera in montibus, Nardum ſcilicet, Montanum. Nec folia montani Nardi ſimilia feciſſe Phu, ſed potius Eryngio, cum vtraque planta,Nardum ſcilicet & Eringium in montibus eodem modo & natali oriretur. Sed hic non parum falli videris, falſaq. proximo tradere cenſemus. Non negamus Eringij ſpeciem in montibus oriri,in quo montanum Nardum;ſed an tu obſeruaueris quæ nunc trademus ignoramus:quòd ſi obſeruaſſe dices,calumnioſè ſtatim te loquutum eſſe manifeſtum erit. In Montibus Mateſij

Campoclarenſium Copioſè Nardum & Eryngium oriuntur, ſicuti & in Æquicolorum *Raſcino* & alijs ſupra Flaminianum montibus; atEringij ſpecies illa ab initio inciſis folijs,exit,ac antequam caulem edat admodum laciniata vt lobi in plures lacinias diuidantur,atque tantùm à Nardi oualibus folijs diſtat,quantùm veritas à mendacio, illaque cærulea ſunt,ſicuti tota deinde planta, quam ſi Nardo ſimilem eſſe contendas nihil eſt quòd amplius diſſeramus: contra negantes ſenſibilia nõ eſt amplius diſputandum.Eſt quidem alia cãpeſtris Eryngij ſpecies è nobis in Apulia Cirinolæ primùm obſeruata ex viridi languens deinde in agro Romano & alijs locis cuius prima folia,ſecunda & tertia oualia ſunt longis petiolis hærentia,læuia,nec laciniata, ſed per ambitum ſerræ modo parum inciſa:atque tota Hyeme ſic durant,& quæ à nouella planta producuntur ſic marceſcunt, aut alia parum in ſummo ſciſſa vt vnicum habeant lobum emittunt; non enim caulem eodem anno apta eſt proferre tenella adhuc è ſemine orta planta,& forſan nec ſequenti. Folia verò ex planta adulta & cauleſcente in tres lobos diuidun tur, illosq́. latos admodum, vt non inſcitè Nardifolia & caulis à Dioſcoride illi comparentur; verùm ſimiliora plantæ quæ nunquã caulem ob infantiam emiſerit. Et hanc Eringij ſpeciem latisfolijs in montibus apenninis minimè ortam vidimus,quamquam Cæruleam alteram montanam frigidarum regionum in cliuoſis Apuliæ locis legerimus etiam vbi Chamæleon albus verior ſimul oriebatur. Nobis quidem iccirco Dioſcorides ſimilia feciſſe Nardi montani foliaEringio campeſtri videtur, quia nec plantam in mentem venit cuius folia Nardo ſimiliora eſſent, atque alterius & diuerſi generis eſſet, vulgariſque notitiæ ſicut Eryngium; cuius folia prima ante caulem,quæ lata eſſe dixit,& per ambitum aſpera tãtùm, in cibos recipiebantur ſale condita;atque in aſperis & campeſtribus oriri afferit. Ac quidem præter Valerianam maiorem vulgarẽ nulla alia planta magis folijs accedit Nardo montano ſicuti in noſtra de Phu hiſtoria diximus in Phytobaſano, à nobis decẽ ab hinc annis edito; cuius plantæ folia,caulis flores & habitus omnis, præter radicem non bulboſam, adeò Nardo ſimilis eſſe videtur, vt Nardi ſpecies abſque dubio ſit cẽſenda; Quantum hic deceptus ſis, vt alios deciperes vide. Tu in hac parte,non vulgarem Valerianam hortorum præter radicis nõ bulboſam naturam, ſed aliam noſtratem ſylueſtrem à me propoſitam, feciſſe me ſimilem Nardo montano falsò ais; nec miramur eâdem arrogantia in Græcis cùm de

Baſi-

Baſilico caryophyllato loquebaris contra Matthiolum, nos abs te fuiſſe notatos; ſed ſi Latinè non percepiſti, à nobis de Valeriana ibi dicta, nec Græca Dioſcoridis intellexiſſe videberis, aut in vtriſque calumnioſus; ſi ea te perpendiſſe contendas. Verùm vt ne indefenſi maneamus, & vt veritas eluceſcat, huc intrudamus etiã in Græcis reſponſionem, Ais enim, Baſilici illius Cariophyllati folia *Vrtichella* dicti, à nobis pro Dioſcoridis *Acino* propoſiti, magna eſſe admodum, cum parua deſcribantur. Quibus reſpondetur, in illius deſcriptione, foliorum notas nullas tradi, nec folia nominari, ſed herbæ totius habitum deſcribi; atque ab Ocimo caule & ramulis tenuibus arentibusq́. reſpectiuè differre, ac hirſutie: in reliquis ſimilem admodum, & verbum illud λεπτόκαρφος, non, *folijs tenuibus* interpretari, ſed, *ſurculis*, καρφὸς quidem non, *folium*, ſed, *ſtipula ſurculus* & *feſtuca*, interpretatur, vt Latinè, *tenuibus ſurculis*, verti debeat. Et ſi nec ſatisfeciſſe videbimur, addemus eiuſdem Dioſcoridis teſtimonium in cap. de Calamintha in quo ramulos & ſurculos geniculatos habere ait, κλωνία δὲ καὶ κάρφη γεγωνιωμένα. non enim folia geniculis diſtinguntur: & de his hactenus, præter noſtram voluntatem Græcè tecum locuti. Ad ſuperiora redeuntes addimus.

Dicis poſtea, Dioſcoridi placuiſſe, Phu plantæ folia ſimilia facere illis Elaphoboſci, atque Hippoſelini &c. Atque Valerianæ tuæ hortenſis folia antequam caulem edant, ſimilia quodammodo eſſe folijs Hippoſelini. His reſpondemus, ſimilitudinis à Dioſcoride traditæ foliorum Phu, cum Hippoſelini & Elaphoboſci folijs, hæc ratio vel cauſa fuit; non enim Phu plantæ folia ſimilitudinem aliquã cum Nardi folijs habere videbantur: quòd ſi Nardo ſimilia fuiſſent, Nardo ſimilem Phu plãtam, nõ ſolùm folia, feciſſet; velut de Nardo fecit, Eringio accedere dixiſſet: Non enim tam ineptum Dioſcoridem cenſemus, qui admodum accuratus fuit, ſciens atque tradens, Phu Nardi ſpeciem eſſe, quin prius illius naturam atque habitum & effigiem perpendiſset, an ſuo generi & affini Nardo ſimilior eſset folijs & habitu, vel alteri alterius generis plantæ: atque deinde radicis differentiam notare, vt ſolet, ſicut in Acoro tradidit, quod folijs Iridi ſimile fecit, verùm radicibus differre obliquis, non in rectum ductis, vt in Iride, notauit. & ſic in alijs plantis multis quæ nunc referre prolixius eſset.

Aſſeris deinde, Valerianam hortorum caule carẽtem, folijs Hippoſelino ſimiliorem eſſe, quàm Sium Hippoſelino. His reſpondetur veniam petentes, nam dicimus te immundo vti ſpecillo: Valerianæ

tuæ

tuæ quidem folia, antequam caulem edant, quem à ſatu vix poſt triennium edunt, Lactucellis aut Scariolis proximiora videntur, oblonga quidem ſunt & circa ſummum lata, Nardo Montano maiora & ferè eadem, niſi etiam minus carnoſa eſſent: nec aliquid cũ folijs Hippoſelini aut Sij, vel Elaphoboſci commune habent, quorũ folia, [quæ lobi ſunt & dici debent, ſicuti eiuſdem Valerianæ folijs cauli hærentibus deinde euenit, quæ diuiduntur in lobos Elaphoboſci & Sij modo, quodammodo tunc diuiſa reſpondentia,] in plures lobos diuiſa petiolo vtrinque hærente atque per ambitum ſerrata; nec vnquam illis, ab radice ſingula nec etiam lobum pro folio accipientes, aliquid ſimilitudinis collatis vtriſque inter ſe habere, præter te aſſerere inuenies aliquem. Quod non euenit folijs plantæ à nobis propoſitæ, cuius lobi ſimiles Hippoſelino, Elaphoboſci modo diſponuntur & Sij, ab ortus initio.

Aſſeris deinde, veritati quodãmodo aſsentiens inuitus, quòd Valerianæ tuæ emiſſo deinde caule folia pinnata fiunt ad ſimilitudinẽ illorum Elaphoboſci, atque nouam inſerere conaris cõferendi atque plantas deſcribendi regulam, variã nempè foliorũ pro tẽpore mutationem, Papaueris Erratici delineationem intrudens; ſed quia à Dioſcoridis inſtituto abhorret ita hæc tua diuinata doctrina, vt quiſque illam facilè refellat, non nimis immorabimus: His tantùm reſpondebimus, à Dioſcoride nunquam traditas eſſe haſce differentias foliorum, vt in prima germinatione ſimilis, in caulis productione diſſimilis, vel ſimilior, vel è contra, vt caulescens habeat ſimilitudinem propoſitam, ante caulem verò minimè, ſed alij comparetur. Et dato & non conceſſo, quod vni Plantæ, Papaueri erratico, vt dicis, eueniret: & à Dioſcoridis more ſit alienum, an ne omnibus plantis in ſubſidium idem dicendum erit? nonne maior hæc in conferendis foliorum Valerianæ tuæ notis eſt ſubtilitas, quàm illa, qua nos in noſtræ Valerianæ hiſtoria vſi ſumus abs te nobis obiecta? Non enim noua hâc tuâ induſtria alius vtetur. Papaueris Erratici quidem folia Erucæ & Seridi ſimilia eſſe non negamus, Origano & Thymo quomodo compararentur abs te, penitus ignoramus; atque vt ſpuriam ſimilitudinem reijcimus & Dioſcoride indignam, non enim in antiquioribus leguntur verba illa *Origano & Thymo*, ſed *Coriandro*, Et iam ſyluestris ſpeciem Papaueris notam ſcimus Coriandri folijs, Anemonæ ſimilibus, à Recentioribus pro Argemone ſuppoſita capitulo hirſuto, quæ nec Argemone nobis videtur, potius vulgare ſyluestre Papauer reciperemus, quod

latius

latius habet in ſummo capitulum;niſi alijs notis,vt vulgata Argemone deficeret. Quare corruptum eſſe Dioſcoridis textum non ambigimus, & foliorum ſimilitudines ab aliquo adiectas in margine,deinde in textũ receptas: Theophraſtus quidem Cichorio ſimilia fecit,Plinius,Erucæ:In Vetuſto quem nos habemus Venetijs Impreſsum Latinum Dioſcoridem, Coriandro tantùm ſimilia leguntur:quapropter minimè his adhærendum,neque etiam tuæ huiuſmodi nouæ pſeudodoctrinæ, ſed potius noſtræ, qua foliorum ſimilitudo à principio exortus comparari poteſt abſque illa ſubtilitate a te quæſita & relata,nobiſque obiecta. Regulamq. proponimus vt ſimilitudo foliorum intelligatur in omnibus, niſi exprimatur contrarium,in plantæ conſiſtentia antequam caulem edat, reijcimus enim prima illa folia ex ſemine prodeuntia, ſicuti & quæ cauli hærent degenerantia in omnibus ferè plantis.

Quod autem Dodonæus Phu in Ponto naſci referat,& tu credẽdum illi potius cenſes, atque credis, Nihil noſtræ officit opinioni tua credulitas:non enim hoc Dodonæus dicit ex ſe, cum nunquam in Ponto fuerit,nec plantam illam a Ponto allatam habuiſſe refert ſed Phu plantam in Ponto oriri Dioſcoridem ſequutus ſcripſit putans vulgarem illam Valerianam verum Phu Ponticum,non conſideratis, vt in noſtra opinione notis. Et quod Phu non ſolum in Ponto, ſed alijs locis oriri poſſit, Plinij auctoritate vti poſsumus qui Phu, Creticum nardum appellari tradit, atque laudatum ſuo tempore.Nec a Dioſcoride de Phu dicitur,vt de Dictammo, quod in Creta tantùm oriatur,quod in Ponto & non alijs regionibus oriatur,ſed quia in Ponto forſan efficacius naſceretur,Ponticum propoſuit,vt de alijs fecit,quæ alijs regionibus etiam oriuntur,vt de Iride,quæ omnibus locis oritur,verùm Illyricam pręſtantiorem fecit & Macedonicam ex his quæ ipſi notæ fuerant, ſed nonne & Montanum Nardum in Cilicia & Syria,Aſarum in Ponto, Illyria &c. naſci Dioſcorides ait, & noſtris regionibus copioſè oritur & efficax?ſunt hæc iuncea fulcra.

Aſseris deinde Valerianam a nobis propoſitam, neque effigie, nec viribus reſpondere verò Phu Pontico,ſed recentiores omnes ſi volueris illos legere, noſtratem, ſapore atque viribus præſtantiorem eſse retulerunt,&experientia comprobatur. Aſseris,non habere radicem rectam: & quo loci Dioſcorides rectam Phu tribuit radicem?Deinde noſtram dicis deficere, radicis craſsitudine ſimul cum alijs tenuibus obliquis radicellis flaueſcentibus guſtu minimè

calfa-

calfacientibus, atque eſſe ais tenuium radicularum ceſpitem, vt Ariſtolochiæ Polyrrhizæ Lobellij, albis non flauentibus; ſapore mucillagineo, vt omnes experiri poterunt niſi deprauatum habeant ſenſum.

Reſpondemus, nos in Dioſcoridis Phu, non inuenire radicis rectitudinis notam, nec habere poſſe cenſemus, cum illam fibroſam Elleboro & Iunco comparauerit, quorũ ex ceſpite craſſo radices tenues fibras aut radiculas emittunt quoque verſu ſparſas humum amplexantes, ſicut iam faſsus es, noſtræ plantæ radicem eſſe: atque nobis videtur, quod ſi radix fibras habere ſimiles debet Elleboro & Iunco, vt ipſum etiam radicis caput, ſiue ceſpes ſimilis etiam illi debeat videri contrario non expreſſo. & hoc ex neceſſaria conſequentia; vt in Ranunculo exemplum erit, cuius Hiſtoriam vide.

Quod autem noſtræ plantæ radiculæ aut fibræ non ſint obliquæ, nec flauæ, nec calfaciẽte ſapore: Credimus te nouiſſe, magis quàm nos, illas obliquas natura, & inter ipſas implicitas lateraliter ceſpite ſe propagante vt Iuncus & niger Elleborus; nec poteſt non implicitas habere: quod in plãta tua nunquam reperies, cuius pars radicis ſuperior obliqua eſt Acori modo, & ſylueſtris Iridis, fibræq́. rectà terram penetrant, ne tota radix ſupra terram veluti auulſa maneret.

Quòd autem non flaueſcant vt ais: Dioſcorides non flauas, ſed ſubflauas, id eſt ad flauum tendentes colorem, parum ſcilicet flaueſcentes, non enim Græcè tibi loquemur quid ὑπόξανθος ſignificet declarantes: & ſi flaueſcentes eſſent, minimè reſponderent, vt tuæ plãtæ ſunt: verùm quia ex albicante ad flauum tendunt & palleſcunt, non parum notis reſpondere videntur noſtræ plantæ radiculæ, quæ deinde ſiccatæ in totum flauæ redduntur, præter Dioſcoridis dictũ. Præterea ſapore dicis inſipidas ac mucillagineas eſſe noſtras radiculas. Quibus ne tui ſenſus inueterati deficientiam obijciamus, ſat erit dicere, tuum hortum admodum aquoſum & paluſtre forſitan eſſe, in quo, ſicut Cipero Theophraſti auctoritate euenit, ob humoris inconcocti abundantiam huius plantæ & reliquarum ſapores imbecilles ac dulciores euadũt, ſicut & odores; in Sylueſtribus quidem Neapoli Campoclari alijs locis, hortis, tàm Neapoli quàm Romæ vt Pharmacopolæ nouerunt, huius noſtræ plantæ radix, amariore, acriore ſapore, collatione cum tua planta in eodẽ horto culta, facta, viſa omnibus fuit: & ſcriptores teſtantur atque

adeò amaro & ingrato ſapore fuit, vt abhorrenda potius guſtu viſa fuerit recens tunc auulſa; quid cum ſiccata, quæ maiorem odorem acrimoniam atque amarorem obtinere videtur, humore deficiente, vt in alijs aromaticis & acribus euenit? Et etiamnum apud nos habemus noſtræ huius plantæ radices auulſas tunc temporis, cum illam in Phytobaſano noſtro deſcripſimus, odore, ac ſapore acres.

Nos quidem ignoramus qua ratione nitaris vt Phu radix tanto amarore prædita eſſe debeat, non enim ex Dioſcoride colligitur, neque in Phu, nec in Nardi montani deſcriptione. Silentio etiam huius noſtræ radicis aromaticus & grauis odor prætermittitur abs te, neſcimus an vitio ætatis decrepitæ tuæ, atque palati pituitoſi & naricis proueniat, an autem interiore calumnia & falſa zelotypia, quare vt huius ſaporis atque odoris & reliquarum notarum differentiæ inter nos dirimantur, niſi firmioribus argumentis, & aliorum guſtatu nos repelles, Doctiorum ſit iudicium.

Quoad verò alias tuas de Elleboro nigro & ſimilibus opiniones non deficient ſuo loco pro communi vtilitate ſtudioſorum cenſuræ abſque vlla animi peruerſione, atque detractione veritatis proponendæ. Nunc autem quomodo poſſit vulgaris maior tua Valeriana defendi vt noſtrum animi candorem oſtendeamus percipe. Non enim alius vnquam hæc mente reuoluit, aut cognouit, noua quidē noſtra eſt hæc ſpeculatio non aſpernenda, quamuis poſtremò ad rem vindicandam nihil proficere videatur, reliquis etiam deficientibus notis.

Vt autem Radicis quæſtione ſuperares hæc abs te conſideranda erant, a Dioſcoride, radicem Phu in ſuprema parte digiti minimi craſſitudine deſcriptam fuiſſe: ac deinde additum, quod habeat obliquas adnaſcentes radiculas, & radiculæ illæ non fibræ intelligendæ, ſed radices ipſæ, in Græco quidem textu non ἀποφύσεις, vel παραφυάδας, ſed ἐπιῤῥίζια habet, quo verbo, non fibras, vt in Ranunculo & alijs, ſed radices ipſæ intelligi debent, ἐπιῤῥίζια quidem, *ſupernæ radices*, verti debet, ἐπὶ, *ſuper*, ſignificat, quare ſupernæ illæ adnatæ radices, atque obliquæ intelligi a Dioſcoride videntur, non enim, villos intellexiſſe, vt alij putant. Quod Plinij auctoritate firmari etiam poſſe videtur, Phu radicem deſcribētis, *radice obliqua, villoſaq. & imitante auium pedes*: ideo ſuperna radix, obliqua intelligi debet, quæ deinde villis diuiditur. Ac eò magis hæc opinio tueri poſſe videtur, cum idem Plinius dicat, *& imitante auium pedes*: quòd radici maioris Valerianæ tuæ aptiſsimè refertur, obli-

qua

quia profectò eſt ſuperna radix ſupra terram emicans geniculis diſtincta, non ſecus ac Auium digiti pedum, ſquamis geniculati conſpiciuntur; quibus iam ſatis demonſtratum eſt contrariam de radice Phu opinionem veriorem eſſe cenſendam cùm ex Dioſcoridis textus interpretatione, tùm etiam ex Plinij quodammodo verſione ac Latina hiſtoria. Verùm quidem quamuis hæc ſubtilis ſit interpretatio, quia Valerianæ maioris radix minimè congruit Ellebori nigri veri, vt ais, ac Iunci radici, cui Dioſcorides ſimilem fecit nec etiam Ruſci, cuius radice adulterari tradidit, atque folijs etiã adhuc aliena videtur Nardinis, & lactucaceis, non inciſis triennio à ſatu, niſi in caulis geniculis, & vix noſtræ Valerianæ folia equiparari poſſint ab initio inciſa è radice prodeuntia; Nardi ſpeciem eſſe non bulboſam dicas, ſicuti iam antea in noſtro Phytobaſano decem abhinc annis edito declarauimus. At quia vulgare Adagium eſt noſtratibus, *Ollæ conditori facilior anſa*, iccirco ſupradictis argumentis etiam reſpondendum duximus, ne forſan ſupradicta veriora putes. Et quidem ἐπιῤῥίζια verbum, quamuis ex ἐπὶ, & ῥίζια, ſit conflatum, non tamen ſemper coniunctio illa ἐπὶ, *ſuper*, ſignificat in deriuatiuis & compoſitis nominibus, vt facilè ex Græcorũ Theſauris excipere potes, atque hoc loco præterquam quòd ab omnibus Græcolatinis vertitur, *adradicium, additamentum ad radicem*, &, *radicis capillamentum*, ſiue, *fibra*, quod eſt minor pars radicis, ῥίζιον. quidem *parua radix*, &, *radicula* interpretatur, & eſt diminutiuum nomen verbi, ῥίζης, *ſcilicet*; ac etiam ἐπὶ, in compoſitione aliquando minuit, aliquando reijcitur vt ſuperfluum, aliquando vertitur pro, *iuxta, apud*, quare etiam non poteſt illud, ἐπὶ, pro, *ſuper*, accipi: cum ſuperna radix maior debeat eſſe fibris & adnaſcentibus villis, &, *radicellæ ſiue fibræ* ῥίζια ſit diminuticum, & tenuior radicis pars ſuperioris, quæ digiti inſtar craſſa in capite eſſe debet, & in ſuperna parte: atque ita verbum ἐπιῤῥίζια, pro tenuibus radicellis adnaſcentibus ſiue villis vertẽdum erit, quæ obliquæ & inferiores debent eſſe, & non radicis pars ſuperior vt in tua Valeriana, quæ etiam ſupra terram emicat. Nec Plinij verſio ſiue hiſtoria nos mouet, & reſpondetur: Imitatio pedum auium nõ refertur tali radici tuæ geniculis diſtinctæ, vt ſunt digiti pedum Auium, nam ſimilitudo eſt, vt referat pedes, non digitos Auium: & Plinij mens ex litera videtur, quòd ſimilitudo referatur à villis radicis obliquæ, quibus Auium pedes exprimuntur effigie: nõ autem à geniculis de quibus nihil dicit, nec omiſiſſet. Villi quidem radi-

cis noſtræ Valerianæ obliqui, & radiorum modo obliquè expanſi perbellè referunt auium ſimilitudinem pedum, qui digitis vndique obliquè diſpoſiti ſtellam repreſentant. Et *pedes* plurali numero Plinius dixit, non *digitos*; quare etiam noſtræ Plantæ vetuſta radix plures pedes implicitos digitis repreſentat, vt ex viua planta quilibet faciliimè dignoſcere poterit. atque hæc ſatis ſint pro veritate demonſtranda à nobis tibi miſſa. Vale. &c.

De Gentianellis, & de Cærulea cordata.
Cap. LXXVIII.

MEDIA videtur inter Gentianas atque Centaurium minus tota hæc familia guſtu atque effigie, Gentianellę nomine iam nota: ideo nec nobis hucuſque denominationem variare placuit. Huius multiplici varietate natura oblectari videtur, nobisq. illius diſcrimina contemplandi anſam præbet. Plures à recentioribus deſcriptæ ſunt varietates præſertim à Lobellio & Pena collectæ, nobis, ſi veritatem fateri volumus adhuc inuiſæ præterquam depictæ: nec aliquam noſtrarum ſimilitudinem referentes niſi parum illa à Cluſio depicta ſub nomine Alpinæ atque Vernæ Gentianellæ: quam ſi eadem eſt cum noſtrate, nec pictor rectè delineauit, minusq. accuratè deſcripta videbitur. Nobis enim noſtras non Verno ſed Æſtiuo tempore floret celſis frigidisq. montium herbidis cacuminibus, quibus Æſtate pro paſcuis vtuntur incolæ. Obtuſioribus eſt folijs, floris calyce maiore admodum, & ſi quodammodo flore & habitu ſimili illi depictæ videatur. Noſtratis verò radix puſilla fibroſa tenuis ex albo pallens & lignoſa: ex qua foliola vnguis minimi magnitudine prorumpunt bina ex aduerſo oppoſita, inferiora minora atque ſubrotunda effigie Gentianæ maioris vel Arnogloſſæ, læuia, vnico per medium diſcurrente neruo, ex viridi flauentia. Caulem habet ſemipedalem ad ſummum, quadratum, ſtriatum purpuraſcentem, foliolis binis in ſingulis geniculis ex aduerſo oppoſitis hærentibus: e medio circa ſummum alis diuiſum breuibus, in quibus vtriculi ventrioſi magni admodum reſpectu plantæ inſunt, ex albo viridantes inanes, limbis quinque cartilagineis latis, quinque angulos conſtituentibus, & in totidem ora acuta deſinentibus; in quorum ſummo primùm flos emicat parum ſe exerens conuolutus, colore ex albo purpuraſcens, deinde ſubcreſcens, atque hians, quinquepartitam ſtellam foliolis repræſentat, adeo præſtãti cæru-

Nominis cauſa.

Deſcriptio

leo


Gentianella Cærulea fimbriata Autumn.
Altera cerulea cordata
Altera purpurea minima

Cognomẽ. leo colore, atque amæno, vt vix factitius ex lapide Lazuli *Vltramarinus* dictus ſufficere poſſit. & inter quinas illas floris lacinias maiores, alias habet Cordis figuram imitantes, intermedias paruas, quæ alijs deſunt; ideo *Cordatam* cognominauimus; quæ lineã, veluti neruum, albam habent, atque ita floris centrum albicare cernitur: flos enim non pluribus folijs, ſed vnico, tubuli inſtar cauo, in extremo in ſtellam diuiſus eſt, quamquam pluribus conſtare, foliolis videatur. In medio ſtaminula quinque, & fructus caput cernuntur. Fructus verò conceptaculum oblongum admodum, rotundum, anguſtum, collo longo in ſummo capitato, in hoc ab alijs differens, quod perfectum à ſummo finditur, copioſumq. emittit minutum,
Tempus. nigrum arenæ inſtar ſed oblongius duplò ſemen. Iunio florida in-
Locus. uenitur planta in montium paſcuis Æquicolorum propè S. Angeli
Sapor. dirutum antiquum templum, ſupra Villam Flaminianum dictam, atque Iulio perficitur. Sapor amarus ingratus vt congenerum.

Gentianella cærulea fimbriata anguſtifolia Autumnalis. Cap. LXXVIX.

Tempus. CELSIORIBVS admodum locis deſitis, atque ſterilibus frigidioribusq. nec æſtu gaudet, aut floret, ſed poſt niues Autumni, Octobri menſe inuenitur, duratq. ad Hyemem vſque, nec florida
Deſcriptio translata perijt. Radice non fibroſa, ſed longa craſſitie graminea repente, tenui nodoſa & oculos habente atque flaua. Huic folia anguſta ſunt admodum & læuia, lini ferè paria, ſed breuiora nec ſupra radicem denſa, immò rara atque ab imo bina: ex minimis, ſemper ſingulis geniculis maiora ad medium vſque caulem, deinde paulò decreſcentia. Caulis parum ſuperiore longior, rotundior, ſed etiã ſtrijs deſcendentibus ex quolibet foliolorum geniculo vtrinque, vt in ſuperiore, nec purpurante. In ſummo calyx extuberat ex rotundo quadratus, purpuraſcens ex viridi, quatuor apicibus magnis florem circuudans oblongum, ſatis exertum atque conuolutum, dilutè cæruleum, quatuor foliolis conſtructum oris piloſis ferè, propter
Cognomẽ. fimbrias quibus diuiditur admodum tenues, quapropter *Fimbriatam* à flore, ad differentiam appellauimus. Hic ſe poſtmodum explicans, magis colore ſaturo apparet, Crucis figuram latam fingẽs, fimbrijsq. foliolorum circa centrum ob conuolutionem elatis, foliolum enim alterum alteri inſidet, atque ex illo ortum ducere videtur. Subcreſcente denique fructu bifidum caput è centro ſe exerit,

rit,luteis illud ſtaminulis concomitantibus. Huius fructus vẽtrioſus in ſummo,craſſius antedicta,magisq́. Gentianæ ſimili, anguloſus , minutiſſimum ſemen nigrum continens,qui findente ſe , vt in alijs,vtriculo decidit.Stamina floris tubulo intus herẽt vt in alijs. Æquicolorum montibus,*le foſſe*,dicto loco propè Peonias fœminas oritur. Guſtu amaro vt congenerum.Perennis eſt radix. *Locus.* *Sapor.*

Gentianella Purpurea minima. Cap. LXXX.

EODEM tempore,ijſdemq́. locis,quibus prior inuenitur,& floret hæc etiam : quæ minor altitudine ſed fruticoſior ab imo ad ſummum. Radice nititur longiore , fibroſa tantundem ferè intra terram ramoſa ſe extendens,ac ſupernè aſſurgit,& expandit.Folijs eodem modo in terram ſtratis,binis vtrinque denſè in imo caulis hærentibus cruciatim , oblongioribus admodum prima deſcripta, ſed anguſtioribus parum . Caule breuiore,ab imo ſingulis geniculis ramoſo,purpurante,magisq́. quadrato. In ſummo flores ex calycibus paruis, atque profundè admodum in quatuor apices diuiſis , oblongo tubulo inani calathi effigie multum exerto , atque in quatuor paruas hiantes parum lacinias ſe diuidentes conſpiciuntur,colore ex rubro purpurante: quorum medium ſiue vmbilicum villoſum eſt atque candicans, ſicuti & dilutiora laciniarum ora . Vtriculum habent medium oblongum,teretem bifido capite,atque ſemine turgido,flauente,minuto,rotundo,nitido,omnium craſſiore,atque diuerſo,Irioni læui ſemini æmulo,Iulio menſe diſſecto per longum vaſculo ſiue pericarpio effluente . Radicis ſapor acris & amarus . *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.* *Sapor.*

Rapuntium montanum rarius corniculatum. Cap. LXXXI.

RARIORES nunc afferimus Rapunculi varietates elegantiſſimas;in quorum ſtructura, eximia artis induſtria conſpicitur , quibus parens Natura in variandis plantis oblectatur . Huius flos adeò elegans & venuſtus eſt,vt non paucam conſpicientibus delectationem afferat.Ac vt illius delineationem proſequamur,à communioribus tamquam notioribus incipiemus . Rotundum,globoſum caput,atque purpurocæruleum conficiunt curui,atque in ſeipſos nutantes florum corniculi , ſupra baſim quinque viridantium folio- *Nomen.* *Deſcriptio*



Phyteuma orbiculare?
Spec. plant.

foliolorum in ſummo caule ſitam, in orbem concinnati, ex quibus cognomen. Hi ex calycibus primùm orbicularem initium obſoleto colore ducunt Orobi magnitudine craſſeſcentes, deinde in ſupinũ atque curuum ſatis corniculum deſinentes, atque inter ipſos, centrum petentes annuentes implicati. Paulatim verò ſe perficientes cornicula læuia illa ac ſimplicia, aliud tenuius dimidio breuius, & in ſummo trifidum exerere incipiunt; deinde circa tuberculũ imũ incipiunt ſe ſinuoſè & vndatim in quinque partes per longum findere, ac poſterius in tenues limbos ſe diuidentes atque dilatantes, formamq. noſtratis Coli, quibus linum aptatur ad nendum, ita ab interno corniculo ſeparantur circa imum, & ventrioſam formant effigiem; inter quos prorumpunt lutea ſtaminula quinque. Perficiente ſe flore, corniculorum apices trifidi etiam grandiores effecti torquentur, atque laciniæ illæ in totum ab interno corniculo thyrſi effigie ſeparantur, atque ita erectæ permanent, donec tandẽ ſeminum vtriculi quibus inſident turgeſcere incipiant, & inuerſæ recedant deorſum ſpectantes. tunc enim ſimiles Rapuntijs vulgatis calyces quinque apicibus ornati, foraminum notas oſtendere incipiunt, qui poſtea perfecti, non ſecus ac congeneres perforantur, ſemenq. copioſum fuluum, parum latius Trachelij anguſtifolij montani decidit. Auguſto Foret, Æquicolorum altiſſima frigidaq. iuga herbida, *Cornino*, dicta diligit, in quibus etiam ſpecioſa & copioſiſſima Lunaria botritis, Epimedium à nobis in Phytobaſano dicta inuenitur, ſed inter ſaxa quodammodo. Radice nititur perẽni candida craſſiuſcula recta Rapuntij inſtar, minore quidem, atque per terram brachiata admodum, vt plures ex vno radicis ceſpite plantæ perficiantur. Folia ima læuia Rapuntij vulgati æmula, rotundiora ad formam Violæ purpureæ, vel Campanulæ Pyramidalis dictæ accedentia, maioris digiti vnguis latitudine, per ambitum obtuſè dentata. Cauli pedali ſtriato circa ipſum imum oblonga duplò hærent folia ſeptem alternatim vulgari Rapuntio ſimiliora, per ambitum acutioribus dentibus diuiſa, & per medium caulem ad ſummum duo aut tria acutiora anguſtiora, longis interuallis diſpoſita, vt nudum caulem relinquant. Tota planta dulci lacte turget, guſtu ſuaui in mandendo tum radix & folia, vt Rapuntium Vulgare dictum, nobis Erinus Nicandri; quem niueis floribus in Valle qua flumen pertranſit, ad radicem montis ſupra D. Nicolai ædiculam Oppidi Anuerſæ Valuenſium eruimus. Huic affinem effigie depinxit poſtremò Trachelij petræi nomine in Baldo monte

Cognomẽ. *Tempus.* *Locus.* *Sapor.*

 naſcen-

naſcentem & obſeruatam à Io. Pona pharm. Veron. rotundioribus folijs, radice lignoſa, caule breuiore.

Rapuntium alterum leptophyllon Capitatum. *Cap. LXXXII.*

CALIDIORA parum iuga incolit planta hæc, neutiquam poſt habenda, atque in Villa quadam Æquicolanis proxima *Tenicoda*, appellata in montibus ſita oppoſitis, non longè à Villa ſecus iter nemoroſum meridiem verſus copioſa. Radice candida craſſiore paucis diuiſa fibris, in ſummo ceſpite craſſa corticoſa aut villoſa deperditis flaueſcentibus caulibus, perenni: regerminante quidem radice admodum fruticat ab imo, vt & in quadam triginta pares caules ex eodem imo radicis capite exortos inuenerimus, omneſque florum capitulis ornatos: ſæpius verò quinque, ſeptem, aut paulo plures, quorum medius aliquando vnica diuiditur ala, & rarius terna. Caulium longitudo bipedalis ferè, quibus folia anguſta lino æmula, latiora parum, ſinuoſis oris, conuolutisq́. vt in pictura foliolum expreſſimus, atque hirſutie molli obſita, ſicut & rubeſcentes parum caules, quos alternatim ambiunt densè, tertiam in ſummo nudam partem relinquentia. In quorum ſummo, omnibus ſupra baſim ſtellatam viridantium foliolorum ſex aut ſeptem ſerratis oris, conferti cærulei flores in orbem, globoſum caput formant vnde cognomen. Florum effigies primùm oblonga læuis antequam pandantur, ſed expanſi in quinque lacinias diuiduntur anguſtas paruas breues, mediam habentes ſtellulam puſillam, albentem elatam, a floris centro, atque ex illa thyrſulum ſiue ſtamen capitatum oblongum. Cum de hiſcere flores incipiunt capitulum in imo coronant cæruleis ſtellulis alias minutas & candidas intra ſe habentibus, thyrſosq́. emittentibus. verùm decidentibus in imo cæruleis, puſillæ internæ albæ ſtellulæ remanent, calycibus viridibus inſidentes, cæruleis è medio capituli ad ſummum emicantibus: atque demum omnibus defluxis viride ſtellatum etiam remanet capitulum vtriculis ſemina concipientibus ſuperiori non diſſimilibus, minoribus verò atque petiolo è baſis centro prodeuntibus. Itaque pulchram comam plantæ eodem tempore conſpicies, capitula quidem alia botrioſa nondum florida, alia ſtellis cæruleis ornata, alia cæruleis maioribus & albis minoribus, alia albis viridantibusq́. prout perfectiora maturaq́. erunt capitula. Semen è forami-

Locus. *Deſcriptio* *Cognomen*



Jaſione undulata, Lam. [illegible]

J. [illegible]

[illegible]

ramiſibus vtriculorum more congenerum decidit ſuluum minutiſſimum ſplendidum, minimi Erini à me depicti modo. Tota lacte dulci manat, non ſecus ac reliquæ congeneres. Auguſti fine florentem inde tranſeuntes legimus.

Tempus. *Sapor.*

Hanc quidam cæleſti capitato flore decepti pro Scabioſæ ſpecie deſcripſerunt, non ſine errore, non enim lacteum ſuccum, & Plantæ naturam obſeruarunt.

De Tragopogis. *Cap.* LXXXIII.

PROPOSVIMVS decem abhinc annis in noſtro Phytobaſano laciniatum Tragopogona ex Apulia nobis tunc allatum, quem poſtea in Æquicblorum montibus copioſum eruimus, ac etiam circa Flaminianum Villam, quo etiam loco aliæ, nedum nigropurpureo flore porrifolia maior ſpecies illa vulgatior, & à Lobellio depicta oritur; cuius flores luteos, ac obſoletè purpurantes eſſe refert. Nobis verò icon illa nigropurpurei floris plantæ, ac etiam obſoleti coloris magis reſpondere videtur. Lutea namque ſpecies illa maior pratenſis, in calidarum tantùm regionum pratis obſeruauimus agri Romani, nec vt illa frigidarum etiam; nec ita longa & porracea habet ima folia, ſed breuiora anguſtiora, rigidioraq. ad anguſtifoliæ Scorzoneræ dictæ accedentia, triplò anguſtiora; quamquam & caule & alarum cauis foliorum ſimilis purpureæ videatur. At verò florum effigie inter ſe diſtant, ac magnitudine. Purpureæ namq. minor eſt flos omnibus, atque calycis apices radiantes circumcirca alterotanto diametrum excedunt floris, ita vt floris ambitus paruus adeò videatur reſpectu plantæ, calycis atque radiorum ipſius expanſo flore. Illius quibem obſoleti coloris primùm in Æquicolorum villa *Colleroſcio*, dicta, plantam inuenimus, maiorq. dimidio eſt purpureo, rarioribus floris & latioribus foliolis atque maioribus: reliquis verò eadem prorſus videbatur, niſi quòd Cirinolæ, purpureæ plantam bipedali longitudine inflexa folia inque terram conuexa habere comperimus, atque notauimus. Luteæ verò ſpeciei vulgaris atque pratenſis plenior admodum eſt flos, atque grandior; calycis apices magis occupans. Nunc autem alias à nemine deſcriptas proponemus, atque etiam quænam nobis Antiquorum notis proximior accedat demonſtrabimus.

Tra-

Tragopogon Theophraſti & Dioſcoridis. *Cap. LXXXIV.*

EX ſeptem quas nouimus hucuſque Tragopogorum ſpecies, præter eas quas *Scorzoneras*, appellant Recentiores, nulla magis antiquorum delineationibus reſpondere videtur iſta, quam in Æquicolorum montibus & è regione Capuccinorum cœnobij inter Flaminianum Villam, ac etiam ſupra viam quæ inde ad caſtrũ Podium Poponiſcum itur, vbi copioſam eruimus. Cuius folia ſi quæ alia extare poterit, Croci folia ita æmulantur, vt potius anguſtiora, quàm latiora cenſeantur, pedem & magis longa, trigona ferè, parum rigentia, canaliculata, alba linea in cauo percurrente criſpa, & extuberante obliquè rugoſa, vt etiam in Ornithogalo veriore obſeruatur. Circa radicis caput, quod craſſum tuberoſum, nigrũ & aſperum eſt, alba & longa lanugine obſita ſunt folia atque latam candicantem originem ducunt, reliquò anguſta virentia, & in acutum deſinentia & copioſa. Radix longa recta minimi digiti craſſitie, obliquas vndequaque fibras tenues, atque denſas emittens, craſſo cortice, medulla lignoſa. Caulem edit in imo craſſum rotundum, ſolidum, læuem, atque tribus alis diuiſum ſubrubentibus, magnis, cauli ferè paribus, tenuioribus læuibus: quibus vt cauli quatuor alternatim rarius diſpoſita hærent foliola nodis hærentia, in ſummo tenuiora admodum. Omnibus in ſummo calyx inſidet magnus craſſus quinquefoliatus; qui dehiſcens, paruum proportione quinque radiorum calycis nigropurpureum florem oſtendit, raris & anguſtis barbulis compoſitum, ex quibus ſingula ſtamina bifida intorta prodeunt: Foliola verò illa nigropurpurea & ſtriata ſunt, in extremo ſerrata, ibique lutea, ſicut & circa eorum initium: quod, conuolutum eſt tubuli inſtar, ex quo ſtaminula illa nigropurpurea in ſummo bicornia, luteſcentia, atque hirſuta veluti luteo puluere inſperſa. Breui quidē tempore non ſecus ac congenerum modo flos clauditur, atque ſemen concipiens intra calycem, longam canam hirſutam anguſtam, rigidamq. Hirco ſimilem emittit barbam, quare Tragopogon fuit appellata, Hircina .ſ. barba, à ſimilitudine vt Theophraſtus ait, Οἱ δὲ μυρία ἄλλα καλοῦσιν, ὃ τὴν μὲν ῥίζαν ἔχει μακρὰν καὶ γλυκεῖαν, τὰ δὲ φύλλα τῷ κρόκῳ ὅμοια, πλὴν μακρότερα, τὸν καυλὸν δὲ βραχὺν ἐφ' οὗ τὴν κάλυκα μεγάλην, καὶ ἐξ ἄκρου μέγαν τὸν πώγωνα πολιόν, ἀφ' οὗ καλεῖται Τραγοπώγων. *Quidam inter millia alia nominant hanc, quæ quidem radicē habet longam,*

Deſcriptio
Locus.
Etymon.
Lib. 7. c. 7.



Tragopogon crocifolius Sp. hist.


Trapogō gram: fol: ſuauerubente flore

longam, & dulcem, folia verò Croco ſimilia multùm longiora: caulem autem breuem ſuper quem calycem magnum, & ex vertice magnam barbam canam, vnde dicitur Tragopogon, Non vt perperam noſtro iudicio in Dioſcoride legitur, ἐπὶ δὲ τοῦ καυλοῦ κάλυξ μέγας. καὶ ἐξ ἄκρου καρπὸς μέλας, ἀφ' οὗ καὶ τὸ ὄνομα ἔχειν. *Sed in caule calyx magnus, & in ſummo fructus niger, ex quo nomen habet.* Non enim à fructu nigro, quem non habet, ſed à prolixo & extra calycem excedente pappo ſiue barba anguſta, vt pennicillum, Hirco ſimili, appellata fuit Tragopogon. Quare in Dioſcoride potius legeremus καρπὸς μέγας, *fructus magnus*, non μέλας, *niger*, vt ex Theophraſto & vi-
Lib. 21. c. 15. uis Plantis colligitur; vel pro, καρπὸς μέλας, ἄνθος μέλαν, reponere, *flos niger*, vt forſan Plinius intellexit, qui ait, *Super caulem calyce nigro*, apertum cum flore nigrum calycem dicere poſſumus, atque ita intelligi poſſe nobis videtur. Longa atque magna ſemina parũ flauentia hæc perficit aſpera anguloſa, ac longum pappum habentia, quæ deinde in globum aperta, magnam ſphæram concinnant, vento illam deſtruente. Minora verò huic ſunt, quàm latifoliæ tàm nigropurpureo, quàm obſoleto flore, quorum omnium maxima.
Tempus. Tota planta lacte dulci turget. Iunio floret, & perficitur. Semine nata planta illo anno caulem non edit, ſed Croci modo folioſa extat. Huic ſimilis folijs, ſed floris effigie diuerſa, atque non calicis baſi radiante depingitur à Doct. & Cl. V. C. Cluſio nomine Scorzoneræ quartæ Pannonicæ.

Tragopogon alter gramineo folio ſuauerubens. *Cap. LXXXV.*

Locus. Deſcriptio Sapor. SED hæc Cirinolæ tantùm, paucisq. obuia Martij initio tanquam præcox in Piraſtrorũ ſyluula illa exoritur propè D. Rocchi ædem, radice parua, omnium minima, trientem longa, in ſummo rubeſcente, reliquum alba dura lacteſcente, guſtu dulci, multis, vt in ſuperiore lateraliter obliquis fibris humum amplexante. Folijs anguſtis dodrantalibus gramineis hirſutis, tactu lenibus extrinſecus, intus verò albidioribus tactuq. deorſum verſus aſperis vt in Hordeacijs. Caule longo bipedali tenui, albicante rotundo neruoſo, duro: folijs multis densè alternatim illum cingentibus, circa nodos latioribus; raris alis diuiſo. In ſummo ex magno reſpectu plantæ calyce octo foliolis radiantibus diuiſo, flore intus ex albo rubẽte carneo colore ſuauerubente, vndecim foliolis, intus alia

foliola

Tragopogon Apulum humile hirſutum luteum



Scorzonera hirsut. sp. nat

foliolis ſubrubētibus, ex q̃bus ſtamina nigrocærulea lutea acie pul uerosa in medio eleuantur, vmbonis vice vt in ſuperiore. Flos etiã huic, cum ſemina perfici incipiunt occultatur calyce incluſus, papposa ſeminum cacumina exerente. Huius calyx anguſtus eſt, inani longoq́. inſidens collo oblongis ſeminibus refertus, quorum exteriora ab alijs omnibus differentia oblongiora internis, non in pappum deſinunt, ſed in quinque, duas breues tenuiores, & tres longas admodum ariſtas: reliqua verò interna ſemina pappum, vt congenera inſidentem habent, ipſaq́. breuiora ſunt. Omnia læuia omniũ minora anguſtiora etiamq́. flauentia. Maio floret, & perficitur. Sapore ab alijs differt nihil. Huius calyx & flos, hoc ab alijs Tragopogis ſequentibus & Scorzonera dicta differt, illis quidem luteus flos, plenior & maior, a Calycis radijs non ſuperatur, ſed floris orbis calycis ora excedunt. Huic verò & ſuperioribus flos à Calycis radijs expanſis continetur, & illius circumferentia radijs calycis excedentibus ſtellata efficitur, maioreq́. ambitu protenditur.

Tempus.
Sapor.

Tragopogon alter luteus Apulus. *Cap.* LXXXVI.

Deſcriptio

NISI huic paulo latiora eſſent folia Croceis, ad Graminea potius accedentia, haud dubium quin magis reſponderet alijs plantis. Huic enim radix longa ſatis nigro cortice obducta, intus alba, lacte pallente turgida, dulci ſapore, viſcoſo dum concreſcit, minimi digiti craſſitudine folia per longum venoſa, è medio circa radicem plurima longa ſericea hirſutie obſita, pedalia partim recta, partim verò conuexa. Caulem breuiorem alijs, parum ſupra folia excedentem, [quandoque duos treſuè habere conſpicitur,] hirſutum cauum, lineis ſtriatum, & lacteſcentem emittit, breuioribus foliolis interceptum, in cuius ſummo calyx eſt magnus, ſed alijs minor, baſim folioſam habens, quod in alijs non obſeruatur, florem emittens luteum plenum radiatum, quindecim circa ſe foliolis radiantibus, calycis orbem ſuperantibus, vt diximus, intus habentem coaceruata alia foliola Hieracij modo ſtaminibus intortis bicornibus luteis etiam, Aprili emicantem, deinde contractum, non poſt multum temporis, pappum emittit longum, admodum fuluum magis colore alijs nigreſcente, ſi ita liceat dicere, duriorem rigidioremq́. Hircinæ barbæ pilorum modo, eoq́. differt, quod magis hiſpidum ſit, ideoq́. Hircinam magis barbam imitantem: ſemine longo, ſed duplò minore, alijs, aſperò etiam dentatis

ſtrijs,

ſtrijs, ſed contrario aliorum modo circa imum tenuiore, itemq. ſuluiore. Variat planta hæc ſemine tantum, reliquis verò nullam potuimus elicere differentiam tunc temporis Cirinolæ inuentam, in altera ſemen eſt breuius, latius, incanum lanuginoſum, acanaceis proximũ, pappo ſuperiore admodum breuiore, eodemq. colore, minusq. rigente. Tota planta guſtu dulci & grato. Martio cauſem ædit, Aprili floret, & Maio perficitur.

Locus *Sapor.* *Tempus.*

Cichorium ſylueſtre alterum Ἀπικρὶς, *ſiue Cichorium dulce.* *Cap. LXXXVII.*

AMARITVDO nomen Picridis Cichorio tubuit, vt in Theophraſto, & Dioſc. legitur, quare non mirum ſi nobis rariori huic plantæ contrarium nomen imponere placuit, ſimili argumento ducti. Hæc namq. Cichoriaceo generi quamuis adnumeranda videatur, non tamen aliud quàm ſylueſtris Cichorij figuram folijs repreſentat & habitu plantæ: guſtu verò, adeò eſt amaroris expers, vt omnino amaritudo deſit, ac planè dulcis palato ſentiatur: vnde Ἀπικρὶς, ad differeetia Picridis denominanda fuit. In vmbroſis Vallium ſaxoſis et ſeptentrionalibus locis Valuenſium frequens, toto anno regerminans ab radice longa nigro cortice obducta, intus alba, & lacte diſrupta manante dulci, quod non ſecus ac in Chondrilla gummi modo ferè concreſcit. Folia illi Cichoriacea, minus profundè inciſa, pulpoſa, carnoſiora cæteris congeneribus, nec aſpera ſed leni obducta hirſutie, colore obſcurè virentia. Caulem Veris fine producit bipedali & aliquando maiore altitudine rotundum ſolidum hirſutum, colore candicantem, ramulis in ſummo brachiatum, in quibus folia lata, magis profundè inciſa ſine petiolo hærent, ſimilia illis Sonchi, & Cichorij Veſicarij à nobis infra depicti: In ſummo in oblongis hirſutis calycibus Hieracio aut Sõcho ſimiles hilari aureo luteo colore flores edit: quibus marceſcẽtibus copioſo ſemine turgidi remanent calyces, oblongo, colore obſcurè ruffeſcente, atque pappum candidum tenuem mollem habente, quo maturitatem adepto euolat, vt congeneribus euenit. Æſtate perficitur.

Lib.7.c.11 de hiſt. plant. *Lib.2.* *Sapor.* *Nomen.* *Etymon.* *Locus.* *Deſcriptio*


Cichorium ſylueſtre alterum



Crepis

Cichorium ſylueſtre veſicarium pratenſe. Cap. LXXXVIII.

Nominis cauſa. NVLLVS primo intuitu, ac etiam perpendendo plantam hanc Cichorium non iudicabit: folijs quidem & poſitu ita vulgare Cichorium æmulatur, vt niſi a media veſica animaduertatur cum *Deſcriptio* illam gerit, nihil prorſus ab vſuali differre putabit: Atque non rarò pro vulgari colligitur, vſuq. recipitur. Habet folia virentia ſplendida parum, læuia tenera mollia Cichorij magnitudine, diuiſura & colore: [variat quidem ijſdem locis, folijs aliquando latioribus & hirſutis aſperioribus, & minus profundè diuiſis per ambitum] petiolis circa radicem & caulem rubentibus. Radicem parum longam craſſiuſculam nigreſcentem, intus lacteſcentem. *Tempus.* Martio menſe folijs inuenitur in orbem expanſis, in medio vmbilico veſica regiæ nucis magnitudine, molli, tenui membrana obducta, intus membranoſos folliculos habente: Hi caule ſe perficiente dehiſcentes, in alas, & flores membranoſis conceptaculis expanduntur. Caulis eſt ſtriatus craſſus aſper nigritante hirſutie cauus rotundus, alternatim folijs hærentibus cinctus; circa ſummum latioribus breuioribus minusq. profundè inciſis, atque folliculi modo alas cum veſicis etiam amplectentibus in caulis ſummo: in quibus è foliacea membrenulæ modo tenui baſi, ſex foliolis cauis conſtructa, quæ antequam flores pandantur, illos botrorum modo incluſos habet, flores emicant, longis calycibus Hieracij modo luteſcentibus foliolis, infernè purpurantibus Eranthemonis modo, intus multis coaceruatis ſtaminibus extuberantem vmbonem conficientibus: quæ tandem perficientibus ſe papposis ſeminibus euaneſcunt, ipſaq. ſemina perfecta euolant. Tota lacte turget amaro, atque in Apuliæ Cirinola in caule concreſcit. Vſu pro Cichorio vſurpata, Sapore, atque guſtu ſimili. In Vinea Reguli eruiſſe, ac plurimam vidiſſe meminimus.


Chondrilla ſaxatilis viſcoſa caule κνημιδόφορον *Galeni.* Cap. LXXXIX.

Locus. Sapor. NOVA eſt, à nemine, quod viderimus, depicta hæc Chondrilla, ſic enim appellamus: facie quidem, ſucco, ſapore viribusq. ab altera Dioſcoridis à nobis deſcripta minimè differre videtur.

Ra dice

Radice longa inter ſaxorum rimas nixa, & in vetuſtioribus etiam
mœnijs Campoclarenſium, ſicuti & Aequicolorum Marerij caſtri *Locus.*
& montanis locis. Difficilè niſi diſrupto ſaxo excipi poteſt: atque ſi *Deſcriptio*
minimo diſrumpantur radix, folia, caulis, vel etiam flores, copioſus
inde exit lacteus ſuccus viſcoſus, pauco tempore in grumos con-
creſcens. Folia ſunt Cichorij vel potius Dentis Leonis dictæ modo
laciniata, profundioribus etiam inciſuris, tenuioribus lobis diuiſa
radicem verſus aduncis: pedem longa, & circa radicem obliquè de-
pendentia in orbem expanſa. Caules raro plures, ſed vnicū ſæpius,
nec etiam multis alis diuiſum emittit, rotundum læuem tenuem
albicantem cubitalem folijs multum veſtitum in imo; è medio ve-
rò ad ſummum vſque tenuiora anguſtiora ſunt folia, per ambitum
non inciſa, nec eroſa, ſed per medium ipſorum neruum diuiſa, hinc
atque hinc caulis & alarum latera cingunt, vt parum caulis aduer-
ſarum partium conſpiciatur, vel nudus remaneat: adeoq. tota hæ-
rent, per longum caulem amplexantia vtrinque frequenter alter-
nata, vt vix ab inferioribus ſuperiora diſtēt; totusq. caulis ita folijs
obductus, vt veluti ocreatus ferè videatur. Quod nominis κνημιδό- *Cognomi-*
φορη ad differentiam fuit. Horum quidem foliorum reliquum ſum- *nis cauſa.*
mum, quod illorum pars quarta eſt, vel minor, integro dorſo hærēs
à caule recedit, ex quo veluti ala, & caule cui hæret, flores breui-
bus petiolis inſidentes emicāt oblongis calathis, bini terniuè, aut
plures etiam, intus lutei, foris albicantes per medium foliolorum
florum; alij ſemen parturientes, alij enaſcentes, vel dehiſcentes, ita
vt diutius floreant, ſimulq. perfecta ſemina ab alijs pappo euolent,
alia uerò ab ipſius plantæ, & florum viſcoſo intercepta ſucco reti-
neantur ex pappo dependentia. Nigra ſunt, atque oblonga, in ca-
cumine vt in congeneribus pappo albo piloſa. Aeſtate & Autumno
floret. Sapore amaro admodum, Manus tacta ſimpliciter lacte infi- *Tempus.*
cit dificileq. abluitur vt viſcum. Hæc autem, cùm maximè agreſti *Sapor.*
lactucæ præſertim caules ſummi effigie florum etiam colore & po-
ſitu, atque modo videatur ſimilis, præſertim florida, pro Galeni
Chondrilla ac etiam Dioſcoridea ſupponi poteſt, illius teſtimonio,
qui ait; *Lactucæ agreſti ſimile quoddam olus eſt, quod Chondrillā* *2. de alim.*
nominant, & citius in caulem, erumpit, amaritudinem, habens ma- *Vires.*
nifeſtam, & quendam viſcoſum & album ſuccum, qualis Tithyma-
lorum eſt; ſed non eſt ater velut in illis: quo ad agglutinandos in
palpebris pilos vtimur. Sed noſtra Chondrilla omnibus notis ſu-
pradictis prædita videtur, atque etiam quod frigidis locis oriatur,

Chondrilla viſcoſa Campoclarenſis, caule κνημιδοφόρῳ



Prenanthes viminea Spr. hist.

in quibus humidior aër videatur, ſucco viſcoſo adeò tenaci referta eſt, vt non ſolum propria ſemina ex calyce exeuntia, quæ volitare poterant, ſine hominis vel alicuius miniſterio intercepta retinet, ſed & muſcas & alia volatilia inſecta parua. Pro agreſti Lactuca illam accipimus Vinearum frigidarum regionum Appẽninorũ Montium frequẽtiſſimam aculeato caule magnis ſentibus craſſiſq. Rubi modo ſucco viſcoſo referta, copioſo atque graui odore à Matthiolo depictam & deſcriptam, ſed ſpinas in caule omiſit, quæ craſſæ ſunt, ſicuti in foliorum dorſo: eius folia verò ima lactucæ vel dipſaci æmula ſunt. Quam etſi recentiores aliqui reijcere conantur, non poſſumus illis adhærere niſi veriorem agnouerimus antiquorum delineationibus magis reſpondentem, aculeatam, qualis à Theophraſto depingitur; ſed nos plantam illam à principio aculeatam animaduertimus, atque Aequicolorum vineis & hortis adeò latifoliam ſpontaneam eruimus, & noſtris iconibus inſeruimus nouo artificio conſtructis, vt lactucæ ſatiuæ folia ſuperaret, ſemipedali diametro quidem obſeruauimus, atque maculoſa aliquando nigro purpureis notis, ac ſi Moris infecta eſſent. At ſatiua lactuca in non ſtercato loco nec tranſlata adeò minor exit, vt nec ſupradictam ſylueſtrem minorem æquet. Nec folijs multum ab illa diuerſis, niſi quia hæc magis per ambitum diuiditur.

Lactuca ſylueſtris.

Lib 7.c.6.

Hieracium Apulum ſuauerubente flore. *Cap, XC.*

GRATO floris ſuauerubentis colore ſæpè tranſeuntes hæc allicit vt euaũt, ſeminiſq. futuri ſpem lectis aufertur. Copioſa Cirinolæ Apuliæ in ſyluula Piraſtrorum propè D Rocchi templum, primo Vere prodiens, radicem habens non magnam, pallentem, ex qua folia in orbem circa terram erumpunt, hirſuta, Cichorij vel Hiæracij magni vulgaris Apuli ſimilia, ſed intermedijs minutis lacinijs Dentis Leonis dicti. Caules aliquando plures alis diuiſos, & folioſos in imo rubẽtes, ſicuti foliorũ petioli circa radicẽ, læues ſolidos lactescentes. Flores in ſummo magnos admodum Hieracij effigie, colore carneo, ſuaue rubente ex albo, roſeo, hilari atque viuaci. Semina in pappos euolantia vt in alijs, ſed nimis oblonga & anguſta digitali longitudine, oblongo conceptaculo incluſa. Aprili menſe floret. Sapor plantæ non amarus vt congenerum, ſed guſtu dulci, & ingrato parũ odore fumi. Huius ſemen anno Iubilei Romæ

Locus.

Deſcriptio


Hieracium Apulum flore ſuauerubente


Hieracium montanum saxatile

attulimus, atque ab huius rei exercitatiſſimo viro Io. Paulo de Alexio Neapol. cui illud commune fecimus, alij in hortos ſpectatu digniſſimumflorem, tranſtulerunt: etiam lectus flos phyalis aqua plenis aſſeruatur diu hians, noctuq. occluſus pluribus diebus. *Tempus. Sapor.*

Hieracium alterum ſaxatile montanum. Cap. LXXXXI.

INTER ſaxorum rimas, cum Heracij hæc varietas oriri obſeruauerimus à loco, & ad differentiam *Saxatile* appellandum duximus. Ita quidem & nõ tantùm rimis ſaxorum, ſed neſcimus quomodo ipſis integris ferè ſaxis inſit, quibus nulla apparet fiſſura. Radice nigra, pedali corticoſa paruis fibrillis, & non niſi diſrupto ſaxo aliquid euelli poteſt, Immanibus quidem & altiſſimis ſaxoſis ſolidiſq. Vallis Campoclarenſium lateribus oritur, vt non facilè omnibus in locis diſumpere vel extirpare ob ſaxi amplitudinem, cui folijs perorbem diſpoſitis & obliquè dependentibus atque hærentibns viridem ſtellam folijs exprimere videtur. Folia verò ſemipedem aut magis longa ſunt, per ambitum laciniata, minoris Hieracij modo, hirſuta aſpera dura, amara, & lacteſcentia. Inter quorum centrum exeunt duo vel tres iuncei duri cauliculi thyrſi ſpecie, hirſuti tenues pedales aſperi lacteſcentes ſecundæ Chondrillæ Dioſcoridis à nobis depictæ pares & ſimiles, in quorum cacumine ſinguli ſunt flores oblongis calathis incluſi, qui aperti lutei pallentes apparent. illiſq. papposa oblonga ſemina & fuſca ſuccedunt, hianteq. calyce euolantia. Iunio floret, & Iulio menſe perficitur. Inuenimus eandem etiam poſteà in Aequicolòrum montibus ſaxoſis. *Nomen. Cognomẽ. Locus. Tempus.*

Sanchus montanus purpureus τετραπέταλον. Cap. XCII.

AEQVICOLORVM umbroſa denſaq. nemora frigida loca *Cornino* appellata incolit hæc per quam rara Sonchi ſpecies ſic enim ex toto plantæ habitu naturaq. denominare libuit. Nigrum putidumq. humum interFagorum radices amplexatur huius radix obliqua nodoſa, dentata germinum oculis tàm recentioribus quàm vetuſtis; fibris vndique craſſis longis brachiata. Caule tenui bipedali rotundo læui albicante ſolido lacteſcente ſicuti tota planta, folijs primùm adeò puſillis, deinde maioribus ſemper multumq. *Locus. Nomen. Deſcriptio*

latiori-

latioribus oblongis ſemipedem, duas vncias latis parum ſinuoſis per ambitum, ſecundæ Chondrillæ Dioſcoridis à nobis in noſtro Phytobaſano edito deſcriptæ ſimilibus, colore viridi pallente ſuperius, aduerſa verò parte ex albo ad cæruleum vergentia tenuia, tenera mollia, læui montano hederaceo Soncho ſimilia colore, caulem amplexantia, ſingulisq. geniculis illum in ſpiras torquētia, ita vt non rectus, ſed obliquè nunc dextrâ, nunc ſiniſtra, imflexus & ſinuoſus videatur. Folia in ſummo latiore appendice cauli hærent, iterumque minora efficiuntur, è quibus obliqui & admodum tenues rotundi iuncei petioli exeunt, quoquo verſu caulis cacumen expanſi; florum onuſti deorſum ſpectantium ſquamoſis calycibus oblongis ex viridi purpuraſcentibus, in binos ramulos ſe diuidentes: in quibus hiantes flores, quatuor exerunt media ſtamina, longa, quorum pars media purpureo colore, tantundem emittit luteam, veluti pulueroſam, & ſummo trifido apice diuiſam, atque intortam: quæ totidem petala, floris ſcilicet foliola, lata nigropurpurea, oblonga incurua, inq. ſeſe inflexa circundant, ora in ſummo habentia longis fimbrijs diuiſa, quare ab illorum quaterno numero τετραπέταλον cognomine diſtinximus. Semina poſtmodum ſuccedunt parua læuia cinerea, candidum mollemq. pappum exerentia, latiuſcula breuia atque compreſſa. Petala intelligimus eodem quo Græci modo πέταλον, in florum deſcriptione; vt ſcilicet, *Petalon*, floris *folium* intelligatur, ſicuti in Iſopyro à nobis deſcripto declarauimus ex Dioſcoride: quamuis quidam hypercritici obſeruationem illam veluti nouā a nobis elaboratā, nec ab ipſis Græcæ linguæ Theſauris exceptam, ſed Auctorum lectione, & obſeruatione diligenti hauſtam non liberè recipiant: Nos igitur denuò veteris Poëtæ Alcmanis auctoritate noſtram obſeruationem, ac interpretationem in Iſopyro traditam tuebimur, qui Chryſanthemi ſiue Cachlæ florem deſcribens, vt coronam illam, *barbularum*, vt Plinius nominat, folia illa florum, quæ luteum internum vmbonem coronant, exprimeret, ſic Græcè ait, — *Cognomen* — *Lib.21.c.8*

χρύσεον ὅρμον ἔχον, ῥαδινὰν πετάλοισι κάχλαν.

*aureum torquem habens, teneram * petalis cachlam.* — ** ſiue barbulis.*

Ex quibus apertè liquet verbum πετάλοισι, *petalis* pro floris foliolis, ſiue barbulis accepiſſe: at hi veriorem plantam potius perquirant atque conferant. Folia manſa grata ſunt, non enim niſi modicè aut vix amara ſentiuntur: quare cum illas in fictilibus aleremus, vt ſemina colligere perfecta poſſemus, Gallinæ foliorum grato eſu, & — *Sapor.*

flores


Sonchus mont.


Perfoliatum anguſtifol. montanum
Bupleurum minimum

flores etiam aduolantes deuorarunt, alijs pleriſq. ſimul ſatis plan-
Tempus. tis relictis. Auguſto floridam inuenimus, atque ſata radice Autumno exijt, niueq. demortua, Vere iterum prodijt, atque adoleuit. Huic ſimilem doctiſſimus Carolus Cluſius antè nos, quartum Sonchum læuiorem Pannonicum appellauit, ſed huic quatuor in flore ſunt foliola, non quinque, ac radix huic magna nodoſa obliqua perennis, quòd in illa non depingitur, nec deſcribitur.

Hieracium montanum, alterum λεπτομακρόκαυλον.
Cap. XCIII.

ET hæc, quòd folijs, totoq́. habitu vulgato Hieracio adſimilis eſſet, illius cognationi adſcribendam viſa fuit atque ab effigie angusta & longa λεπτομακρόκαυλον, ad differentiam denominanda. Huius in ſepibus ortus Aequicolorum Villæ *Mercato* dictæ, & nec ibi multa. E tenui breui fibroſa parum flauicante radice, parua promit folia ſecus terram, magna & longa Hieracio aut Seridi ſimilia, hirſura mollia, & quæ facilè citoq. marceſcunt. Caulem quidem Iunio & Iulio menſe tenuem, admodum longum hominis ferè ſtaturam æquantem, ex viridi luteſcentem, hirſutie albentem, aſperiuſculum, lacteſcentemque, alternatis in ſemipedalibus diſtantijs abſque petiolo hærentibus folijs, vt in congeneribus latiore origine amplexantibus: In ſummo longas alas, pluresq. fiſſum, in multos ſe tenues longosq́ petiolos diuidentes, in quibus oblongi calyces foliolis denſè constructi ſuperſtant: & in illis flores emicant lutei, admodum parui, ſed Hieracio æmuli, & ſimilibus congeneriq. plantæ a Dodonæo, lampſanam dictæ. Semine paruo nigro papposo. Tota planta lacte turget, nonnihil tunc amaro ſapore viſa.

Cognomē. Locus. Deſcriptio. Tempus. Sapor.

Piloſella maior vmbellifera μακρόκαυλος montana, & pratenſis.
Cap. XCIIII.

AFFINIS & hæc ſuperioribus etiam videtur, ideo hîc reponenda: quam ob longos admodum & rigidos, quos in foliorum ſuperficie pilos habet, *Piloſellam* appellare oportuit. Atque ad differentiam Vulgatæ, maiorem, vmbelliferam &, longicaulem. Huic radix non longa nec recta, ſed obliqua, ac veluti decurtata, (putreſcit quidem facilè) minimi digiti ferè craſſitie, innumeris fibris albis longis ſe circum reptantibus, quibus hæret obſita.

Nomen. Cauſa. Cognomē. Deſcriptio.



1. Prenanthes hieracii folia ... Sp. ... Crepis pulchra L.

2. Hieracium cymosum Sp. ...

obſita. Folia ſupernè virentia ſunt, ac hirſutie admodum longa rigente, denſa albente ferè aſpera: infernè albicantia, minusq. hirſuta, & pauca: quæ proximiora radici breuia ſunt Vulgatæ paria, at deinde ſemper longiora, vt dodrantem ferè adæquet, nec ita tunc denſa hirſutie obſita, & minimum digitum lata. Caule tripedali è medio aſſurgente in imo læui, in ſuperiore parte hirſuto, ad flores vſque, rotundo vireſcente aſpero cauo, lacteſcente ſicuti foliis, nudo recto, tribus tantum foliolis ſemper decreſcentibus per caulem raro diſpoſitis. Flores in caulis cacumine veluti congeſti denſiq. corymbi umbellarum forè modo, longis petiolis triuncialibus inſidentes, parui admodum, Agerati vel Millefolij magnitudine ſed Hieracioides, quibus ſemina parua nigra pappo denique euolantia ſuccreſcunt. Æſtate in Æquicolorum montium iugis pratenſibus herboſis altioribus inuenitur perfecta, tota lacte turget ſapore non nimis amaro.

Locus. *Tempus.* *Sapor.*

Auricula muris altera incana ſaxatilis frigidarum regionum. *Cap. XCV.*

NEC ab horum natura differre videtur multũ, nec locus aptior viſus, ideo hic inſerenda fuit Quare non niſi in ingentium ſaxorum ripis, eorumq. niſi hærentem obſeruauimus, via qua è Flaminiano Villa ad Montium cacumina *S Angelo* dicta itur: ſolida illa propter viam alta excauata ſaxa, ſupra medium iter. Radice nigra rugoſa, craſſiuſcula, ex qua flauentes longæ Elleboraceæ fibræ vbi terreni quid adeſt, inter rimas, at alioquin breuiores & criſpæ cernuntur. Foliis in orbem quatuor, aut quinque circa radicis caput expanſis obliquè dependentibus. Parua & recentia rotundiora toto Autumno atque Hyeme, ſed Vere deinde adultiora oblonga oualia parumq. ſinuata fiunt, incana hirſutie denſa longa Verbaſci maris modo, & magis hiſpida, auricularum Quadrupedum modo, vnde nomen impoſitum à Recentioribus. Caule vnico vel gemino, ex radicis vetuſtæ ceſpite bifido prodeunte, hirſuto ſatis, rotundo pedali altitudine, paucis rariſq. foliolorum alis intercepto, duabus vel tribus; in ſummo caput habente craſſum hirſutum congeneri vulgatæ non diſſimile, ſed incanum, in quo flos luteus eodem modo, ſicuti & ſemine: quæ copioſa nigra & papposa ſunt. Iulio perficitur. Tota lacte manat, ſapore foliorum non amaro, ſed ſicco. Nullis hæc maculis, vt in Vulgari, infecta obſeruatur, ſed tota incana,

Locus. *Deſcriptio.* *Nominis cauſa.* *Tempus.* *Sapor.*

lanoſa

lanoſa admodum hirſutie albicante. Huius iconem, quia cocleæ plantam deuorarunt à nobis vt è viua delineare illam poſſemus, ſatam, haud expreſſimus, ſed Deo dante, proponetur alias.

Aſter Cernuus. Cap. XCVI.

NON dubium cuique intuenti plantam hanc floridam, quin Aſterem dicat: florum quidem vmbones foliola quædam circundant, ſicuti ſtellarum radii nobis apparent. Atque huic magis quadrare videtur Aſteris nomen, cum terram quaſi radiare vellent flores cernui proſpiciāt. Huius plantæ oblonga folia vulgaris Aſteris effigie latiora maiora multum, tres vncias lata, per ambitum parum crenata piloſa breui hirſutie neruoſa terræ proxima. Caulem ſingularem emiſit, alis diuiſum multis, quibus breuiora hærent alternatim folia, vt in caule duriora, minusq́. crenata, vel nihil. Caulis verò alarumq́. ſummum non vt in alijs plantis tenuius, ſed paulatim craſſeſcit, vt quod floribus hæret ſit admodum craſſius, & curuum nō imbecillitate, vt in Peruuiano Chryſanthemo maximo, ſed natura. Singulos flores in ſingulis alarum cacuminibus producit, luteis ſtaminibus confertis in vmbones vt in congenere, ſed pluribus admodum foliolis virentibus imparibus radii molles, nec vt in vulgari aculeati, vel pungentes. Iulio & Auguſto floret, & Septēbri perficitur. Semen oblongum fulueſcens amarum, viſcoſum odoratum anguſtum ſtriatum latum, quod ſingulis floribus ſubeſt, vt in Chamemælo & Acanaceis. Radix eſt fibroſa, palleſcens, fibris craſſiuſculis diuiſa, Valerianæ Syluestris modo, ſapore ferè aromatico. Folia acerba adſtringentia cum amarore quodam, quare mixtæ facultatis eſſe videntur. Hanc ex monte D. Mariæ Virginis, vulgò *Monte Vergine* dicto, vbi Sacratiſſimæ Virginis Imago maxima eſt, & miraculorum multitudine ornata, atque ob id à deuotis frequenti comitatu quotidie accedentibus venerata.

Nominis cauſa. *Deſcriptio* *Tempus.* *Sapor.*

Aſteris altera ſpecies Apula an Baccharis. Cap. XCVII.

NEMO recentiorum eſt, qui veram Baccharim ſe inueniſſe non cenſeat, neminem quidem adhuc veram habuiſſe certioris iudicij eſſe credimus. Verùm ſi coniecturis indicijsq́. uenanda eſſet, hanc potius recipiendam eſſe, quàm aliorum ſequi opinionem.



Carpesium cernuum.


Aſteris ſpecies, an Bacharis.

Non autem huic firmiter adeò hærendum, vt meliorem inuenire non quæramus. Hãc propter ſuauem radicis odorem, aromaticum ſaporem, atque cum Ellebori radice ſimilitudinem, donec melior de ea fit ſententia magis reſpondente planta inuenta ſi non pro Baccharis vſu, nomine ſaltem vſurpandam protulimus. Radicem habet diuturnam, ex ceſpite Ellebori modo fibroſam, atque fibræ ſemipedales duræ nigræ craſſo cortice carnoſæ, pullo colore, ſapore & odore aromatico, neruum albicantem intus lignoſum tenuem admodum oſtendunt diſſectæ, aliquibus etiam tenuibus fibris intermedijs albentibus immixtis. Folia Aſteris ſupradicti modo, craſſis neruis multis, in terram ſtrata lanoſa mollia, per ambitum obſcurè dentata, colore ex viridi pallentia odorata. Caulem è foliorũ vmbilico ſemipedalem, hirſutum angulofum, folijs veſtitum abſque petiolo hærentibus Drabæ, vel Glaſti modo, acutiore ſerratura dentatis: in ſummo duabus vel tribus alis diuiſum, in quibus capitula Aſteris modo, tenuiſſimis barbulis ac denſis radiantia, lutea: vmbone intus paruis floſculis conſtructo. Maio menſe floret, & Iunio vel Iulio perficitur, ſemine in pappos abeunte, exiguo ac odorato. Huius radicis odor & ſapor adeo ſenſibilis naribus & guſtui vt nulla alia ab recentioribus deſcripta planta æquiparari ei poſſit: ac ſi ex albo purpuraſcentes huic eſſent flores, quod & cæteris ab alijs deſcriptis plantis etiam vitio eſt, genuinam Dioſcoridis Baccharin facilè ſtatueremus: niſi idem huic eſſet plantæ, quod Aſteri euenire Dioſcoridis notat, *florem habere purpureum, aut melinum, velut Anthemidis capitulum circumſciſſum foliolis ſtellæ ſimilibus.* Rarior Cirinolæ in Syluula prope D. Rocchi Ædem. Frequentior in Monte Maiella dicto. Romæ quoque deinde inueniri ſcimus loco *Ponte molle*, dicto, miliario ab Vrbe vbi & verius Buphthalmium etiam folijs capillaribus, flore toto luteo Maio inuenitur. Cæteras ab alijs pro Bacchare depictas plantas minus reſpondere ſatis ex ſupradictis innoteſcit; ac nos floris varietatem perquirentes etiam in hac planta, minimè quieſcimus. Miramur quidem tot editionibus, ac recognitionibus editionis operis Matthioli, ac additionibus nunquam picturam atque hiſtoriam ſuæ Baccharis perfeciſſe, quæ tot annis ipſo viuente florere, atque ſemina perficere poterat, nobiſq. veram & perfectam, non effictam proponere iconem floribus inter folia veluti botris Verbaſci modo qui nunquam hiare potuerunt. Putamus quidem floribus viduam plantam ſibi ab Andrea Lacuna miſſam eandem cum noſtra fuiſſe: deceptum verò ab illa alte-

Sapor. *Nominis cauſa.* *Deſcriptio* *Tempus.* *Locus.*

alterius amici florida forſan depicta, non re ipſa viſa. Hanc neminem hucuſque depinxiſſe vidimus.

Paralytica montana Aequicolorum rotundifolia Aliſmati Varietati adſcribenda. Cap. XCVIII.

VARIAT hæc à congeneribus rotundioribus admodum folijs, tenui longo trigono & trientali petiolo inſidentibus erectis, carnoſis venoſis, infernè incanis lanoſis, ſinuoſis oris, vt crenata videantur, è radice obliqua carnoſa, multis fibris albis Ellebori modo carnoſis dependentibus atque humum amplexantibus odoratis, ſapore acri amaro, odorato parum palato. Caulem dodrantalem emittit, vel maiorē loci & alimenti vberioris cauſa, rotundum tenuem nudum, Iunci aut Cyperi modo, Thyrſum repræſentantem vt Dioſcorides de Aliſmate tradit: atque nos in Planta Auricula Vrſi vulgò dicta, pro Aliſmate propoſita. In Editione, noſtri Phytobaſani omiſimus rationem reddere cur ille caulis ſimilis huic atque congener Thyrſum referret vt indicauimus: Nunc autem nacta occaſione ad illius opinionis confirmationem dicimus. Thyrſum à Grammaticis pro haſta accipi, atque in herbis illud propè erit, quod in Virgulæ modum, vel teli rectitudinem conſurgit, vt de Aſparagi nouello eduli Thyrſo ſiue turione Plinius refert. *Viret thyrſo primùm emicante: qui caulem educens, tempore ipſo quo faſtigiatus eſt in toros ſtringitur.* Item Thyrſi ſimilitudo nedum in haſta nuda eſt, vt in Aſparagi thyrſo, ſed vt etiam Thyrſi Bacchici modo cacumine faſtigiatus ſit, vt idem Plinius perbellè noſtro propoſito de Papyri Nilotici caule tradit, noſtro Cypero ſimili, *In gracilitatem faſtigiatum thyrſi modo cacumen includens* Quæ ſimilitudo nulli magis plantæ, quàm Aliſmati à nobis propoſitæ conuenire poterit. Huic igitur cauli ſimili modo in ſummo ex baſi tenuibus foliolis diuiſa decem flores, vel minus prodeunt eodem modo luteo colore hilari ex calycibus hirſutis incanis quinque oris diuiſi, in quibus rotundum pericarpium longo apice perficitur, marceſcentibus atque etiam hærentibus floribus, in quo ſemina nigra anguloſa & copioſa concluduntur. Aequicolorum montibus ſupra Flaminianum, *lo Serrone*, dicto loco, in cacumine ſeptentrioni oppoſito latere, humenti humo. Maio floret, Iunio perficitur. His adde varietates à Doctiſſimo Carolo Cluſio obſeruatas, atque in poſtrema editione folij forma deſcriptas Primulæ veris nomine, atq; Vrſi

Deſcriptio

Sapor.

lib. 19. c. 8

Lib. 13. c. 11.

Tempus.



Vrſi Auriculæ; in quibus ſexta numero magis Plantaginea folia referre videtur, vt Dioſcorides notat. Addendæ ſunt etiam vires ab Hieron. Trago in ſuo herbario relatæ, & recentiorum experimento comprobatæ; vt ſcilicet flores herbæ Paralyſis conditi cum ſaccharo vel aqua ſtillatitia, longa ægritudine confectis, apoplecticis, & qui Syncopes patiuntur proſint internisq. affectibus; quia cor ſingulari facultate confortandi ſit prædita. Extrinſecus, tumores ex morſu venenoſorum animalium detumeſcere facit, vulneribus dolori capitis medetur, quibus reſpondere videtur Alyſmatis viribus a Dioſcor. deſcriptis. *Vires.*

Liſimachia lutea altera ἔξανθος. *Cap.* XCIX.

TRIFOLIA hæc eſt Lyſimachiæ luteæ vulgaris modo, cui non aptius referri potuit, quam in horto ſuo colebat Neapoli Frãciſcus Aluinus S. Eligij hoſpitalis pharmacopæus herbariæ rei ſtudioſus, atque tunc Lyſimachiam fecimus ob adſtringentem foliorũ ſaporem, & folia, quæ ſingulis caulis geniculis terna erant, hirſuta verò, & luteæ lyſimachiæ vulgari minore: è quorum ſinu & caulis inter illa, longis petiolis duas vncias dependentes lutei flores non diſſimiles emicabant, quinis foliolis conſtructi, baſim ſiue calycem habentes totidem foliolis compoſitam. Caulis anguloſus ſenis angulis ſtriatus, quibus ni fallijmur flores reſpondebant. In ſummo folioſum cacumen repræſentabatur, quo caulis deſinebat densè atque in acutum ſtipatum. Fructus concipit decidentibus floribus folioſo illo conceptaculo tectos Coriandrino ſemini pares atque ſimiles, in quibus ſemina, quæ ob imperfectionem obſeruare nequiuimus. Radix ei obliquè repens tenuis, plures emittit ſoboles, colore eſt extrinſecus carneo, ſuauerubente, intus verò flauicante; fibris obliquè frequentibus craſſisq. reſpectu radicis, humum findentibus, propè ſummam tellurem hærentibus diuiſa. Sapore adſtringente, odore graui terreo. Differt hæc a Vulgari foliorum breuitate, ac ramorum inopia, quibus illa in ſummo diuiditur; in quibus flores ramoſis etiam petiolis, elati atque plures ſimul inſidentes producuntur:- *Nominis cauſa.* *Sapor.* *Deſcriptio*

Plantago Apula laciniata bulboſa. Cap. C.

Locus. *Nomen.* COPIOSA hæc in incultis Apuliæ præſertim Cirinolæ, quibus pro armentorum paſcuis vtuntur, quare ibi *Lingua agnina* vocatur vernaculo idiomate, dicuntq. quam maximè hac veſci pecudes atque agni, non quia linguæ agni effigiem repræſentaret. *Deſcriptio* Radice nititur craſſis admodum fibris, Ellebori craſſioribus longis ſemipedalibus nigreſcentibus corroſis, illisq. tenuibus capillamentis hærentibus vndique terram amplexantibus; è ſummo ceſpite dependentibus craſſo rotundo veluti bulbo, Auellanæ nucis magnitudine, ex quo folia multa in orbem, in terra ſtrata Plantaginea Quinquenerujæ ſimilia, ambitu vero Coronopo vulgari *herba ſtella* dictæ, inciſa dentata magnis lobis, inter quos alij ſunt intermedij parui admodum, Coronopo maritimo Prochitæ Inſulæ rupibus frequentiſſimo ſimilia, eodem modo hirſuta ſed minus aſpera. *Tempus.* Thyrſos emittit Æſtate plures, ſeptem inuenimus, pedales rotundos tenues, quorum tertia aut maior pars in ſpicam teretem floribus Arnogloſſæ modo habeat ſtaminulis pallentibus dependentibus: Caules aliqui reptant, & reſupinantur, alij medij recti: fructu & ſemine non differt. *Coronopus Prochytæ.* Coronopus verò Prochitæ a vulgari differt folijs parum latioribus carnoſioribus hirſutis admodum, atque parum aſperis, dentibus huic plantæ ſimilioribus; caulibus & reliquis a Vulgari non differt niſi hirſutie, ideo iconem reliquimus. At quia de Coronopi varietate loquuti ſumus, addendam etiam cenſuimus hoc loco alterius Coronopi varietatē a nobis Neapoli obſeruati hoc anno 1605. in mœnijs & locis contra Caſtrum Oui dictum Decembri menſe in terram folijs ſtrata exiguis admodū vt maritimi Abrotoni foliorum lacinias latitudine minimè ſuperet, quatuor vncias longas, tribus vtrinque barbulis longis diſſectis incuruis, effigie laciniatam a nobis Tragopagona referentibus, ſed longè minori, radice vulgari ſimili ſed minore. thyrſulis ſpicatis haud diſſimilibus, qui exiccati in terram procumbunt eodem modo, vt in cōgeneribus. *Coronopus Neapol. tenuifol.* Sapore aſtringente, tota planta leuis eſt nec hirſuta. Coronopum minimum tenuifolium maritimum appellauimus ad differentiam.


Plantago piloſa laciniata Apula
Plantago incana trineruia montana
1

Trineruia Plantago altera minima montana incana.
Cap. C I X.

Locus. *Deſcriptio* AEQVICOLORVM iugis ſupra D. Philippæ antrum hæc inuenitur cum Ranunculo bulboſo anguſtifolio ferè ſimili modo. *Cognomẽ.* Huic ex ceſpite carnoſo informi Elleborinæ fibræ ſed dodrantales colore pallentes, atque capillamentis parum hirſutæ latè per *Sapor.* humum ſparſæ inſunt. *Tempus.* Folia ex oblonga ceruice corticoſa hirſutaque prodeunt, quatuor vncias non ſuperãt, latitudine minus ſemuncia, tribus decurrentibus neruis, vnde *Trineruiam* appellauimus, colore incana. Caulis è medio iunceus tenuis admodum, dodrantalis in quo capitulum thymi magnitudine ad ſummum, floribus minutis quatuor foliolis cartilagineis pellucidis, ex quibus ſtamina multa candicantia, Plantaginea, ab imo dehiſcentibus, in orbem caput circundantibus. Semine vt in congeneribus. Radicis ſapor adſtringens ſed amarus. Caput durum ex viridi nigreſcens ferè rotundum. Maio floret.

Leucoium terreſtre maius frigid regionum. *Cap. C I I.*

AD differentiam maritimi Leucoij, terreſtre hoc denominare *Nominis.* libuit, illud enim in arenoſis, vel maris afflatui ſubiectis cali- *cauſa.* darum regionum locis, hoc in terreſtribus montanis, vmbroſis fri- *Deſcriptio* gidisq. & humentibus oritur, floribus non diſſimilibus. Odori ſunt, ſuaueq. ceræ nouæ odorem remittunt, ſapore acres; vmbellatim fe- *Sapor.* rè in ſummo alarum, & caulis parum hirſuti, rotundi cubitalis, tribus alis diuiſi, qui cum decidunt flores, è petiolo ſiliquas emittit multas alternatim in ſummo diſpoſitas, Leucoio ſimiles. At folia è radice longa pedali vel longiore, bifida, aut trifida, candida, in terrã ſtrata inueniuntur, pedem longa grandiora, & quæ proxima cauli, verùm prima minora; & Erucæ ſatiuæ, aut Papaueris erratici folia lacinijs profundis imitantur. Colore virentia parum hirſuta, mollia ſuccoſa, & acri ſapore, ſicuti tota planta. Iunio floret *Tempus.* inter ſaxa Vallis Campoclarenſium, ſupra locum vulgò *Locus.* dictum, *il Colle di mezo* locis vmbroſis atque humentibus, atque frigidis.

Leucoium ſaxatile alterum obſoleto flore. *Cap.* C I I I.

HOC ideo ſaxatile Leucoium appellauimus, vt, cum in ſaxorum præſertim rimis, & vetuſtarum mœnium Campoclarenſium reperiatur, aliquid proprij & diuerſitatis exprimeremus. Huius radix craſſa longa foris pulla, intus alba eſt, & neruoſa. Caulis verò ſemipedalis rotundus viridis, hirſutus, alis duabus diuiſus, in quarum ſummo flores alternatim Leucoio ſimiles, hirſutis calycibus, colore ex luteo & viridi purpurante obſoleti, parum odori, è quibus ſiliquæ producuntur trientales hirſutæ, nodoſæ, corniculatæ, in terram deflexæ, ſex aut ſeptem ſemina intus habentia ſingulis valuulis, bina ſunt quidem Leucoij modo. Folia in uno longo petiolo diuiſura Papaueris maritimi vel etiam Leucoij in arenis orti, hirſuta craſſa, veluti albi Hyoſciami, & magis, odore graui, & quæ cauli hærent breuiora & abſque petiolo, nec lacinioſa, ſed ſerraturis & magnis dentibus diuiſa Hyoſciamo ſimilia, ſed quadruplo minora, propè caulem latiora. Maio floret, & Iunio ſiliquas perficit. In ſaxis & rupibus Vallis ſoli expoſitis. Sapore dulci calfaciente Rhaphani ferè tota planta odore graui non ingrato. *Deſcriptio*

Lampſana Apula Plinij & Dioſcoridis. *Cap.* C I V.

MARGINES aggereſq. viarum, atque agri Cirinolæ hanc Erucæ ſatiuæ æmulam fundunt. Primo quippe aſpectu florida quemlibet falleret, folijs caule, ac flore adeò illi ſimilis. Differt quidem foliorum duritie, atque neruorum aſperitate inferna parte, & caulis Radice verò candida craſſa longa ſyluestris Rhaphani modo, acriq. ſapore. Folia emittit in terram iacentia, dura, virentia parum hirſuta, neruis aſpera, magnitudine & diuiſura Erucæ, ſatiuæ Rhaphani vel Napi, quorum folia inter ſe ſimilia ſunt, ſapore olereceo. Caules edit plures bipedales ferè alis diuiſos, ſed ſumma alarum folia circa flores oblonga ſunt Rhaphani modo, non vt in Eruca vtrinque inciſa, & in hoc ab illa etiam differt. Flores in ſummo albi, lineis nigris depicti Erucæ ſatiuæ modo, magnitudine atque poſitu adſimiles, vt ab illis Erucam quilibet putet. Siliquis verò poſtmodum differt, quas non Erucæ modo breues, & ventrioſas, ſed longas & tenues, Rhaphani ſylueſtris æmulas, minus tuberoſas, atque ſapore gratiores. Floret Martio & Aprili, atque *Deſcriptio* *Sapor.*

Maio

Leucoium terreſtre maius – leucoium corniculatum ſegetale diluto flore



Lãpſana Plinij Apula:



Tempus. Maio perficitur. Foliorum ſapor magis herbaceus quàm acris, radicis verò vt Rhaphani, ideo foliorũ vſus a[illegible]tus cum ſit oleraceus. Indigenis cibus eſt, herbis namq. facilè veſcuntur, *Lampſanam* *Vſus.* *Nomen.* etiam appellantes, Hanc maximè Plinij deſcriptioni quadrare cenſemus, qui ait, *Inter ſyluestres Braſsicas & Lampſana eſt pedalis* *Lib. 20. c. 9.* *altitudinis, hirſutis folijs, Napi ſimillimis, niſi candidior eſſe floret.* Et Dioſcorides, de Rhaphano ſylueſtri loquens, illius folia magis Lampſana repræſentare ait, quàm Satiuum. Ex his igitur minus alias plantas veras eſſe perſpicitur, cum varijs notatum defectibus ſcateant tùm genere, foliorum effigie, florum colore, guſtu atque vſu.

Irio læuis Apulus Erucæ folio. *Cap. CV.*

Nomen. *Deſcriptio* LOCIS aridis margiuum viarum atque mœnium amantior eſt Irio iſte: Autumno exit folijs paruis per terram in orbem oblongis Erucæ ſylueſtris vulgaris modo, ſed adulta in profundiores lacinias diuiduntur ſex aut ſeptem, Erucæ ſatiuæ minora, ad alterius Irionis albeſcentis, atque hirſuti magis accedentia, & ſimilicrura, ſed huic læuia, virentia ſunt, & foliorum ſummum anguſtius habent. Caulem edit vnicum, bipedalem, altero craſſiorem, læuem rotundum ſolidum candicantem, ſicuti foliorum neruos folijs multis alternatis hærentibus veſtitum, ex quibus alæ multæ folijs refertæ anguſtioribus, paucioribusq. lacinijs diuiſæ, longiore & anguſtiore cacumine: odore graui, amaro ſapore, ſtatim acri palato. In ſummo flores inſunt ſimul congeſti tenues admodum lutei Sinapeos modo cui affinior, qui ſiliquas per caulis cacumen diſpoſitas edunt copioſas, duas vncias longas aut magis, tenues rotundas, extuberante intus ſemine copioſo vtrinque; minuto flauo, ſalſo primùm & acri ſapore. Differunt huius ſiliquæ ab altera Vulgari longitudine & poſitu, hæ autem non hærent cauli Sinapeos modo; vt in illa quæ obliquas habet alas, ſed rectæ elatæ, ſylueſtris Erucæ modo diſpoſitæ, longiore ſpica, & denſioribus ſiliquis. Folia acriora ſunt ſemine. *Sapor.* Radix candida guſtu admodum feruido vt Sinapi. Eodem tempore *[Lo]cus.* cum altera floret Aprili menſe Cirinolæ frequens Hanc aliqui Eru*[Te]mpus.* cæ ſylueſtris ſpeciem faciunt, ſed nobis Irioni ſimiliorem vulgari, & pro Irione potius cum ex genere Sinapeos videatur, quàm Erucæ, guſtu ſiliquis flore, & ſemine accipienda videtur. Iunij fine anno quo Maio menſe pluuia copioſa & frequens fuit, tum ipſo Iunio

etiam



Sisimbrium ireo
Spa. hist.
Sim. H. 3. 197

etiam, huius plantæ ſiliquas ob humoris frequentiam monſtroſa cornicula protuliſſe meminimus Terebinthi effigie, in quorum cacumine ſiliquas cum ſemine deferebant; Vidimus & ſiliquas in cacumine ipſarum cornicula ex tenui in ſummo extuberantia contrario modo habuiſſe: Cornicula verò carnoſa craſſa atque magna pro plantæ habitu fuiſſe, ac monſtruoſa.

Rapiſtrum montanum Irionis folio μακρολεπτοκέρατον. *Cap. CVI.*

ACRIS radicis guſtus, foliorum ſapor, tùm diuiſura, & ſi magis Irioni ſimilia videantur, vulgare Rapiſtrum referentes, nominis occaſionem præbuerunt. Atque a longis admodum, quas multas profert tenues, ſiliquis, μακρολεπτοκέρατον Epitheto nomen decorauimus. Huius natalis locus iuxta ſemitas ſaxoſas, vel maceries, atque iuxta ædificia montana Æquicolorum eſt nam & in via quæ a Villa *Mercato* ad Capuocinorum cœnobium ducit, & circa ipſam ſacrã Cappuccinorum ædem eruiſſe meminimus. ſemenque collegiſſe. Radice nititur longa ſatis, omnibus tenuiore, longisq. fibris diuiſa atque candicante. Folijs eſt Rapiſtro æqualibus atque æmulis aliquanto minoribus, in tenuioribus locis; in lobos ternos, aut binos diuiſis cacumine acuto Irioni multum ſimilibus, ſed maioribus, ex viridi albicantibus hirſutis mollibus, præſertim caulem ambientibus, quæ longè tenuiora, lõgioribus lobis, & cacumine, vt lobi duas vncias longi cacumen verò palmum ſit. Caule vnico tripedali, aliquando ab radice fruticoſo, alis multum diuiſo, hirſuto aſpero: è cuius medio ad ſummum ſemipedales & deinde paulò minores alternatim eriguntur ſiliquæ admodum tenues, craſſo cacumine, ſemina intus ab vtroque latere continentes minuta, non multum acria obſcurè flauentia. In ſummo flores lutei, tenues coacernati, ex paruis calycibus quatuor foliorum prodeuntes quaternis foliolis diuiſi, minores congeneribus, intra quos emicat ſiliquula illis deficientibus. Maio floret, & inuenitur.

Sapor. *Cognomẽ.* *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.*

Sium alterum aquaticum luteum, vel Cardamine tenuifolium montanum. Cap. CVII.

Locus. IN excelſis Montium planis inter Marerij Comitatus Æquicolorum fines, & Tornempartis, quodam torrentis alueo ſaxoſo


Æſtate

Æſtate ſiccato, Septembri menſe hanc inuenimus inter ſaxa repentem cauliculis per genicula aquaticarum more multis capillamentis hærentibus villoſis; folijs vtrinque longis petiolis in lobos diuiſis vt in Vulgari *Creſcione*, vulgò dicto Sio, vel vt à Matthiolo Siſymbrio, ſed amplius per ora dentatis. minoribus & anguſtioribus, ex quorum ſinibus alæ exeunt in ſummo denſis botribus paruis admodum onuſtis, qui in luteos flores paruos dehiſcunt, iiſque defluentibus locum occupant ſiliquæ tenuiores vulgari eodem modo diſpoſitæ, in quibus ſemen extuberat minutum præ maturitate hiante ſiliqua deciduum Parum acris guſtu eſt, colore flauicante. *Deſcriptio*

Hanc ſatam in fictili habemus, atque rependo totum occupat terrenum, multisq́. locis exurgit, Hyeme atque Aeſtate durans, atque ſe propagãs. Aprili cauleſcit Maio floret, & perficitur Iunio. Oritur & alijs montanis aquoſis locis frigidisq́ue. *Sapor.* *Tempus.*

Erucago Apula trifida & quinquefolia. Cap. CVIII.

FREQVENS hæc in agris Cirinolæ locis tenuibus, ac etiam in macerijs & muris, vt in Caſtri illius culmine, radicem habens longam albam, non multùm fibroſam, craſsiuſculam feruidi saporis, ex qua folia Autumno exeunt anguſta, oblonga, læuia tenera albeſcentia, minora primis Erucæ ſylueſtris anguſtifoliæ folijs, cui quodammodo ſimilia videntur. Caules edit plures bipedales, parũ aſperos, anguloſos ſtriatos, cauos quibus alternatim folia diſponuntur lacinijs diuiſa, trifida Crucis ferè modo, in alijs aliquando quinque lacinijs mixta, in aliquibus variat tota quinquefida, aut tota trifida, atque ſæpè criſpis vel vndoſis foliorum oris vt in Maluа vulgari. Differt ab altera vulgari folijs, nam illi pinnata ſunt, ſemperq́. vtrinque multifida pectinis modo, & profundis lacinijs ordine diſpoſitis, & etiam flore. Huic enim veluti muſcoſi ſunt Aprili & Maio pallentes, non albis vt in Vulgari: ſed eodem modo in ſpicam congeſti, baſim habentes foliolis ſex cõſtructam tenuibus, floris verò tenuiora atque bifida, innumeris intus ſtaminibus luteſcentibus, Romæ quidem ſecus viam è D. Mariæ Maioris Baſilicã, ad Lateranenſem, criſtata floris foliola eſſe, variante ſic natura, regione diuerſa, nec ita plantæ folijs anguſtis aut laciniatis obſeruauimus. Octobris initio floribus albis, ſuperna parte binis foliolis admodum inciſis criſtatis, ex lateribus verò vtrinque duobus; quibus pariter ſuccedunt oblongi vtriculi trigoni corpore & ore, *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.* *Varietas.*


Rapiſtrum ſylueſtre Irinis folio


Sium tenuifolium montanum luteum:
Erucago Apula
2

anguſtiores ſeminibus turgidi nigris, pulicibus æmulis roſtellum habentibus. Sapore acri Naſturtij. Quæ perfecto & ſiccato vtriculo, atque tunc hiante, flante vento excidunt Maio, & Iunio. Tota planta acris, ſed ſemen acrius folijs, quæ ſuauiora ſunt guſtu. Non enim vt in planta maiore vulgari pinnata fœtida ſunt, quam ibi copioſiſſima eſt, atque non tantùm fœmellæ, ſed & ferè omnes deliciæ cauſa elixant, prima abiecta aqua, deinde pinguedine condiũt oleum caſeum petaſonem addunt, aliaq. gulæ irritamenta: & hoc præſertim cùm Leporem venati fuerint, quòd frequenter accidit, vt illius benè ſapiat, hac mixtura decoquentes: & hæc proferunt Iactantiæ verba, amicis alloquendo, [*comedi leporem cum Erucagine,*] ita enim hanc vocant: & hoc maximæ exiſtimationis apud illos eſſe videtur. Radix feruidi ſaporis, acris inter Sinapeos & Naſturtij ſaporem Hanc & Vulgarem ſi quis pro Polemonia ſupponere malit non admodum erraſſe videretur. Facie & viribus quidem non parum accedere videtur notis illi tributis, pinnatis ramulis, rutæ longioribus folijs, radice longa alba acri, ſemine nigro. Non enim Iaſmini ſpecies illa trifolia ita accedere nobis videtur. Florum varietatem in pictura è regione adpoſuimus.

Sapor. *Vſus.*

Draba Dioſcoridis Apula. *Cap.* C I X.

QVIA nulla apud poſteriores Dioſcoride medicos de Arabide ſiue Draba mentio fit, perſuaſum omnibus eſt caput hoc ſicut illud Hiberidis adiunctum, nec Dioſcoridis eſſe. Quòd autem à Galeno alijsq. medicis taceatur non mirum, cùm ab auctore nullum in medicina vſum, ſed in Obſonijs eſſe referatur, atque Galenus & ſequaces non aliud è Dioſcoride niſi quæ medicamentoſa erant excepiſſe clarum eſt, nam de Leontopodio, Phyteumate & Catanance, eò quòd ad amatoria (magicè forſan non phyſicè acceptis,) tantùm prædicabantur vtilia, vt à Dioſcoride refertur; & forſan Galeno alijsq. ignotis effigie ſic etiam cauſa phyltri, nullam potuerunt, vt medici, de illis rationem reddere qualitatis, atque ea ratione omiſiſſe cenſemus. Quòd autem ideò Dioſcoridis non ſit quia repetitum eſt pluries caput hoc potius nobis contrarium videtur, nam ſi additum, non repetitum eſſet, ſuffeciſſetq. ſemel addidiſſe Huius deſcriptio clara eſt in Dioſcoridis textu, atque plantam hanc non aliud putandam cenſemus. Cubiti altitudinem habet caulis tenuis angulofus rectus, folijs vndique hærentibus


Deſcriptio

atque petiolo officinarum Thlaſpeos, Vaccariæ folijs dicti, vel Iſatidis, parum ſinuoſis, & dentatis, mollibus incanis piloſis guſtu acribus admodum, in ſummo denſis paribusq. altitudine ramulis diuiſus, ita vt rotundam ferè vmbellam efficiant albis floridis Iberidis congeſtam, quam Dioſcorides Sambuci vmbellæ comparat non inſcitè, lata enim eſt, nec ramulis ab vno principio paribus ſubſtinetur vt in vmbellis Fœrulaceorum, ſed vt in Sambuco Agerato & ſimilibus ramulis imparibus. Fructus deciſis florum foliolis Iberidis vel lepidij modo ſuccedunt, multò maiores, extuberantes, ex duabus veluti partibus conſtructi, in acutum deſinentes, in quibus apices: non enim infracti vt Thlaſpeos, ſed pyramidales potius, bina ſemina intus continentes, diaphragmate diuiſa, lutea acerrimo ſapore, vt non mirum, ſi pro Pipere vtebantur antiqui, vt à Dioſcoride refertur. Miror q. Matthiolum in dubium reuocare an hæc vera ſit Draba, quia ipſi forſan non nimis palato acris viſa fuit, atque Italicam dicere ob loci forſan rationem, non eſſe acrem; Sed nobis Apulia Italiæ non minima pars videtur, vbi copioſa, & acerrima, ſeu etiam alijs prouinciis Regni Neapolis. Perfectis ſeminibus atque ſiccatis pericarpijs Maio menſe, eodem modo coma remanet veluti Sambuci, nec vt in Thlaſpeos genere in ſpicam protenditur. Aprili menſe floret. Hyeme exit Cirinolæ in aridis viarum marginibus elatis, folia in terram quinque aut ſex habens carnoſa duriuſcula atque aſpera, reſpectu aliarum interius exientium, & cauli hærentium, quæ longè teneriora, atque molliora ſunt: ſeſquiunciā lata, & palmari longitudine, ſinibus non profundis dentatis parum eroſa: at in cultis locis hortorum ibi maiora virentiora ob alimenti copiam & in terra magis ſtrata: atque Auguſti primis imbribus exire obſeruauimus. Radix admodum viuax longa tenuis alba ſæpius cum excreſcenti globulo nodoſa in ſummo, in quo vermis inuenitur, lignoſa parum, atque acri Naſturtij ſapore. Incognita ibi, & nullius vſus Erucæ ſatiuæ ibi ſpontaneæ cauſa, ac etiam anguſtifoliæ luteæ ſylueſtris, atque Erucaginis: quorum frequens in cibo vſus fortuna deſtitutis. Vidimus deinde agros copioſa Drabæ huius prole refertos, vt culta cenſeri poſſet, quam vix propter radicis repentis vim extirpare incolæ poſſunt.

Tempus. *Locus.* *Sapor.*

Draba,

Draba minima



Draba muralis L. Spec. plant.
Sm. Fl. 3.161



Lepidium petraeum

Draba minima muralis diſcoïdes. *Cap.* C X.

Nominis cauſa. Cognomen

ACRIS plantulæ huius ſapor, atque foliorum effigies quodammodo Drabæ ſimilis, hunc ſibi locum vendicare fecerunt, atq; nominis occaſionem præbuere, vt Drabam appellaremus, ac propter tenuitatem, minimam, ſicuti & à loco, & fructus effigie, muralem atque *diſcoïdem*, quia diſci modo circa caulis ſummum & alarum ouales fructus gerat. Primo Vere caulem emittit cum Lobellij putata Paronychia, atque Dalechampij Myoſotide, è capillari radice in muſcoſis muris atque humentibus ſaxorum ripis, eorum ſcilicet cauis, nixa, parua nimis albicante: folijs in orbem humo hærentibus multis, circumdentatis ouali figura paruis, vnguis magnitudine hirſutis, quæ Hyemis initio orta erant. Caulis verò pedalis eſt, tenuis rotundus, rubeſcens, folijs per interualla ſingulis alternatim ſine petiolo Drabæ modo hærentibus, vnica vel duabus in ſummo alis diuiſus. Flores primùm in ſummo denſos veluti vmbellatim habet, tenues admodùm Iberidis effigie, qui dehiſcentes paulatim, nam diutius ab imo floret, relinquunt è petiolis obliquè tendentibus ouales fructus paruos, in quibus ſemina bina, colore fulua parua. Fructus perfecti atque ſiccati aperiuntur, relictaq. altera tantùm foliacea parte dimidia decidit, ſimulq. ſemina. Februario calidioribus, frigidioribus verò locis Martio Aprili, & Maio etiam inuenitur. Differt à Paronychia Lobellij ſiue Dalecampij Myoſotide, magnitudine, folijs & caule maioribus, fructu verò minore, ſicuti flore & etiam petiolis: nec ita in campeſtribus, pratenſibusq. locis, ſed Parietinis, ſaxisq. humentibus frequens frigioribus. Sapor acris admodum etiam virens, in flore & ſemine.

Tempus. Locus Sapor.

Cardamine puſilla ſaxatilis montana δισκοῒδής. *Cap.* C X I.

Nominis cauſa Locus.

RARIOREM hanc puſillam plantulam hunc mereri locum etiã cenſuimus, ſapor enim ſibi nomen dedit *Cardaminæ*, atque habitus & effigies reliqua etiam epitheta. Montoſis rupis cautibus excelſis ſupra Caſtrum Podium Poponiſcum Æquicolorum, inq. eorum alueis, cauiſq. vmbroſis, Maio hæc inuenitur puſilla, obſeruationeq. digna plantula: miramurque cum pluuiam illi arceant, ipſi ſaxorum aluei, aëris frigentis humiditate ſaxorumq. frigiditate humenti uiuere quomodo poſſit. Palmaris ad ſummum eſt hæc pi-

ctura

ſturæ folijs & habitu par, nec maiorem ſed potius minorem, vt in pictura expreſſimus, inuenimus. Foliolis ex ſemine primum ortis rotundis deinde quinquefida pinnata in lobos binos utrinque, atque poſtea in quaternos, at in maiore planta in octenos vsque lobos, & nouenos etiam diuiſa obſeruauimus, lentis paruæ magnitudine & rotunditate, quæ terræ proxima, deinde oblongiora, atque demum longiora in caule, qui in vegetioribus alis diuiditur, in ſummo flores habens puſillos albos vt vix depingi poſſint, ex calyce quatuor foliolorum virẽtium, è quibus foliola quatuor alba floris contrario verſu calycis diſponuntur, vt octo videantur virẽtia calycis, albis floris intermedia, atque in centro fructus rudimentum, & circa ſtamina tenuiſſima lutea. Defloreſcentibus verò floribus ab imo, fructus oualem formam aſſequuti maiorem, Drabæ minimæ pares & ſimiles per caulis ſummum alternatim diſponuntur: in quibus lutea ſemina acri ſapore, ſicut planta tota naſturtium æmulante. Maio floridam inuenimus, atque fructu onuſtã. Variat hæc, nam minor tota, paucioribus lobis & folijs inuenitur, vt in pictura expreſſimus, & inter illas media. Oritur & in Valuẽſium montibus vmbroſis copioſa, vbi etiam poſtea obſeruauimus humentibus locis terrenis, nec tectis auſtro auerſis maiorem.

Deſcriptio *Sapor.* *Tempus.*

Thlaſpi montanum Burſæ paſtoris fructu. Cap. CXII.

MATESII montis excelſa nuda & ſaxoſa, iuga meridici oppoſita ibi, *la Vedetta* ideſt proſpectus, inde è monte aduenientes, Caſtrum proſpicere incipiunt, hanc habent, nec alibi amplius viſam, aut ab alio deſcriptam, quæ vt diuerſa ab omnibus & minus nota deſcribendam putauimus. In ſaxorum rimis radix eſt rugoſa fibroſa parua pullo colore, folia per terram emittẽs in orbem ſparſa digitali latitudine, parum oblonga, raris per extrema ora inciſuris, carnoſa duriuſcula, colore ad ceſium vergente, è quorum centro caulis aſſurgit folioſus rotundus rectus tenues, ax albo parum rubeſcens foliola Drabæ ritu, vel Glaſti, paruis oualibus ſine petiolo hærentibus multis, ſemipedalis cum florere incipit, & flores vmbellæ modo & latæ habet, magnos reſpectu plantæ, atque exteriores magis explicatos, albos, quatuor foliolis vt in congeneribus conſtructos, ſtaminibus luteis plenos, internos verò purpuraſcentes ex albo antequam aperiantur, qui ſimul cum caule ſe protendente explicantur, paulatim ab imò incipientes, ac demũ

Locus. *Deſcriptio*

Thlaſpi montan. burſæ paſtoris fructu primum. Alterū mitius rotund. 2.



2. Thlaspi perfoliatum L. Spec. plant.
Sm fl. B. 172

Lithothlaſpi montanum fruticoſius uermiculato acuto folio



prætenſo ad pedis altitudinem florere deſinunt, atque folliculi remanent cauli hærentes è longis petiolis oblique diſpoſitis dependentes, cordis figuram æmulantes, burſæ paſtoris ferè modo, infracti in ſummo, & apicem emittentes: intus bina ſemina flaua, parua parum acria ſicuti & folia, vt in alijs vulgatis. Aprili menſe floret, & Maio perficitur. Aliquando pluribus caulibus duobus vel tribus inuenitur ab radice fruticans.

Nominis. cauſa. *Sapor.* *Tempus.*

Thlaſpi alterum mitius rotundifol. Burſæ paſtoris fructu.
Cap. CXIII.

Deſcriptio HVIC rotunda, vnguis magnitudine, longoq. petiolo foliola ex radice puſilla albicante lignoſa raris fibris diuiſa parumq. acri, in terram ſtrata carnoſa, cæſia fere, uenis multis ſed obſcuris exeunt. At cauleſcenti maiora admodum, & duplò per ambitum denticulata parum, cauli ab imo propè terram Drabæ modo abſq. petiolo hærere obliquè incipiunt, deinde maioribus interſtitijs latiora, alasq. emittunt, in quibus & caulis ſummo, qui rotundus eſt in imo purpuraſcens & maculoſus, poſtea virens, cinereusq. ac pedalis, vmbellatim ferè vt in omnibus congeneribus inſunt, calycibus rubeſcentibus exiguis flores albi minuti: quibus fructus foliacei Burſæ paſtoris vulgatæ modo, oblongi cordis figuram exprimẽtes ſuccedunt, longis petiolis hærentes obliquè, ſuperiori non diſſimiles, ſed hiſce plura vtrinque ſemina parua terna aut quaterna, rotunda compreſſa flauentia parum acria, & non vt congener Allij quid guſtu relinquentia. In ſaxoſis montanis itineribus humentibus Aprili menſe via è Mercato Villa ad Flaminianum, aut ad Cappuccinorum ſacram ædem.

Sapor. *Tempus.* *Locus.*

Lithothlaſpi tertium fruticoſius vermiculato acuto folio.
Cap. CXIV.

Locus. *Deſcriptio* RARIOR ſpecies iſta, nec alibi quàm in nudis cautibus Æquicolorum, vbi & Auricula muris incana à nobis depicta, Radice lignoſa alba magna, inter ſaxorum rimas, ex qua craſſa lignoſa rugoſaq. propago multos viticulos breues palmares emittit, anguſtis paruis carnoſis vermiculatis rotundis ferè folijs nigreſcentibus acutis in ſummo atque per ambitum hirſutis parum, denſis circa illos hærentibus; at circa flores rarioribus & breuioribus. Flores

verò

verò in magnas, veluti vmbellas, rotundas conferti, candidi, vel ſuauè rubentes, quatuor foliolis conſtructi quorum ſuperiora parua, inferiora maiora ſunt Cretici anguſtifolij atque purpurei Thlaſpeos ritu, parum minora: ſtaminibus intus luteis quatuor, atque ita florida & denſa inuenitur frutefcens plantula hæc, vt non niſi flores ſpectes. At poſtea ſuccreſcentibus medijs floribus, atque dehiſcentibus, exteriores & imi, fructus per caulem breuibus admodum petiolis minoribus corpore fructus, inſidentes emittunt, latos admodum, cauos coclearis modo, atque Thlaſpeos vulgaris Vaccariæ folio dicti, maiores, parum elatos, cauam caulibus, conuexamq. nobis partem oſtendentes. Fructus hi lati ſunt, ſuperna parte ſiſſa, non rotunda ſed anguloſa ſunt. Maio floret, ac Æſtate perficitur. Guſtu admodum acri folia, & ſemina acriore; quæ lata compreſſa fulua, alijs minora ſingula medio folliculo vel diſco, vt duo inſint, ſingulis fructibus integris. Reperitur Anuerſæ Valuæ ſaxoſis montibus in quibus nihil terreni reperitur. *Tempus.* *Sapor.*

Lithothlaſpi quartum carnoſo rotundofolio. Cap. CXV.

SAXORVM rimis etiam hęc gaudet, locis uerùm magis depreſſis inuenitur propè Caſtrum Podium Poponiſcum Æquicolorū: cuius radix longa ſatis læuis candicans dura, ex qua tres quatuorquè prodeunt viticuli in diuerſa tēdentes recti, rotundi rubētes circa quos denſa carnoſa rotunda parua admodū folia nec fructus latitudinem ſuperantia in imo circa radicem, rubeſcentia aliquando, ſed colore Braſſicæ reliqua, ac per viticulos ſemper anguſtiora longiora denſiora, magiſq. hærentia ad flores vſque, in ſummo verò paruæ vmbellæ huic proferuntur botris ex viridi rubētibus, circa quos exterius in orbem aperiuntur flores veluti coronates vmbilicū ac compreſſi, quatuor foliolis ſuauè rubentibus, ſanguineis lineis eleganter depicti, ſtaminibus intus luteis: quibus paulatim interiores ſuccreſcūt folliculi, & flores alij medij, viticulis ſe producentibus pedalem altitudinem aſſequentibus, aperiuntur, & per viticulos fructus diſponuntur alternatim circum hærentes reſupinati, vt in ſuperiore, ſed minores: & circa ſummum ſerratis vel dētatis oris purpurantibus, Maio floret. Sapor radicis & foliorum amarus, ſeminis verò parū acris, quod minutum Irioris modo, atque flaueſcens eſt, copioſum in folliculis vtrinque, à ſuperioribus differens. *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.* *Sapor.*

Ionthlaſpi

Ionthlaſpi luteo flore incanum montanum δισκοειδὲς



Iontblaſpi luteo flore incanum διϲκοϊδὲς montanum vmbellatum. Cap. CXVI.

HIC inſerenda viſa fuit hæc, media inter luteam Violam montanam & Thlaſpi effigie, quàm a ſimilitudine vtriuſque *Iontblaſpi* appellauimus, atque à fructu orbiculato ambitu diſco ſimili diſcoïdes, ad differentiam aliorum. Hæc etiam montanis & ſaxoſis gaudet, ac ſimul cũ ſuperiorib⁹ inuenitur, verùm plana iuga diligit Æquicolorum & S. Angeli ſupercilia illa. Foliis exit incanis aſperis paruis anguſtis oblongis forma & effigie congeneri plantæ à Matthiolo pro Alyſſo depictæ, minoribus duplò, circa viticulos rotundos purpuraites in terra ſtratos & ſupinos, hirſutie alba aſpera obſitos: in quorum ſummo flores odorati, non parui vt in congenere, ſed magni reſpectu plantæ, atque non in vmbellam, ſed veluti longum corymbum in orbem per viticulos diſponuntur, colore luteo hilari aureoq. foliolis infractis in cordis figuram, ſylueſtris Lychnidis modo, quibus ab imo fructus ſuccedunt alternatim etiã per orbem circa viticulos longis petiolis hærentes, figura rotunda lentis fructus magnitudine & modo, incana hirſutie aſperi, longum habentes apicem, in quibus vnicum ſemen compreſſum, fuluumq. continetur. Maio & Iunio florida, & frequentiſſima in Aequicolorum montibus vt diximus. Folia dura & veluti humore carentia ſicco ſunt ſapore herbaceo, nec acrimoniam exerere videntur, ſicuti & ſemina. Eadem radice regerminat poſt flores, ſemperq. viuit.

Nominis. cauſa. *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.* *Sapor.*

Iontblaſpi minimum ſpicatum, lunatum. Cap. CXVII.

IN montium radicibus, & collibus Soli orienti expoſitis, ſterilibus frequens Anuerſæ Valuenſium Aprilis menſis fine, & Maio menſe. Huius radix exigua tenuis & albicans fibrillis aliquando diuiſa inuenitur: plures emittit viticulos tenues aſperos dodrantales ad ſummum, ſupinos, aliquando rectos in vnicaule: folia illos circundant alternatim diſpoſita candicantia exigua admodum, duplò minora duriore Thymo dicto, & congenerum minima, aſperiuſcula; vno verſu quandoque diſpoſita, vt in congenere ſuperius deſcripto, vmbellato montano maiore διϲκοϊδῆ, cui adſimile ortu. E medio verò viticulorum, qui aſpera hirſutie, & candicante obdu-

Locus. *Tempus.* *Deſcriptio*

cuntur, ad ſummum vſque, fructus cartilaginei rotundi Lentis magnitudine depreſſi, veluti in longam ſpicam diſpoſiti dependent, vno etiam ferè verſu penduli, è petiolis incuruis exiguis nutantes minimum in quatuor foliolis diuiſum calycem habentes, oculos ferè fallentem, qui antequam flores in fructus ſiue clypeolos lunatos abirent continebat. Flores veluti in vmbellulam confertos in ſummo ſemper habet exiguos, & omnium minimos, pallentes, quatuor foliolis etiam conſtructos, qui ſtatim folliculos proferunt è medio rotundos hirſutos, in medio parum ventrioſos, limbo circumductos, in ima parte veluti fiſſos Thlaſpeos modo. Hi perfecti paleæ colore fiunt ab imo decidentes Maij fine. Semen intus habēt vnicum ouali figura compreſſum flauum. Plantæ ſapor p rum acris Leucoij modo ſiccaus. *Lunatum Ionthlaſpi* diximus, quia Lunariæ Græcæ dictæ modo pendulos habeat clypeatos folliculos nutantes & *Ionthlaſpi* ab effigie, & affinitate, quam cum Leucoijs & Thlaſpi facie atque natura referre videtur: Rara plantula elegans, nec ab aliquo deſcripta quod viderimus.

Locus. *Cognomẽ.*

Lithoreoleucoion minimum ſupinum Valuenſium. *Cap. CXVIII.*

Locus. SAXIS præruptis montis Anuerſæ oppido hærentis Septentrionalis frequentiſſima plantula hæc, à nobis tunc primùm reperta & obſeruata; atque propter affinitatem ipſius cum Leucoijs, & natalem locum ad differentiam aliarum ſpecierum λιθορεωλευκόιον minimum appellauimus. Plantula eſt exigua grata oculis propter florum copiam colore venuſtorum, quos Maio menſe profert cæruloprupureos variegatos, medium quid luteocandidi habentes, ſtaminulis intus paruis: ſiliquas illis deficientibus è medio calyce folioſo profert paruas, breues craſſas inanes, in apicem longum deſinentes, in quibus ſemina continentur exigua copioſa ruffeſcentia, æſtate perfecta. Folia ſunt breuia magnitudine durioris Thymi hirſuta, colore cinerea, ſicuti tota planta alternatim viticulis multis denſè adnata, vt vnaquæque planta comoſa ſit admodum, atq. orbem viticulorum frequentia conficiat. Quamuis Æſtate floreat, nunquam perit ſemper regerminans noua è geniculis denſis viticulorum ſoboles foliorum proferens; quaproter etiam Hyeme reperitur. Tota fumi odore graui ac ſapore guſtata putet. Singulis viticulorum cacuminibus tres aut quatuor inſunt flores, aut ſili-

Nominis cauſa. *Deſcriptio* *Tempus.* *Sapor.*

quæ

quæ reperiuntur, duratq. ad Autumnum cacuminè, & ſiliquis. Acris eſt folijs & ſiliquis linguam vellicans manſa, magis quàm Leucoium ad Thlaſpeos gradus accedens.

Ion Draba Alyſſoides Apula ſpicata. Cap. CXIX.

SCVTATOS cum habeat fructus hæc Alyſſi modo duplices, atq. folijs & caulæ Drabæ ſit adſimilis, vt aliquam nominis priuatã haberet differentiam *Iondrabam Alyſſoidem* appellauimus: eò quòd luteæ Violæ magis ſit affinis. *Nominis cauſa & Cognominis.* Cirinolæ in ſylua prope D. Rocchi, *Mezzana*, appellata, quia media ſit inter agros (ita enim ſyluas appellant intra campos ſitas) inter Piraſtros, Oxiacanthas, & Aſphodelos, quibus tota ea ſyluula eſt referta, *Locus* *Deſcriptio* Martio menſe exiens, radice admodum exigua alba, ex qua folia è terra parum elata ſed conuexa, hirſutie alba denſa tactu molli obſita, digitali latitudine maiora, oblonga forma, neruulis craſſis piloſis, quorum aliqua circa petiolum radicem verſus laciniam habent, reliquum raris & magnis reſpectu folijs ſerrata dentibus. Caulem è medio emittit rotundum hirſutum aperiuſculum pedalem, aut paulò maiorem duabus vel tribus in ſummo alis diuiſum, è foliolis anguſtioribus multum, nec laciniatis prodeuntibus. Reliquum nudum niſi propè humum duo aut tria hærerent folia. In ſummo floſculi emicant Sinapeos modo lutei exigui, quatuor foliolis conſtructi, quibus deficientibus ab imo paulatim locum implent, folliculi duplices, rotundi lentis magnitudine ſimul latere coniuncti, vt in Alyſſo à nobis depicto, compreſſi, parum hirſuti, in ſpicæ modum ſurſum elati, atque Aprilis fine perficiuntur. *Tempus.* Sapor plantæ totius parum acris. *Sapor.* Calidarum hæc indigena eſt regionum Apuliæ.

Leucoium Alyſſoides vmbellatum montanum. Cap. CXX.

EXCELSA Aequicolorum frigidaq. iuga, *Cornino*, dicta è contrario, vbi plurima Gentiana maior lutea, incolit hæc herbida; *Locus.* *Deſcriptio* atque à ſuperiore florum ordine in vmbellam ferè compoſito differt, nec minus folijs maioribus, oblongis, luteo Leucoio proximis magnitudine, ſed minoribus, per ambitum magis ſinuatis, hirſutis, carnoſis, duris, atque aſperis; e radice longa nodoſa cãdicante ex pullo, neruoſa ſicco ſapore, ſimul ex pluribus germinibus prodeuntibus Leucoij more; ex quibus caulis tenuis hirſutus bipeda-



1. Clypeola Jonthlaspi, L.

2 Alyssum deltoideum

Iondraba apula aliſſöides ſpicata ~ leucoium aliſſöides umbellatum mont:



lis,aliquando raris interceptus foliolis, in cuius ſummo parum diuiditur, & flores veluti corymborum modo denſi, in vmbellam diſpoſiti emicant lutei maiores ſuperiore;quibus fruſtus læues rotundi duplices, latere coniuncti eodem modo Alyſti Dioſcoridis æmuli,compreſſi,apicem habentes medium, ſuccreſcunt;ſuperiore etiam maiores,in medio extuberantes; quo ſemina ſingula compreſſa parua flaua continentur, vt bina ſingulis duplicibus fructibus inſint;ſapore etiam ſicco.Folia guſtu dulci ferè,non acri. Auguſto menſe floridam & ſemine refertam inuenimus. Hanc videtur Lobellius Lunariam luteam Monſpellienſium, & marinũ Leucoium luteum appellare, ſed nobis in Appenninis Aequicolorum montibus ſeptentrioni oppoſitis lecta,montana videtur,& à mare trium dierum itinere abeſt, nec afflatum habet.Sed nec maritima Apula Cirinolæ folijs nobis leucoij, ſed potius Drabæ aut Thlaſpeos viſa fuit, atque folliculis in ſpicam, non diuiſam vmbellam poſitis.Quare locorum varietate, diuerſes ſpecie naſci cenſemus. Inuenitur & in Valuenſium montibus in Valle ſupra Anuerſam præruptis vmbroſis ſaxis iuxta fluminis decurſum.

Tempus.
Sapor.

Alyſsum Dioſcoridis montanum. Cap. CXXI

ADEO difficilis eſt Alyſſi Dioſcoridis inuentio, vt quilibet Recentiorum foliaceum fructum edentem plantam pro Alyſſo propoſuerit:non collatis alijs notis,& ad illam deuenerunt etiã ſententiam vt Boraginis ſpeciem illam quàm nos καρποχηνόποδα à fructus forma diximus, pro Alyſſo depingere non ſunt veriti;nulla foliorum guſtus & totius plantæ habitus facta perpenſione. Nos verò etſi congenerem pro Alyſſo depinxerimus in noſtro Phytobaſano non omnes tunc varietates conſpectas habebamus,neque ab Vrbe tunc vnquam abfueramus, atque ideo neque multas vt nunc inſpectione cognitas plantas habere poteramus duobus tantùm ante annis hiſce ſtudijs operam nauantes.Nunc autem rariorem plantam in Campoclarenſium Mateſij montis iugis ſyluoſis vmbroſiſq. primùm collectam deſcribemus; radice parua capillari,viticulis rotundis per terram reſupinis, rubentibus hirſutis, & ſeſe radicantibus Serpilli modo & congenerum; folijs rotundis, unguis magnitudine in initio, deinde latioribus & maioribus ad duas vſque vncias creſcentibus, circumſerratis, magnis dentibus, hirſutie longa candicante ſub aſperis, per viticulorum genicula binis,

Locus.
Deſcriptio

binis, petiolo longo hærentibus, inter quæ alternatim & vtrinque etiam flores emicant cærulæi tres aut quatuor ex tenui admodum petiolo veluti pilo ac hirſuto prodeuntes, foliaceam baſim quatuor foliolorum habentes, quibus fructus ſuccedunt depreſſi ex duobus oualibus folliculis,, ſcutulorum forma conſtructi, latere interſe coniunct, ipſiq. per ora hirſuti, foliola bina vtrinque baſis habentes, atque intus depreſſa ſemina fulua quina aut ſena ſingulis lateribus continentes. Aeſtate inuenimus propè mandras, ibi dicitur *Tempus.*
Fons Sanctæ Mariæ in montis cacumine Occidentem verſus, Armentorum potus vſui ligneis labris aptata: Harum plura genera nouimus recta, repentia, ſupina pratenſia montana, ſed huic folia longo petiolo hærent, non ita in alijs obſeruatur, & rotundiora; fructusq. magni & rotundiores; Hanc neſcimus quiſnam dixerit, non habere rotunda folia, ſub aſpera, non folliculos duplicis diſci effigie, nec in montibus naſci, cum alio loco nemo hucuſq. viderit. Atque miramur alios plantas recepiſſe, quæ non duplices fructus ſiue Clypeolos aut folliculos habeant, vt Dioſcorides notat, ſed quamlibet ſimplici fructu, quo aperto & diuiſo tunc duplici valua, quod in omnibus cuiuſuis generis eſſet commune; Tordylio quidem ſemen duplex eſſe Dioſcorides notauit, illudq. ſimile Scutulis, non ſemen ſimile duplicibus ſcutulis, vt de fructu Alyſſi retulit. Nec Dioſcoridem notare conſiderarunt, vt ſemina inſint clypeolis duplicibus, non fructu: relatiuum quidem ἐν οἷς; plurali numero, refertur verbo ἀσπιδισκίοις, *Clypeolis*, non autem verbo καρποῖς *fructus*, atque ſingulari numero, ibi, παρ᾽ οἷς ὁ καρπὸς, ὡς ἀσπιδίσκια διπλᾶ, ἐν οἷς τό σπέρμα ὑπόπλατυ, *Iuxta quæ fructus*, .ſ. eſt, *velut clypeola duplicia, in quibus ſemen ſublatum*. Quare ſi folliculi ſiue duplicia clypeola, continere debent ſemina: illa oportet valuas habere proprias & diſtinctas: atque ſic fructus effigies non ſimplex, vt ab alijs proponitur, ſed duplex eſſe debet, vt duorum clypeolorum repræſentet rotundas vel ouales circumferentias, & profunditates, quæ ſingulæ ſemen continere poſſint, atque fructus modo concipiant, ex foliorum alis ortum ducant. Quod niſi ita eſſet, Thlaſpeos fructus infracti in ſummo atque lateribus dehiſcentes, etiam ſingula ſemina vtroque latere continentes, duplices Dioſcorides & Plinius dixiſſent, & poterant; ſed quia primo aſpectu forſan non duplicem Diſci figuram, ſed vnicam repræſentabat in ſummo inciſam, infractos eſſe notarunt. Hoc enim argumentum qui nouerit, facilè ab alijs propoſitas plantas reſpuet, atque noſtram magis accedere dicet.


Alißum
montanum

cet. Sapore amaro tota planta. Hanc & congeres multas in Æquicolorum iugis ſyluoſis reperimus nuper: Differt hæc ab alijs, quod fructus non ſpicam intercepti foliorum finibus, ſed cum petiolo ex illis prodeunt, natura ſic ludente; & folijs rotundioribus admodum, ſatis Dioſcoridi reſpondentibus. Dodonæi Alyſſum putatum, nos montanum lunatum Leucoium appellamus, cui magis accedere videtur, habemusq́. minorem cōgenerem plantam de qua alias. In Vetuſtiſſimo Herbario manuſcripto Græcis literis Neapoli in Sancto Ioannis Carbonariæ Bibliotheca, etiam binis folijs cauli hærentibus depingitur, floribus inter alas, purpuro cæruleis, ſed minus rectè depictis. *Sapor.*

Veronica tetragona montana recta minima. Cap. CXXII.

PRATENSI Teucrio Veronicæ faciè dicto admodum hæc ſimilis, at minor omnibus ſui partibus, præter flores, qui in hac parua plantula maiores omnibus congeneribus ſupradictis inſunt, colore cæruleo ſaturiore, breuibus inſidentes petiolis circa ſummas duas alas quibus diuiditur caulis palmaris, quadratus rubeſcens hirſutus geniculis ſenis diuiſus, quibus folia hærent bina alternatim diſpoſita, in imo tritici grano paria magnitudine, atque ſingulis geniculis maiora indicis vnguis magnitudinem aſſequentia, hirſuta oblonga circumſerrata obtuſis dentibus multis Chamædrios ferè modo ſed abſque petiolo, & circa caulis geniculo latiora. In ſummo duas alas emittentia, cauléq́. foliolis intermedijs paruis admodum veluti detruncatum terminantia. Iulio perficitur atque techas apice lōgo ſuperiori ſimiles promit duplices per alas diſpoſitas tenuibus ramulis etiam diuiſas. Radix verò repit ex geniculis compoſita è quibus dependet. Sapore foliorum ſiccante. In ſūmis frigidisq́. montium Paſcuis oritur. atque Aequiculorū *S. Angelo* appellato loco. *Nominis cauſa. Deſcriptio Tempus. Sapor. Locus.*

Alſine montana hederacea maxima. Cap. CXXIII.

A NEMINE deſcriptam hanc, ni fallimur, proponemus, quam in umbroſis excelſium montium Campoclarenſium atque Aequicolorum denſis Syluis collegimus, à vulgari foliorū magnitudine atque toto habitu maiore differentem, folia quippe magna per abitum hirſuta hederacea vel Smilaci proxima effigie duas vn- *Locus. Deſcriptio Nominis cauſa.*

Oo cias



2. Stellaria nemorum, L. Sm. fl.

Sempervivum rubrum montanum γναφαλῶδες



cias lata, atque tribus longa, vndulatis oris Maluæ ritu, vt ſinuata videantur, cauli hærentia longo tenuiq. petiolo, bina ex oppoſito geniculis viticulorum, qui recti ſunt vel ſupini, hirſuti rotundi, medulla tenui dura vt vulgaris, ſed alæ ex imis geniculis prodeuntes repunt antequam floreſcant: flores verò in ſummo candicantes laciniati decem laciniis, ſed quinque foliolis constructi, petiolis longis inſidentes bino numero ſe diuidẽtibus, medium ſemper florem habentibus, qui primus flaueſcit, atque fructum concipit, vtriculis effigie longa, pyramidali ex calyce prodeuntem longæ ſiliquæ forma, anguloſum apicibus tenuiſſimis, in quo minutum fuluum copioſumq. ſemen continetur. Auguſto floret & Septembri perficitur. In primi floris petiolo & alarum florum imo, folia abſque petiolo cauli hærere incipiunt Tithymalorum modo & congeneris vulgari Huic recti fructus, atque elati remanent petioli eorum, nõ vt in vulgari deorſum ſpectantes.

Tempus.

Alſine ſaxifraga anguſtifolia minima montana. *Cap. CXXIV.*

Deſcriptio IN ſaxorum rimis rupium præruptarum, & eorum cauis vmbroſis, ab aquæ pluuialis impetu tuta oritur plantula hæc tenera pusilla; quæ anguſta oblonga folia profert Saxifragiæ magnæ Matthioli modo paulò latiora albicantia molliora. è viticulorum geniculis bina prodeuntia; ex quorum ſinu alæ, & in ſummo flores candidi quatuor foliolorum conſtructi, ſtaminibus intus multis candidis tenuibus admodum, florentes Maij fine & Iunio: quibus vtriculi ſuccedunt ferè orbiculares, parui admodum Milij ſeminis magnitudine cartilaginei, in quinque otas diuiſi Ocimoidis modo in quibus fuluum obſcurum ſemen minutum. Radix tenuiſſima capillamentis diuiſa. Circa D. Philippæ antrum Æquicolis, alijſq. præruptis locis propinquis. Alteram huic ſimilem ſed maiorem duplò in mœnijs maritimis Neapoli obſeruauimus autumni fine florentem ſuauerubente flore, pericarpio oblongo acuto in quo ſemen exiguum Vulgari colore ſimile, planta eſt repens, ſed cum floret reſupinatur. flante Africo alluitur vnda, illaque gaudere videtur.

Tempus. *Locus.* *Varietas maritim.* *Locus.* *Tempus.*

Semperuium rubrum montanum γραφαλῶδες. *Cap. CXXV.*

Nomen. NOVA hæc Semperuiui ſpecies eſt, ab Antiquis non memorata, ex genere primi à Dioſcoride deſcripti, verùm differens mul-

multum,humilis planta; quam à breuitate caulis *chamæ ſemperuiuum* appellari poteſt,à colore tàm foliorum quàm florum & totius plantæ floreſcentis,*rubrum*;à tomentoſa foliorum,vel ſericea hirſutie, γναφαλῶδες. Mirum in hac planta admirandumq́. Naturæ inſtitutum obſeruandum proponimus. mirumq. artificium, quo ſingula foliola dum planta ſine caule eſt, Vere incipiente,ad inuicem tomentoſa lanugine contexuntur, apices enim foliorum relictis folijs intermedijs, tenuiſſimis denſisq. ſtaminibus veluti aranea intercipiuntur,vt ſemper angulos efforment,vt tota foliorum ſuperficies operiatur innumeris figuris, trigonis quadratis pentagonis & exagonis interſectis ad inuicem, vt ex quolibet extremi folij apice efformentur. Planta rara viſu atque pulchra, è radice puſilla tenui veluti filum inter ſaxorum rimas vbi parum terræ ineſt hærente multa folia veluti Cynaræ fructus ſquamoſus,in globulos compoſita Nucis Regiæ obliquè dimidiatæ magnitudine orbē complentia,linguarum anguſtarum effigie, parua carnoſa vulgaris maioris lutei ſemperuiui modo, per ambitum hirſuta parum, in ſummo araneoſa multum,colore cinereo. Æſtate cauleſcente planta,ita illi hærent denſa vt pyramidem effigient,atque nihil præter ſummum caulis appareat in quo folia minora alternatim ſeparantur.Caulis ſemipedalis bifurcatus alis in ſummo, in quibus flores magni rubentes roſeo ſaturo colore, ſtellati in decem radijs ſecti, totidemq apicibus, medium fructum habentes: ſtaminibus verò circa illum viginti,quorum cacumen luteum minutum eſt.Florum folia expanſa & radiantia veluti plicata primùm quàm dehiſcerēt canaliculum vel plicam habent ſingulis radijs, colore magis ſaturato:calycem vero dilutiorem ſubtus hirſutum totidemq. oris diuiſum.Iulio floret & Auguſto perficitur. In Aequicolorum,montibus,& iugis altiſſimis nudis ſaxoſis meridiei oppoſitis ſupra montem Flaminiani,*lo Serrone*,vulgò dictum, ſupercilium ſcilicet appellatum. Mirum etiam magis eſt,plantam hanc Autumno & Hyeme antequam caulem edat incanam eſſe,aut cineream, nec folia coniuncta tomento vel aranea ſunt, ſed aperta & diſiuncta vt in Vulgari, & Vere adueniente contrahi, atque connecti miro illo angulorum intercurſu araneoſo. & deinde caulem edentia colorem mutare rubraque effici ſicut tota planta.

Cognomen
Deſcriptio
Locus.
Tempus.

Vermi-

Vermiculata noua planta montana



Spartum æquicolorum minimum montanum τρίφυλλον



Vermiculata montana noua. Cap. CXXVI.

IN planis celſium montium inter Aequicolos & Toruempartis fines, in quibus etiam gens illa meſſes legit, hanc reperimus inter ſegetes fruticantem plantulam, è terra palmam ſe attollentem ſupinam, è radice admodum tenui albicante fibrillis diuiſa viticuli plures fruticant rotundi, candicantes densè geniculati, ex quibus ampliores reſupinantur, alæ foliolis digitali longitudine, anguſtis admodum, rotundis carnoſis læuibus, vermiculatis, non diſſimilibus Semperuiuo ſecundũ Dioſcoridis, tenuioribus multùm, ac etiam acuminatis, ſed non pungentibus, cum florere incipit hirſutos parum circa flores viticulos habet, ſingulisq. geniculis & alarum cauis, flores ſingulos edit denſos, vt plures videantur ſimul emergentes ſtellatos, colore virente, in medio pallida exigua ſtaminula habentes, conſpectui vix ſe obijcientia: quibus, fructus ſubbeſt ac ſuccreſcit vtriculi modo, ijſdem quinq. radijs floris remanentibus. Quare ex his videtur plantis, quæ florum fructui inſidentem emittunt, primumq. fructum concipiunt quàm flores, vel eodem tempore, & ſi magis fructus conſpiciatur, vt in Cucurbitis, Malo punico, Liſimachia ſiliquoſa dicta & ſimilibus. Fructus hi pallentes cum ſiccantur fiunt, parumq. hirſuti, nec medulla interior quæ alba eſt, à cortice ſeparari poteſt, quare potius ſemen, quàm fructum appellare debemus: integerq. perfectus decidit. Aeſtate floret & perficitur; Folia manſa ſapore & odore ſatiui Trifolij pratenſis, ſed parum ex acerbo ſiccante amarum quid habente. Sicca verò folia magis amarum exprimunt, non autem calorem imprimere videntur. Hanc & ſi ex genere Vermiculatarum eſſe perſpicimus, nihil commune cum ſemperuiuis habet, ſed diuerſi generis planta noua.

Locus. Deſcriptio. Tempus. Sapor. Nominis cauſa.

Spartum minimum montanum triphyllon. Cap. CXXVII.

RARIVS hoc, ab alijs hucvſque non obſeruatum, quod non niſi frigidis montium iugis Æquicolorum ſaxoſis celſioribus nec multum exoritur, omnibus proponimus viſendum, ob elegantem varietatem: Spartumq. à ſimilitudine appellauimus, & minimum à partium tenuitate, atque à diuerſitate triphyllon. Frutex eſt amplus Æquicolorum montibus, *Cornino*, ſaxoſis nudis deuexis Auguſto,


in imo lignoſus innumeris alis diuiſus comam conficiens rotun-
Deſcriptio dam: Caules primùm iuncei, veluti Iunci folia, qui deinde lignoſi
Locus. ſtriati flaueſcentes ex viridi fiunt. E ſummo verò tribus geniculis
Tempus. vireſcentes, atque lanugine alba obſiti, atque ſtriati. ſingulis uerò
geniculis alæ aut auriculæ hærent craſſæ duræ, in imo nudæ lignoſæ
ex quibus cum tenerior eſſet anno priore planta, ſoliola terna,
vtrinque admodum tenuia albicantia, ac ueluti capillaria Abro-
toni maris minora producebantur, ſicuti in plantæ cacumine con-
ſpiciuntur. Alarum verò ſummum, aut acutum eſt, aut in minima
foliola deſinit: aut capitula quatuor vel quinque ſimul congeſta, in
quibus flores lutei Sparto & Geniſtæ ſimiles, ex vtriculis parum
hirſutis minuſq. luteis albicantibus ad inuicem oppoſitis, quibus
ſuboriuntur ſiliquæ breues vnciæ longitudine, hirſutæ albentes ex
viridi, in acutum deſinentes gladij modo, parum conuexo dorſo cir
ca aciem: in quibus quatuor includuntur ſemina dependentia cor-
dis figuram imitantia, quæ adhuc virentia erant nobis obſeruan-
tibus in ipſo ſpontaneo loco: nec amplius perfectiora habuimus.
tota planta bicubitalis ad ſummum, caudice craſſeſcente fruticis
inſtar.

Galium montanum latifolium cruciatum. *Cap. CXXVIII.*

Nominis cauſa. ANNVMERANDA hæc inter Galij ſpecies ob illius affinita-
tem viſa fecit, tametſi in multis differat non tamen propriũ
genus cõſtituere videtur. Folijs namque per genicula denſa admo-
dum quaternis circa radicis caput, quàm breuiſſimis, lęuibus atq;
Deſcriptio ſemper maioribus latioribus, ita vt quarta pars vel tertia longitu-
dinis ſit latitudo Rutæ proximis: viticulis per terram ſparſis vndiq;
fruticantibus quadratis tenuibus læuibus: cum cauleſcunt bipeda-
les atque ſupini fiunt, circa medium rarioribus geniculis folijsq;
etiam quaternis anguſtioribus ſemper, atque longioribus multum
acutis, atque duas vncias æquantibus: in ſummo verò binis tantum
vt in Saxifragia Matthioli magna, longioribusq. interuallis diſpo-
ſiti: atque ſemper è cõtrario decreſcentibus, ex quibus flores erũ-
punt denſi corymborum ferè modo, aut diuiſæ vmbellæ, vt in Hy-
perico, qui oblongò ſunt admodum tubulo, & quaternis foliolis di
uiſi, colore ſuauè rubentes, & ſuauiter olentes, Iaſmini ferè modo,
quibus etiam effigie & colore ſimiles videntur, verum magnitudi-
ne Phu Dioſcoridis; ſemina deinde relinquentes coaceruata, ſimul-
bina

Galium ... *mont.* ...

Cruciata muralis ...



Pp

1. Asperula cynanchica Sp. hist. Sm. fl. l. 198

2. Valantia muralis Sp. hist.

bina rugoſa vel aſpera oblonga, parum curua Phaſeoli modo, ſed Galij vulgaris maiora duplò vel amplius, atque cum ſiccantur flauicantia. Radicem verò habet longam craſſam fibroſam magnam reſpectu plantæ, lignoſam, foris ex nigro ruffam, intus alba, ex qua ſemipedales ſunt viticuli per terram ſtrati foliolis Rutaceis, vel Serpilli anguſtifolii quaternis denſioribus geniculis, vt qui caulem tantùm viderit florentem, & non plantæ reliquum, haud illam cognoſcere poſſit. In Collibus ſoli expoſitis Campoclarenſium frequens toto autumno, Vere germinat per terram repens.

Locus.

Galium nigropurpureum montanum tenuifolium. Cap. CXXIX.

Nominis cauſa. *Deſcriptio*

SVBDENDA ſuperiori hæc fuit, propter magnam cum Galio Vulgari cognationem, tametſi radix Rubiæ potius affinis, cum non minus rubentem colorem cartæ aſtricta relinquat: Quæ craſſa eſt admodum corticoſa lignoſa, foris rubeſcens intus lutea, ex qua plures turiones luteſcentes producuntur, in quibus viticulæ tenues admodum, ſeſquipedales ad ſummum, folijs per genicula octona Galio æmula ſed minora; in quorum ſummo frequentiores alæ, atque denſæ veluti panniculæ, florum onuſtæ nigropurpureorum vt Ellebori albi, ſed exigui admodum luteo Galio pares, ſtaminibus quatuor intus luteis, quibus defloreſcentibus ſemina bina teſticulorum modo, & congenerum colore purpuraſcentia ſuboriuntur, quæ deinde ſiccata nigra euadunt. Caules etiam ex nigro purpuraſcunt. Iulio florida & ſemine turgida inuenitur Æquicolorum via ad Flaminianum vel Cappuccinorum ædem. Iconem non adpoſuimus, cum breuitate denſitate virgarum & florum colore tantũ differat, effigie verò parum.

Tempus. *Locus.*

Cruciata noua Romana minima muralis. Cap. CXXXX.

Locus. *Deſcriptio*

IN Diocletiani Thermarũ ruinis, alijsq́. humentibus parietibus oritur plantula hæc dependens, viticulos plures habens ab radice tenui cannabini fili craſſitie pallente multis capillamentis tenuiſſimis diuiſa, quadratos circa radicem tenuiores, poſtea craſſiores, aliquando rubentes, vel in extremo hirſutos, denſis geniculis diſtinctos, in quibus foliola quaterna Rutæ minora, in Crucis modum diſpoſita, per angulos, vnde nomen: Inter illa flores emicant

ex

ex viridi pallents,etiam quaterni,tribus botribus ſinguli conſtructi,quorum imus in florem ſe pandit quaternis puſillis foliolis, vt vix diſtingui poſſit;etiam cum ſtaminibus internis.Quibus fructus ſuccreſcunt primùm hirſuti curui florem in imo demittentes, & perfecti deinde velut flores galericulati videntur, & duriores cum ſiccare incipiunt,veluti echinati conſpiciuntur, ſed non pungunt, quamquam aſperi tactu videantur.Caput quatuor aculeis diuiſum barbulas ſiue brachia vtrinque etiam in aculeos deſinentia,in medio pectus etiam aculeatum,ſubtus ventrem habentes extuberantem,in quo ſemen luteum rotundum paruum Panici modo;ab imo florere incipit, & fructus habere in ſingulis geniculis & foliorum interſtitijs.Maij initio floret & fructus Iunio perficiuntur & finitur.Sapor amarus atque acerbus ingratus.Flos apertus qui eſt botrus inferior pectus efficit,ſuperiores botruli bini parui ſunt veluti capita ſtaminum, qui brachia vtrinque formant, in illis dependentes cùm protenduntur. In parietibus humentibus & alijs locis Romæ toto Maio viſitur,Decembri verò exit. *Sapor.* *Tempus.*

Linaria tetraphylla lutea minor. *Cap.* CXXXI.

REDDENDA ſuæ familiæ plantula hæc verioris Linariæ ſiue Oſyridis congener,eſſet:quam,ob foliorum quaternum numerum Cruciatæ ſimilem quē habet hic deſcripſimus, & ad quinquefoliatæ Vulgaris,Tetraphyllam cognominauimus. Plantula eſt pedalis,exigua radice,viticulis multis,ſupinis aſſurgens,ſed caulis eſt rectus, geniculis ſingulis quaterna folia promens, in imo minora, atque è medio ad ſummum non quaterna,ſed alternatim ſingula & breuiora FoliaLini &Linariæ æmula,colore Braſſicæ, infernè canaliculata,cauli cruciatim erecta hærentia. Flores in ſummo, pauci, è petiolis breuibus prodeuntes,calycibus quinquefoliatis hirſutis inſidentes,effigie atque poſitu Linariæ Vulgari ſimiles,verum minores,atque luteſcentes. Fructus craſſi, rotundi ſex lineis diſtincti apicello in ſummo emicante: in quibus ſemen nigreſcens lunatum vt in congeneribus.Sapor idem amarus vt in alijs.Aprilis menſe floret &æſtate perficitur.Oritur in ijſdem locis tenuibus quibus Ionthlaspi lunatum Valuenſium. *Nominis cauſa.* *Cognomen* *Deſcriptio* *Sapor.* *Tempus.* *Locus.*



1. [illegible] arvense. L. Lam. 4. 355

2. Sherardia muralis. L. 149. Sp. [illegible]

4. Hippocrepis multisiliquosa, L. Lam. 3.132



3. Lathyrus tuberosus, L. Lam. 2.309

Aſperula muralis Verticillata minima. Cap. CXXXII.

Locus. Tempus. Deſcriptio. VETVTTIS muris innaſcitur hæc,& frequens in Caſtro, *Villa* dicto in Valuenſium montibus dodrantalis herbula. Maio mẽſe floribus & fructu onuſta inuenitur. Radice nititur exigua capillari,plures viticulos proferens, ab imo fruticans, anguloſos quadratos & aſperos: folijs per genicula ſenis, aliquando verò quaternis & quinis hærentibus Galij ritu; ſupra quæ ex caulis geniculis in rotæ ſpeciem,vt in Verticillatis plantis fructus prodeunt duplices,Aniſi effigie parui,hirſuti;quibus flores inſident admodum exigui,luteſcentes, quatuor foliolis conſtructi;Caulis aſper eſt denticulis perquam exiguts,& niſi lumini oppoſitis,haud propter tenuitatem & diaphanitatem conſpicuis. Folia etiam hirſutie tenuiſſima aſperiuſcula ſentiuntur.Sapore amaro eſt parum. Aeſtate fini-

Sapor. Tempus. tur & ſiccatur tota. Oritur & in ſaxoſis etiam locis ibi, ac etiam alijs locis vbi Parietaria & Vermiculatum Semperuiuum oriuntur. Ab imo ſiccari incipiunt folia, ſicuti florere & fructus perficere obſeruauimus. Hæc Plinij verius Alyſſum cenſeri poſſet, & pro eo à nobis proponi potuiſſet, foliis Rubiæ & toto habitu minor, fructu duplici inter folia, niſi illius hiſtoriam ſpuriam cẽſeremus: quemadmodum in noſtro phytobaſano diximus.

Ferrum equinum comoſum,ſiue capitatum, & alterum πολυκέρατον. Cap. CXXXIII.

INVISÆ nec deſcriptæ ab aliis videntur Plantulæ nec aſpernandæ propter raritatem, quas nunc proponimus, Harum altera, quia totius figuræ breuitate diſtat à Vulgata planta *Sferra Cauallo*,

Deſcriptio. Epithetũ. Varietas. Nominis cauſa. dicta; ſiue *Ferrum,aut Solea equina*, ac etiam ſiliquarum copia quas inter foliorum alas longo petiolo inſidentes, non vt in Vulgata hærentes,quaternas aut plures profert tenuiores ruffeſcentes incuruas,C,literam lunatam exprimentes,veluti reſupinas, iterũ nuper creſcentis Lunæ modo,vt magis innoteſcat; vtriuſque, Vulgaris ſcilicet quam ἁπλοκέρατον, & huius ramulum expreſsimus delineatũ quã ad differentiam πολυκέρατον cognominauimus. Alteram verò à copioſo fructu,quem in ſummo viticulorum profert, comã ſiue cæſariem repreſentante, *Comoſum, ſiue Capitatum Ferrum Equinum* appellauimus. Frigidarum regionum incola planta hæc

atque

atque Aequicolorum montibus, & ſyluula Capuccinorum. E radice craſſa lignoſa fibroſa nigricante, ſapore leguminoſo dulci fruticat, viticulis multis, parum repentibus & ramoſis; in quibus folia copioſa congeneri æmula pinnata, primùm tria, deinde vtrinque terna petiolis, poſtmodum quina, atque ſena, & aliquando in petioli cacumine aliud inſidet, vt tredecim numero inſint: quæ antequàm cauleſcat parua ſunt, rotundiora atque denſa, at in caule anguloſo deinde rarioribus geniculis hærentia, longioribus petiolis diſpoſita, maiora duplò imis, & ſimilia Vulgari, illiſque latiora, lõgitudine verò paria, magisq. longo petiolo hærentia. In cultis verò folia octona & aliud in cacumine inſidens inueniuntur; E ſummis folijs & caule longi producuntur petioli nudi ſemipedales aut longiores, in quibus veluti capitulum denſi flores inſunt in orbem dependentes, effigie Geniſtæ vel alterius Seruridacæ maioris Lobellij, Septeni aut plures luteo ſaturato colore, primùm ex luteo virẽtes, venulis viridibus depicti, quibus marceſcẽtibus veluti cirri aut ſoluta parùm intexta coma vndique circum producuntur ſinuoſæ in ſpiras ſiliquæ, atque incuruæ ad inuicem nutantes, vt in Clymeno, quæ paulatim craſſeſcentes magis alterius vulgaris plantæ ſiliquas imitantur, ſed non tàm incurua ſemina producit, vt circulum compleant, atque veluti perforata ſiliqua, vt in vulgari proſpiciũtur, ſed minus dimidio circulo, atque aperto diametro, & ſemina oblonga parum incurua. Iunio floret, atque Iulio & Auguſto perficitur. Quam πολυκέρατον appellauimus in Valuenſium montibus ſoli expoſitis tenuibusq. locis reperimus: atque etiam Cirinolæ. *Locus.* *Deſcriptio* *Tempus.*

Vicia Seſamacea Apula. Cap. CXXXIV.

RARIOR hæc non alibi à nobis viſa quàm Cirinolæ in Reguli Vinea *Acquamena* dicta, & ſterilibus agris quibus itur, folijs Viciam; fructu, ſiue corniculis Seſamum, ſylueſtremuè Nigellam, aut Iſopyrum æmulatur. Huius radix tenuis & puſilla lignoſa, flaueſcens, pluribus ſurculoſa cauliculis rotundis pedalibus, aut maioribus parum, albicantibus piloſis, folijs alternatim pinnatis Viciæ modo cauli hærentibus alternatim, nouenis utrinque petiolis atque in cacumine ſingulis, auriculas circa caulis genicula vtrinq. anguſta, vt in congeneribus habentibus. Inter illorum & caulis ſinus congeſti ſunt flores parui, leguminoſis adſimiles ex pallido albicantes vix conſpicui, atque ſtatim ex illis ſiliquæ ſex aut ſeptem; *Locus.* *Nominis cauſa.* *Deſcriptio*

ptem; vel octo ſuccreſcunt gibboſæ oblongæ albeſcentes piloſæ curuo cacumine Silueſtri Nigellæ, Iſopyro aut Seſamo ſimiles, fiſſuram grani tritici modo habentes, per quam ſiccatæ diuiduntur. Semine intus hærente Piſi vel Seſami modo fuluo paruo, minore atque compreſſo, ſapore leguminoſo. Maio mēſe perficitur; ab ima florere incipit ala, vt in imo ſiliquas perfectas, & in ſummo etiam adhuc flores edere, vel concipere habeat.

Sapor *Tempus.*

Ononis lutea ſylueſtris minima. Cap. CXXXV.

Deſcriptio PVSILLA hæc ſatis eſt, nec ſemipedem ſuperat caulis altitudine; è radice dodrantali nuda tenui nigra. Ex illa plures fruticāt tenues cauliculi veluti ſquamoſi auricularum cartilaginibus exiccatis, è quibus folia exigua vulgaris Ononidis modo terna, & per ambitum dentata, exeunt: inter quorum & cauliculorum ſinus quinquepartiti oriuntur ſinguli calyces reſpectu plantæ magni, rigentibus foliolis anguſti, oblongis, aculeatis conſtructi, in quibus poſt flores luteos exiguos, vt à calyce occludantur, ſiliquæ ſuboriuntur rotundæ atque oblongæ breues admodum, veluti Phaſeoli parua, ſemina renum effigie incurua parum & exigua. Auguſto in Aequicolorum incultis depreſſis aridis locis, è Villa Mercato via ad Molendinum. Differt ab alia lutea vulgari exiguitate, totius plantæ atque ſquamis cauliculorum & odore viroſo in hac nullo.

Tempus. *Locus.*

Arachydna Theophr. Cap. CXXXVI.

Etymon. NOMINIS etymon declarare videtur, atq. plantam delineare huius nominis Arachydnæ; *Aracus* ἄρακος enim, & ἀρακίς Cicerculæ ſpecies eſt, quam folijs & fructu refert: ὕδνον verò *tuber*, eſt, ex quibus nominibus compoſitum eſt nomen, ἀρακύδνη, & ſicuti ex duobus vnum nomen eſt conflatum, ita etiam, ex Araco ex tubere, mixta effigie vtriuſq. Planta inueniri debet. Quare ex leguminoſa familia nullā præter hanc quadrare melius nouimus. Radices habet venoſas ceſpite ſummo hærētes, longas, variè & latè ſparſas, in quibus tuberculi ſiue glādulæ ſunt foris nigræ, intus albæ Auellanæ nucis vel glandis magnitudine, Caſtaneis ſuauiores, dulces odoratas, quas pueri vomere erutas arationis tēpore colligunt, coctas atque crudas eſitantes. Iccirco non mirum ſi Plinius nec folium nec herbam vllam, aut quicquid aliud ſupra terram habere dixerit, ſed tan-

tùm,

tùm,ramoſas radices ac multiplices: in quo notandum eſt,nihil de veſca parte radicis dixiſſe, de tuberoſa ſcilicet, niſi ad Anthalij & Oeti radicis formam,& vſum legentes mittat,verborum cõnexione. Theopraſtus uerò fructum habere etiam ſupra terram aſſerit, quod Plinius tacuit, & illos binos partibus inter ſe oppoſitis, nec folium aut quicquid ſimile ſupra terrã ferre ait. Quæ &ſi in hac plãta non videantur quadrare vt illorum Hiſtoriæ congruat,& forſan mutila relatione, & non inſpectione atque obſeruatione plantam deſcripſerunt, tamen ſi Arachydnæ nomen habet, aliquid cum Araco cõmune habere debet,quod omiſerunt;ſed in Theophraſto legitur,Arachydnæ,& eius ſimilis Araco, ex quibus videtur plantam eſſe ſimilem Araco,quæ radices habet carnoſas etiam vt Arachydna,& deinde, neutrã folia gerere ait, ex quibus videtur nullam cum Araco poſſe ſimilitudinem habere, cum Aracus non habeat radices tuberoſas &ſi in omnibus leguminoſis,aliquid excreſcens in fibris veluti ſemina obſeruentur carnoſa. Iccirco non inſcite à nobis propoſitæ plantæ Arachydnæ nomen datum eſt; Huius rami procũbentes ſupra terram tres aut quatnor, bina folia oblonga ſubaſpera ſimilia Cicerculæ vel Araco habent, in clauiculas petiolo deinde ſe diuidente,auriculas circa caulis genicula oblongas,leguminoſorum ritu habentia,ex quorum finibus petioli oblongi prodeunt, in quibus flores Iunio purpurei Piſi æmuli, odorati cohærentes,qui deinde marceſcentes petiolo ſe producente ſeparantur, & ſi iquæ ſuboriuntur paruæ in quibus ſemen concluditur paruum. Quare ex his noſcere quis poterit an aliorum putata Arachydna aliquo pacto ratione nitatur, vt Arachydnæ nomen habeat. Hanc alij pro Apio ex Tithymalorum genere depinxerunt,alii pro Aſtragalo,ſed ex ſupradictis, & aliis à nobis in Aſtragalo quid ſentiendum ſit iudicare quiſque poterit, Notandum poſtremò dicimus, Plantam hanc Arationis tempore folijs carere, & radices etiam ſupra terram aliquando inueniri, quare non mirum ſi ab antiquis ſine folijs deſcribatur. Sed ſine folijs nihil Araci habere videtur, vnde nomen fuit compoſitum.

Nominis cauſa.

Deſcriptio.

Cotyledon alterum Dioſcoridis Cymbalaria verior. *Cap.* *CXXXVII.*

DIV incognita, atque ſub *Craſſula* vel *Fabaria* nomine fuit hæc,poſtremò verò pro *Thelephio* Dioſcoridis neſcio quibus

rationibus propoſita & recepta. Miramur etiam tàm Dioſcoridis claram delineationem, atque huius plantæ affinitatem cum primo Dioſcoridis Cotyledone, alios minimè cognouiſſe. Cuius propriũ nomen ad differentiam alterius Cotyledonis primò deſcripti, *Cymbalion* eſt, vt Dioſcorides ait, Cymba quidem piſcatoriæ vel portatoriæ nauiculæ genus eſt, quod huius plantæ oblonga & caua folia perbellè exprimunt, ſicut primum genus Cotyledon, folijs orbiculatis itemq. cauis vmbilicatis, nam huic longa folia & ouali figura linguarum modo eſſe dicuntur à Dioſcoride his notis, ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἶδος κοτυληδόνος, ὅ τινες κυμβάλιον καλοῦσι, πλατύτερα ἔχον καὶ λιπαρὰ φύλλα, ὡς γλωσσάρια, πυκνὰ περὶ τὴν ῥίζαν, οἱονεὶ ὀφθαλμὸν ἕνα μέσον περιγράφοντα ὥσπερ τὸ μεῖζον ἀείζωον. τῇ γεύσει στύφοντα καυλίον λεπτὸν καὶ ἐπ' αὐτῷ ἄνθη καὶ σπέρματα ὅμοια ὑπερικῷ. ῥίζαν δὲ μείζονα. ποιεῖ δὲ πρὸς ἃ καὶ τὸ ἀείζωον. *Eſt & alterum genus Cotyledonis, quod aliqui Cymbalion vocant, latiora habens & craſſiora folia linguarum forma, denſa circa radicem, velut oculum vnum medium conſcribentia, ſicut maius Semperuiuum, ſapore adſtringentia; caulem paruũ, & in ipſo flores & ſemina Hyperico ſimilia. Radicem verò maiorem.* Et Plinius; *Eſt, & aliud genus eiuſdem ſordidis,* [nos legimus ſolidis] *folijs latioribus denſioribusq. circa radicem veluti oculum cingentibus aſperrimi,* (quod enim falſum cenſemus, legendumq.) *adſtringentis guſtus, longiore caule ſed pergracili.* Quibus planta vulgaris *Craſſula* ſiue *Fabaria* dicta maximè reſpondere videtur. Radicem habet tuberoſam craſſam albicantẽ balbulis albis glãdiũ modo hærẽtibus, maiorẽ ſatis radice primi Cotyledonis Vmbilicati, quam Dioſcorides Oliuæ magnitudine facit. Nos illam Campoclari in ſaxoſis præruptis locis arcis; nedum vnicam paruam Oliuæ, quæ in nouellis eſt, ſed craſſam ad nodũ Scrophulariæ parẽ obſeruauimus, ac etiam maiorem eodẽ modo extuberantem. Folia huius oblonga quadrantem longa oualia caua craſſa carnoſa ſolida, colore ad cæruleum vel cinereũ ex viridi accedentia, per ambitum parum ſinuoſa bina cauli ex oppoſito abſque petiolo hærentia, ac antequam cauleſcat minora multum, atque denſa in orbem diſpoſita, cruciatim enim oriuntur, atque interna & nouella ſemper minora, vt vmbilicum, vel oculũ, vt Dioſcorides appellat, alterius primi Cotyledonis ritu exprimãt. Caules emittit plures bipedales tenuiores primo, læues rotũdi ſupini, vel recti iuxta loci aptitudinem per interualla binis folijs interceptus, latis interſtitijs, illiſq. ſemper decreſcentibus ad ſummum vſque, atque cauis vt Labri Veneris plantæ modo aquam

Nominis cauſa.

Lib. 25. c. 13.

Deſcriptio



2. Dentaria enneaphyllos

pluuialem contineant. In ſummo denſos habentes corymbos, velut orbiculatam vmbellam, qui in flores ſtellatos albos Aeſtate dehiſcunt, quinis foliolis conſtructos, ſtaminibus intus tenuibus luteis, quibus fructus ſuccedunt oblongi Hyperico adſimiles, in quinis etiam apicibus dehiſcentes perfecti, in quibus ſemina ſuperuacua, oblonga tenuiſſima vt pilus. Campoclari in Valle in ſaxis oritur frequens, ac etiam in Aequicolorum montibus, frigidis enim & vmbroſis gaudet. Guſtu aſtringit, vt primum genus cuius vice fœmellæ, non ſecus ac Semperuiuo maiore vtuntur. Quod Dioſcorides notauit. *Facit ad eadem quæ etiam Semperuiuum* In Plinio corruptè legitur; *guſtus aſperrimi*, atque poſtremò, *Vſus eius ad eadem quæ Iridis*, Sed qui corrupit primam vocem, & ſequentẽ oportuit, nam Iris aſpero guſtu eſt: quod iu Semperuiuo & Cotyledone maximè abſurdum videtur. Hoc etiam alij animaduerterunt commentatores. Huic Recentiores qui Thelephium fecere, calorem adiungunt imperceptibilem, vt illorum opinionem defendant. Nos autem à Semperuiui qualitatibus vix ſecernere audemus, vſu quidem firmatur, adſtringere & refrigerare vulgi experimentis, atque à primo Cotyledone hoc differt, quod diſcutiendi & extergendi vi minore polleat, nullum nouimus in hac amarorem, ſed aqueum & adſtringentem, niſi ſit imperceptibilis, vt alij dicunt. Galenus de primo Cotyledone ait tamquam de vno genere. *Cotyledon mixtam vim habet humidam ſubfrigidam, & quandam obſcurè ſub adſtringentem, & cum ipſa modicam amaram. Vnde perfrigerat, repellit, extergit & diſcutit*. Remedia à Dioſcoride excepit. Ex his igitur Vulgata Cymbalaria, Telephium, & alia nomina minimè vera repræſentare quiſque iudicabit. De veriore Telephio qui in vineis, calidiſq; locis illuſtratis oriatur, aliàs ſuo loco diximus. Fallitur qui ſiccam virgam plantæ huius viderit Hyperici comam ſiccam repræſentantem folijs denudato caule.

Tempus. *Locus.* *Vires.* *Sapor.*

Ceratia Pliny. *Cap.* CXXXVIII.

Nominis cauſa. *Lib 25. c. 8.*

CERATIA apud Græcos κεράτια, κερατεία, & κεράτιον ſcribitur, quod verbum *Siliquam* & *Siliquoſum* ſignificat, cuius Etymo & deſcriptione facilè quiſpiam reſpondentem plantam venari poſſet, quam Plinius ita deſcripſit. *Ceratia vno folio, radice nodoſa & magna, in cibo cœliacis & diſenteries medetur*. Huius nominis ety

mon

mon clarè demonſtrat plantam hanc è corniculis ſiue ſiliquis, in quibus continetur ſemen, ita denominatam eſſe, vt Corniculatum Papauer, quod Plinius *Ceratitin*, Græco more nominauit. Sicuti κερατωνία arbor, à ſiliquis quas profert edules, ita etiam dicta *Ceratonia*, nam ſiliquas κεράτια *Ceratia*, appellant. Quare ſi plantam ſiliquoſam fructu, radice craſſa nodoſa vno folio atque adſtringente qualitate inuenerimus, facilè pro Ceratia Plinij eſſe proponendam iudicabimus. His omnibus notis atque viribus reſpondere videtur planta à nobis depicta, à Dodonæo *Dentariæ* nomine, vel *Alabaſtritidis*, à radicis frequentibus nodis dentium modo nitidis, & à colore candido & læuore Alabaſtritidis lapidis modo appellata. Hæc digiti maioris craſſitudinem æquat, & etiam maior, nodoſa geniculata, veluti dentibus compoſita, læuis nitida tranſlucida, vt nunquam terra hæreat, vel illa infecta extirpetur, obliqua ſemipedem longa, raris fibrillis humo nixa, terreno nigro vliginoſo in montium vmbroſis ſeptentrionalibus humentibus frigidis niuoſis Campoclarenſium frequentiſſima. Folium emittit vnicum, aliquando cum floribus, aliquando illis carens, atque vidua, vt ſimul plantas inuenias flore carentes quæ non amplius anno illo flores aliquo modo emittunt, vt quis carere illis plantam dicere poſſet, niſi alias ſimul floridas conſpiceret; Quæ cum ab initio germinat ſic etiam cum florum botribus exit, quod euenit Ophioglоſſo, Epimedio, Aconito luteo hyemali, ſiue Theophraſti, & ſimilibus, quorum aliquæ cum flore, aliæ illis carentes illo anno inueniũtur. Hic parum aliqui hæſitare nouimus, qui differentiã folij non agnoſcunt, atque vt vno verbo vtamur; Illud propiè folium dicitur in plantis, quod integrum cum petiolo, & ſi lobis ſciſſum ſit multis, ab radice, vel ramo vel caule euellitur, vel per ſe decidere poteſt, ſiccatum aut marceſcens, vt in omnibus plantis obſeruatur quorum folia in lobos ſunt diuiſa, in Arboribus velut Fraxino, Sorbo, Nuce Iuglande, In Fœrulaceis & vmbelliferis ferè omnibus, vt Foerula thapſia Foeniculum Apium Smyrnium, In aliis herbis, Agrimonia Centaurio maiore Ranunculis, Iſopyro & omnibus quibus non vnum folium totum carnoſum vt Beta lapathum & ſimiles, nam & Braſſica appendices etiam circa petiolum habet, nec plura folia ſed vnicum erit, & ſi lacinatum parum ſit, ſic etiam in illis dicendum qui ad neruum vſque pinnata ſunt, vt in Sorbo & ſimilibus vt diximus in papauere Herculeo, Theophraſtũ referentes de ſorborum foliis, ***Decidunt verò non partes, ſed totum folium***

Etymon.

Lib. 20. c. 19.

Deſcriptio

penna

Lib.3. 11. *pennæ facie.* Quod de omnibus plantis plura folia vel lobos habentibus intelligendum videtur, non enim Sorbo decidunt lobi & petiolus remanet, ſed totum cum petiolo, ſic in Fœrula, Apio, Angelica nobis Silphium putata, de qua aliàs Deo dãte fuſiùs dicemus. Fœniculo, non pars, ſed totus petiolus in plures ramos diuiſus decidit, ſic in Pentaphylli ſpeciebus & trifoliis non unum ex lobis, ſed petiolus cum omnibus quinque & tribus foliolis decidit: Quare omnes illi lobi, ſiue folia, appelles, pro vnico folio accipiendi ſunt: quamquam confundi videatur hæc ratio à Dioſcoride, vt ſuprà, & aliàs notauimus in noſtro phytobaſano. Huius plantæ folium, quod totum cum petiolo ab radice intelligimus, in nouem lobos ſeſquiunciam latos, tripla longitudine, ternos ſingulis alis, diuiditur: vt in Hipposelino vulgari antequam caulem edat, pedali ferè petiolo rotundo rubeſcente craſſiuſculo hærens: in cuius vmbilico, vt in Hyemali Aconito, & Herba paridis, triuncialis vel maior producitur petiolus, in quo botri Aprili menſe denſi, qui in flores dehiſcunt magnos pallentes, effigie Rhaphani vel Braſſicæ maiores, obſoletos; quibus ſiliquæ ſuccedunt alternatim & rarius diſpoſitæ oblongæ triunciales aut trientales, nodoſæ parum, tenues, vtrinq. ſemina continentes quatuor aut quinque, atque Maio perfecta, diſruptis ab imo per ſe valuulis, atque intortis exiliunt; quod etiam tactæ faciunt, vt in Sio, Cardamine, & ſimilibus obſeruatur. *Varietas.* Huius variæ obſeruantur ſpecies, atque à Matthiolo ſine flore plãta pentaphylla depingitur, atque deſcribitur, quam poſtea Pena in Aduerſarijs floribus ornatam depinxit, at in Teutonica editione alias addidit tres ſpecies, quarum Enneaphylla huic ſimilis videtur quæ etiam trifida aliquando abſque flore exit. *Vires.* Hanc Plinius inter ea quæ aluum ſiſtunt enumerat. Dodonæus verò adſtringentem facultatem illi tribuit, atque inter vulnerarias herbas recenſeri à Neotericis refert, & ad interiorum viſcerum precipuè tamen thoracis, ac pulmonis vulnera, nec non ad inteſtinorum ramices commendari. Matthiolus verò inter Solidagines & ſymphita reponit, cui has vires tribuit, *Radix glutinat cohibet, roborat,* atque vulgaris vſus eſſe apud Germanos tradit *Saniculam,* appellantes. De hac apud alios antiquos nihil reperimus. His non ſolum facie vt demonſtrauimus, ſed viribus etiam Plinij Ceratiam referre poſſe plantam hanc ſatis oſtenſum videtur.

Ranun-

Ranunculus montanus leptophyllos Aſphodeli radice



Ranunculus chaerophyllos Sp. pl.

Ranunculus mont. leptophyllon Aſphodeli radice.
Cap. CXXXIX.

QVATVOR à Dioſcoride Ranũculorum enumerantur varietates, à Recentioribus quam plures, quibus hanc pulchram notamq. addere libuit, Collium Campoclarenſium admodum familiarem, atque Æquicolorum etiam. Autumno & Hyeme exit, è radice Aſphodeli modo pluribus bulbulis depẽdentibus, ſed Oliuæ magnitudine, atque etiam rotundiores in fibram tenuem deſinentes: Ex his folia ramis diuiſa fiſſa, primis Bulbocaſtani, vulgò dicti folijs æmula, in terram procliua, vel recta, petiolis hirſutis rubentibus, trientalibusq, & cum folijs ſemipedalibus ferè, in quorum vmbilico antequã caulis exurgat, floris botrus extuberat in medio viridis, Martio verò caule ad dodrantis longitudinem ſe protendente explicatur, & florem aureum ſplendentem pulchrum edit, quinque foliolis rotundis conſtructum luteis ſtaminibus medijs denſis, vt in Roſarum floribus. Quo defluxo caput remanet, quod perfectum oblongum eſt Oliuæ inſtar, aut magis productum, ſeminibus aduncis denſis cohærentibus, vt in congeneribus, minoribus multò & ſi caput æquale. Caulis verò hirſutus eſt, rotundus rubens ſingularis, rarò pluribus quàm duobus vel tribus alis diuiſus, in quo circa ſummum foliorum lobi maiores longioreſq. ſunt, breui petiolo hærentes alternatim; Martio floret, & Veris fine perficitur; loca amat pinguis herbida. Acris eſt admodum nec congeneribus cedit.

Locus. *Deſcriptio.* *Tempus.* *Sapor.*

Ranunculus alter ſaxatilis Aſphodeli radice. Cap. CXL.

FRIGIDARVM regionum incola hæc, ſaxoſis humentibus montanis, radice multis craſſis fibris ſummo ceſpite hærentibus, Aſphodeli modo craſſioribus iuxta radicis caput, ſemperq. decreſcentibus paruis, pollicis longitudine, multis capillaribus fibrillis immixtis. Petiolos edit cauos, & in imo latos circa radicem Vmbelliferarum ritu, alter alterum amplectentes, quibus folia inſident primum lata, duobus tantum ſerraturis diuiſa, deinde magis profundè, atque etiam in tribus lobis diuiſa, loboſq. tribus dentibus, atque tandem inciſa ad neruum vſque, vt tria folia videantur, illaque profundè inciſa, ac etiã dentata, ſemperq. maiora: vtrinq. hirſu-

Ranunculus ſaxatilis non aſphodeli rad: Ranunculus bulbous gramineus nemt:



hirſuta, infernè albidiora. Caulem Vere emittit rotundum hirſutum, ſeſquipedalem, alis diuiſum, in quo folia magis diuiſa & tenuiora & ſine petiolo: ex quorum ſinu alæ in quibus flores magni pallidi quinque foliolis vnguis magnitudine conſtructos, ſtaminibus intus luteis, fructus rudimentum virens circumdantibus Aprili menſe. Deinde longum caput ſquamoſum ſeminibus rotundis in apicem deſinentibus. Aequicolorum montibus propè D. Angeli ædem dirutam iuxta mœnia antiqua Saracenia dicta etiam obſeruauimus.

Tempus. *Sapor*

Ranunculus leptomacrophyllon bulboſus. Cap. CXLI.

Locus. Tempus. Deſcriptio

COPIOSVS hic Aequicolorum montibus ſupra D. Philippæ Antrum venerandum, Maio florere incipiens inuenitur. Radice oblonga ceruice, villoſo cortice nigroq. obducta exterius, ex qua duas vncias longitudine carnoſæ fibræ in imo craſſiores Filipendulæ paluſtris radicis modo, capillaribus fibrillis hirſutæ terram vndique obliquè amplexantes producuntur. Interius verò intra villoſum tegumentum bulboſa radix inuenitur Gladioli modo gemina, altera alteræ inſidēs vetuſtiori atque corroſæ parum præcedentis anni, ex quibus fibræ ortum ducunt. Folia huic prima duas vncias, quæ maiora efficiuntur & palmam ad ſummũ æquant, circa radicem piloſa, reliquo læuia, colore cinereo albicāte, per longum venis diſtincta; octo numero caulem cingũt dodrantalem iunceum, duobus geniculis, & folijs abſque alis diſtinctum, in ſummo virens caput habentem, quod florem dehiſcens luteum edit, ſplendidum, ſtaminibus denſis intus plurimis; calyce tunc etiam quinquepartito. Fructum deinde capitatum oblongum admodum ſquamoſum ſemine rotundo ſed apice roſtrato vt congenerum perficiens.

Ranunculus minimus Apulus. Cap. CXLII.

Locus. Deſcriptio

SEMIPEDALEM hanc minimam Cirinolæ in incultis agris humentibus obſeruauimus, radice puſilla capillari, caule Iunceo hirſuto parum, ſicuti foliorum petioli, oblongi reſpectu plantæ, in quibus foliola unguis magnitudine parui digiti trifida hederacea ferè diuiſura ſed ima parum inciſa, læuia. flore luteo in ſummo caulis Apuli. ſemine & capite vt congenerum paruo.

Tempus.

Ranun-

Ranunculus Aquaticus vmbilicato folio. Cap. CXLIII.

MAGIS affinitatem ſequentes, quàm effigiem, huc inſerendam cenſuimus hanc: ne ſimilitudine foliorum deceptus aliquis pro Cotyledone accipiat, atque vt vulgò dicimus, *feruentem aqua vſtulato addat*: Acris enim & exulcerans naturá cum ſit, contrario Cotyledoni verò refrigeranti efficacia magno detrimento experiretur. In paluſtribus ſtagnantibusq. aquis oritur hæc innatãs tenuiſſimis fibris limo nixa, è ſingulis geniculis repentis caulis rubeſcentis carnoſi exeuntibus; ex quibus folia prodeunt ſemipedalibus rotundis læuibus carnoſisq. petiolis in ſummo tenuioribus inſidentia, orbiculata læuia, per ambitum rotundis crenis diuiſa, Cotyledonis paria & admodum æmula prima facie, vt quiſque fallatur: ſed huic Maluæ modo circa petiolum diuiſa ſunt & aperta folia, [non vt Lobellius & Pena integra & vmbilicata depinxerũt,] & quinq. maioribus inciſuris partita, vt in Cotyledone. Flores in nudis petiolis carnoſis læuibus ſemipedalibus Ranunculo ſimiles, atque etiam capitula & ſi rotundiora, & ſemina. Acri ſapore eſt atque exulcerante: Quare non Cotyledon ſed Ranunculus appellanda effigie Cotyledonis, rotundifolius. Miramurque Penam & Lobellium pro Plinij Callitriche folijs lenticulæ ſupponere hanc Cotyledone maiora quandoque folia habentem nedum paria. Pro qua nos aliam aquaticam depinximus Neapoli in Sebeti paluſtribus obſeruatam, aquaticæ lenticulæ folijs binis in tenuiſſimis caulibus fructu iuxta illa tetragono: Sed nobis Plinius de Trichomane loqui videtur: ideo nec noſtra Callitriche habenda.

Nominis cauſa. *Vires.* *Locus.* *Deſcriptio* *Sapor.* *Lib. 25. c. 11.*

Ranunculus trichophyllon aquaticus mediolutcus. Cap. CXLIV.

IISDEM locis innatat & hæc, eidem familiæ connectenda: flore & fructu ſimilis, atque etiam acrimonia; Folijs capillaribus Abrotoni maritimi, vel Artimiſiæ leptohyllæ tenuioribus breuibus petiolis, repenti cauliculo carnoſo geniculato densè hærentibus, ex quorum cauis veluti ex folliculis, vt in Vmbelliferis thyrſuli nudi breues digitales producuntur elati, floribus quinquepartitis ſtellaris albis, ſed circa centrum luteis Iunio, vt medio luteo flore appelletur. Fructus deinde capitatus rotundus ſquamoſus ſemine

Nominis cauſa. *Sapor.* *Deſcriptio*


aquaticus feniculaceus
Calliſtriche Plinij
Ranunculus rotundifol: aquaticus umbilicatus



Saxifraga bulbifera Spec. nat.

Tempus. ſuccedit, rotúdior, atque paruus. Radice ex ſingulis imis cauliculi geniculis capillari prodeunte, vt in aquaticis innatātibus mos eſt.

Saxifragia bulboſa altera bulbifera montana. *Cap CXLV.*

DEPINGITVR à Recentioribus Saxifragiæ ſpecies, radice multiplici, bulbulis grano Tritici vel Coriandri ſimilibus, ex albo purpuraſcentibusq. inter fibras tenues, rotundis folijs hirſutis terreſtris Hederæ minoribus, aut Aſarinæ modo criſtata; caules villoſos pedales, & ſeſquipedales in quibus flores albi, poſt illos nullum ſemen obſeruarunt Hanc illi adiungere varietatem voluimus à nobis nunc primum obſeruatam, cuius radici non vt acini ſed veluti ſquamoſi bulbuli Lilij modo ſe propagantis ſunt, duplò ſuperiore maiores, foris rubeſcentes, intrinſecus, albi, primo guſtu adſtrigentes, poſtea amaro ingrato ſapore, paucis in imo fibrillis terram amplexantibus Folia huic minora rotundiora breuioribus purpuraſcentibus petiolis, piloſa, per ambitum rotundis crenis diuiſa, tactu gummoſa ſicuti caulis, florum calyces atque tota planta. Caulem craſſiorem parum hirſutum purpuraſcentem, cui denſa alternatim folia abſque petiolo per ambitum criſtata veluti Eufragiæ folia acutis crenis diuiſa, in quorum finibus bulbuli oriuntur, quibus propagatur, ſeminis vicem ſupplentes, citius enim ſati erūpunt, atque nedum in caulis folijs ſed in florum petiolis, atque iuxta flores ipſos, qui in ſummo caulis veluti corymbi vno ortu è caulis ſummo prodeuntes ramoſi petiolis inſidentes Aprili menſe, atq. Maio in quinque foliola candida dehiſcunt, calyces veluti cytinos hirſutos habentes, vel Hyoſciami quinque etiam oris diuiſos, in quibus fructus bicornes ſtaminibus pluribus flauentibus circumdati, qui perfecti per cornicula diſſecantur, copioſa arenæ inſtar minutiſſima ſemina nigreſcentia oſtendentes, ſuperuacua. Pratenſibus montium gaudet & ſaxoſis herbidis vmbroſis Campoclari, & Æquicolis. Congener videtur huic plantula illa muralis à Lobellio Paronychia rutaceo folio dicta flores quidem & vtriculos hirſutos eadem effigie & ſtructura ſicut ſemina proferre obſeruauimus.

Nominis cauſa. *Deſcriptio* *Sapor.* *Tempus.* *Locus.*

Orchis anthropophora Oreades. *Cap. CXLVI.*

Deſcriptio RARA atque elegans planta hæc ab alijs nondum obſeruata, nec deſcripta, non parum Naturæ ſpectandum mirum arficiū

nobis

nobis præbuit ſed mirandum: cum hominis quoque effigies in flore conſpici voluerit, nedum aliorum animalium. Atque non in omnibus plantarum generibus, ſed huic Orchidum familiæ tantum; in quorum floribus plurimæ animalium ſpectantur effigies. (quarum non paucæ in Lobellij & Penæ obſeruationibus ex Cornelio Gemma enumerantur; in quibus Auis, lacertæ Delphini, Apis, Veſpæ, Culicis, Papilionis Cimicis Muſcæ locuſtæ Cicadæ, Galeæ & thoracis militaris, & aliorum effigies; ac ſi fertiliores, generationisq. varietati aptiores eſſent iſtæ teſticulatæ plantæ, Orchides dictæ. Hæc autem nudi hominis, aut potius mulieris effigiem integram veluti vmbram imitare videtur, floribus caput habentibus trifido tegumento tectum, è quo dependent, in quo non ſolùm omnis humana proportio circumſcribitur, ſed & faciei ferè. Flores pallido colore, ac veluti arenulis aureis impeſſi micant: capitis verò tegumentum vireſcens purpureis oris circundatum. eodem quo cæteris modo flores in ſpicam per caulis faſtigium diſpoſiti circum dependent. Caulis ſeſquipedalis læuis rotundus duobus folijs interceptus cauis illum amplexantibus, reliqua ima folia quinque oblonga ſemipedalia ferè atque vnciam vel minus lata, virentia ſupra humum elata & conuexa, ex longa ceruice prodeunt, cuius imo fibræ exoriuntur quadrãtales craſſæ, variè & obliquè ſparſæ, quibus ſubſunt duo teſtes, quorum alter durus, læuis albicans iuſtæ oliuæ magnitudine, alter verò rugoſus pullus vetuſtior; vt in omnibus obſeruatur. Maio floret in montibus ſyluoſis Æquicolorum, loco illo deuexo propè D. Philippæ ſpecum honorandum. Hanc Montiſpolitianenſis quidam, *Donzella* ab effigie appellari ab ipſis retulit, ita Virgines vernacula lingua dicuntur, quaſi fœmellas nudas capite conuoluto, vt moris eſt illis die Sabbati caput lauare ac tergere, & vt magis deinde humiditas exiccetur, linteo capillos conuoluunt, donec rectè exiccata videatur. Capitis tegumentum in flore, quamquam trifidum videatur, habet etiam duo anguſta foliola, quæ niſi manibus aperiantur non conſpiciuntur.

Tempus *Locus.* *Nomen.*

Orchis Zoophora Cercopithecum exprimens Oreades. *Cap. CXLVII.*

SVPERIORI accedit hæc, non minus admiranda ipſa, quam Naturæ oblectamentum varias florum effigies efformantis, quaſi *Deſcriptio*

hiſce

Orchis anthropophora Oreades & Orchis altera Oreades Cercopitecophora.



1. Orchis anthropophora. L Sp. hist. Sm. fl. ii. 25

2. O. tephrosanthos. L Sp. hist. Sm. fl. 4. 16

hiſce luderet. Hęc autem omnibus ſui partibus ſuperiore maior eſt flore purpurorubente, qui niſi faciei magnitudine & oculorum deterreret animalis Cercopytheci cauda detruncata, quod referre videtur, maris hominis effigiem repræſentaret. At quia curua brachia admodum atque tibias habet, erecto Cercopytheci animalis iconem magis referunt, ſicut etiam monſtroſa facies. Eodem modo caput tegitur, quo ſuperioris. Huic teſticulus vegetus rotundus eſt, digitali diametro pollicis, fiſſuram Armeniaci mali modo habens: alter verò oblongior rugoſus, vt in congeneribus. Folia huic in imo tria palmaria duplò ſuperioris latiora, verum breuiora: reliqua tria minora caulem diſtingunt ferè bipedalem circa ſummũ rubeſcentem. Florum laciniæ in totum purpuraſcũt, at media pars animalis corpus referens, atque etiam tegumentum guttis eodem colore inſperguntur, nam dilutior eſt multum. Maio in Aequicolorum montibus obſeruauimus. Folia vtriuſque infernè albidiora, aç veluti argenteo ſplendore micant.

Cognominis cauſa. *Locus.* *Tempus.*

Orchis macrophylla. *Cap.* CXLVIII.

HANC minimè depictam à quopiam vidimus, quàm à longo admodum, & ſeſquipedali ferè folio, tertia vnciæ parte exempta lato, & acuto, *Macrophyllam* appellauimus. non enim ex flore denominationem propriam elicere potuimus. Huic radix vnicò bulbulo ſiue teſticulo inuenimus, nec melius obſeruare licuit, an gemino, vel vnico bulbulo ſit: colore fulueſcente, parum rugoſo, ſupra quem fibræ eodem colore, atque etiam per ceruicem aliæ dependent, quod in alijs non obſeruatur; [& forſan ibi bulbus nouellus concipitur.] Folia in imo duo, ſed nec paria, & per caulem diſpoſita, quorum longiora ſeſquipedalem ferè longitudinem aſſequuntur; reliqua minora pedalia, ac deinceps decreſcentia, verùm latiora. Caulis longus admodum tripedalis ab radice, in cuius ſummo flores inſunt obliqui veluti tubuli, longam atque latam baſĩ habentes, ſuauerubentes: at circa tegumentum, veluti folliculum magis purpuraſcentes; per caulem in longam ſpicam pedalem diſponuntur, quibus vtriculi magni ſuccedunt alijs ſimiles ſemine ſuperuacuo puluerulento.

Nominis cauſa. *Deſcriptio*



1. Serapias lingua.

Ornithogalũ anguſtifolium campeſtre luteum minimum bulbiferum



Hyacinthus aruorum Ornithogaloïdes. *Cap.* *CXLIX.*

NEVTIQVAM ab alijs deſcriptam aut depictam memoramus, hanc bulboſam plantam in agro Neapolitano frequentiſsimã eodem tempore cum Comoſo Hyacintho vulgari botryoſo florentem, eundemq. agrum diligentem. Radice magna paruo ouo pari, foris rugoſo parum cortice, atq. ex albo flauicante, ſubtus corollam fibris innumeris, quibus nititur effigiante, dodrantem infra terram obruta. Folijs ab radice tripedalibus læuibus, leuiter canaliculatis quatuor aut quinque; Caule ſupra terram bipedali rotundo læui, ex viridi albicante craſſo: à medio florere incipit ad ſummum atque, floribus alternatim diſpoſitis, magnis admodũ ſtellatis, triunciali diametro, ſenis folijs conſtructis latis; è quorum medio flos alius oblongus lagenulæ oblongæ effigie, oblongis foliolis formatus, bicornibus oris, luteo medio ſtamine, in quibus fructus occultatur, longo apice prominente. Flos totus eſt albus interius, exterius verò vireſcens Ornithogali more, limbum tenuem tãtùm per ora candidum habens. Virens exterior color ob tenuitatem folioſorum floris tranſmittitur, & auerſa interna parte dilutè apparet. Flores noctu clauduntur, atque etiam cum fructus perficiũt; quos Melonis effigie ſtriatos efformant, vnciali diametro, ſeſquiunciam longos, apice in ſummo flauicante longo. Semina intus copioſa nigra, diaphragmatibus diſtincta, Hyacintho æmula.

Locus. *Deſcriptio*

Ornithogalum bulbiferum luteum minimum tenuifol.
Cap. *C L.*

IN agris calidarum tùm frigidarum regionum primo Vere floret Ornithogalo aſſimilis planta hæc luteo flore, Februario menſe calidioribus, Martio verò frigidioribus. Semipedalis planta, radice bulboſa ruffo cortice intus albo bulbo, capillamentis Cepæ modo tenuibus admodum, folia duo tenuia Croci, vel Ornithogali, minora anguſtiora, pedali longitudine, caule triunciali, è terra non exeunte, ſupra quem thyrſi modo, vel Cyperi folia ſunt quina vel ſena graminea, tres aut quatuor vncias longa, in imo latiora, rubentia circa ortum; in quorum centro coacervati ſunt globuli inſtar Milij vel Rapæ ſeminis magnitudine, aut etiam maiores, flaueſcentes & purpuraſcentes, folia ſingula ſinguli emittentes, ſui

Tempus. *Deſcriptio*

pro-

proportione anno ſequenti. At inter foliorum ſinu, quæ bulbillos circundant petioli duo aut tres rubeſcentes triunciales prodeunt, flores habentes luteos intus, foris verò virentes, ſex foliolis conſtructos, ſtaminibus luteis, & apice in medio craſſiore, ex fructu prominente: qui paulatim in flore creſcit trigonus, ſupernè latior, ſeminibus intus minutis, arenæ inſtar, refertus. At bulbilli illi ſiccata planta, ex ſe ipſis in terram ſparguntur, atque in illa pro anno ſequenti ſeminis vice conduntur. Variat locis pinguioribus vt folia ſint latiora & plura, ſicut etiam flores, qui in petiolis alis diuiſis inſunt, atque in geniculo foliolum. Variat etiam quod folia illa circa bulbillos hirſuta & candidiora ſint, reliqua verò ex radice non differunt. Differt ab Ornithogalo luteo Lobellij nam illud folio eſt digitali latitudine, atque pedali longitudine, maioribus duplò floribus, itemq. bulbo, atque non in agris, ſed montibus & montium radicibus humentibus vmbroſiſq. ſponte naſcitur. Inuenitur alijs locis abſque bulbillis in caule. *Varietas.* *Locus.*

Chamæmoly an Moly Dioſcor. Cap. CLI.

CAVLIS longitudo cùm deſit, *Chamæmoly* nomen huic plantæ imponendum cenſuimus. Radice bulboſa parua nucis Auellanæ magnitudine flauo cortice duro obducta nititur. Folia quatuor vel quinque ab radice per ambitum hirſuta Autumno emittit Graminis forma, vt Dioſcorides notat, magnitudine inter ſe diſtantia, nam quolibet illorum alterum ſuperat gradu: maius verò folium non excedit pedem. Primo cœli minimo tepore non tantum Veris, ſed ipſius Hyemis floret. Decembris menſe in Sylueſtribus emiſit, illos folliculo ſimul incluſos inter folia terram tangentia, nec quicquam à terra caulis attollitur, ſed aperto folliculo ſeptem vel decem, aut minus, ſtellatos flores edit albos, purpuraſcentem dorſum, aut virentem, ſingula folia habentia, in quorum vmbilico fructus extuberant, apicem habentes, luteis ſex ſtaminulis circundanti: quæ ſimul cum florum foliolis marcida fiunt creſcentibus fructibus Piſi vel Ciceris magnitudine. Horum ſinguli in ſex partes ſiccati diuiduntur, quibus ſemina nigra ſingula anguloſa ſimilia vulgari Moly continentur. Februario & Martio perficiuntur. Huius fructus floribus euaneſcentibus vt Catanancis, in terram incuruãtur. Cirinolæ per ſemitas & agros non procul ab Oppido floruit Ianuario. Odor plantæ inter Braſſicam & Allium, non enim vt Vulgaris *Nominis Etymon.* *Deſcriptio* *Tempus.* *Tempus.* *Locus.*



Allium chamaemoly



Iris bulbocodium, L.
Sm. fl. 1. 245

garis nares acris odor ferit. Sapore in radice dulci, quæ dum flores emittit corticoſa multiplici duro cortice inuenitur. Et iam vetuſtior, ſobolem ex latere mittit. In Dioſcoride notatur vt folia ſint Graminis latiora tantùm, & radix bulboſa parua, & caulis quatuor cubitorum, quòd à Doctiſſimo Marcello Virgilio animaduertitur etiam, atque ſuſpicatur, quod error ſit in caulis deſcriptione, & textus corruptus, atque nos ratione dictante ſimiliter dubitamus fieri non poſſe, vt tam parua radix, & folia tenuia, quatuor cubitorum caulem emittere poſſint, qui iuſtæ Arboris altitudinem aſſequi videtur. Quòd ſi ita ſit, vt ratione ſubſtineri poſſe videtur, & pro, *cubitorum, digitorum*, reponeretur altitudo, haud dubio notis omnibus hæc planta Moly Dioſcoridis reſponderet; quatuor enim digitis ſub terra occultatur radix, à qua veluti caule ſupra terram flores producuntur.

Syſirynchium Theophraſti. Cap. CLII.

NON ſolùm ſuillo pabulo, bulboſæ atque carnoſæ radicis aptitudo, ſed roſtrata forma plantæ huius, roſtro ſuillo ſimilis, nominis cauſa fuit: Sic enim apud Græcos σισυράγχιον ſonat. atq. etiam Theophraſti notæ reſpondentes, qui inter bulboſas enumerat Syſirinchium, & deinde ait, *Peculiare ſyſirynchio datum eſt, vt vna radix primò augeatur hyeme, tùm ineunte Vere, quod in imo excreuerit contrahatur, ſupernumq́ creſcat quod manditur.* Et alibi, inter ab radice folioſas enumerat, atque bulboſas. Quibus reſpondere videtur planta illa per viarum margines herbidas Cirinolæ Martij initio; quæ radicem habet bulboſam, paruam Auellanæ nucis medullæ parem cortice Colchij modo obductam ruffo, qui facilè euellitur, rotunda forma oblonga verò, & inferius non vt aliæ bulboſæ, rotundam planam & fibroſam baſim habentem, ſed in oblongum productam, ſinuoſam & in acutum deſinentem Delphini vel ſuis roſtrum effigientem, læuem veluti arte elaboratam, ſuperiorē animalis manibulam imitantem, atque palati cauam partem: ex alia verò veluti inferiorem alteram mandibulam, quæ tenuis eſt & lata, mobilis, menti inſtar, ex lata in tenuiſſimis fibris diuiſa tandē denis veluti capillamentis, quibus terræ adhæret, & alimentum trahit: inter ambas verò, linguæ modo, carnoſa fibra rotunda longa exit, ex qua ſe propagare videtur, vt aliæ bulboſæ ſolent: & bulbus anno ſequenti efficitur. Cuius rei ſignum eſt cortex inanis bulbi,

Etymon · *Lib. 7. c. 13.* · *Lib. 1. c 16.* · *Deſcriptio* · *Locus.*

qui

qui ſupra vegetum bulbum paulò ſuperius inuenitur, vt depingitur. Fibræ pullæ diaphanæ vt Orchidum fibræ, non ſolidæ vt bulbus qui denſus durus albus ſplendidus eſt; Caſtaneæ immaturæ ſapore. *Sapor* Duas vncias infra terram occultatur, & ſupra folia emittit quatuor, quinque vel ſeptem inæqualia, tenuia dura carnoſa minora & breuiora Croci ſatiui, nec lata, ſed Xiphij modo tota dorſum, ſolida duriuſcula ſtriata. Binos emittere flores obſeruauimus ſtellatos inter folia terræ hærentes ſex foliolis conſtructos, ex folliculo exeuntes: quorum tria exteriora vireſcunt, vel Violacea ſunt, reliqua alba, & lineis tribus Violaceis per longum ductis depicta ſylueſtris Croci modo: minora etiam Chamæmoly ſuperius depicti, breuibus intus ſtaminulis. His marceſcentibus fructus remanet oblongus viridis Tritici grano par, trigonus, deinde duplò maior in quo ſemina turgent, & in ſuperficie propter cutis tenuitatem extuberantia apparent, ſiccatus diſrumpitur, & copioſa minuta rotunda, & flauentia oſtendit. Nouembris fine obſeruauimus in hac planta bulbulum emittere ſupernè, vt Gladiolus, qui tunc paruus admodum erat, duobus folijs emiſſis, atque Hyeme poſtea creuit, foliaq. alia emiſit: Quare Hyeme bulbum creſcere, & pingueſcere certum videtur: Æſtate verò contrahi exuccum, nam Vere fructus perficit Aprili menſe, cum floruerit Martio. *Tempus.*

Alterum Latifolium. *Cap.* CLIII.

HVIVS radix ſimili forma, ſed duplò maior oblongior, ac multiplici cortice nigrioreq. inferius barbata vt ſuperior, *Deſcriptio* ſed ex altera menti parte oblongus planus roſtratus & flaueſcens adhæret bulbulus. qui anni præcedentis erat, vetuſtior, cortice ſupra vegetum nouum bulbum relicto, vt in ſuperiore diximus, & in icone expreſſimus. Hic præcedēte ſuccoſior eſt, atque ſapore amaricante parum. Folia lata porracea breuia reſpectu latitudinis: læuia ſplendida, oris parum piloſis: fructu inter folia, & terræ hærente vt vix pramineat, & appareat, trigono vt ſuperioris, ſed maiore rubeſcente, in quo duodecim ſemina iuſunt, quatuor ſingulis angulis, craſſiora Orobi aut Viciæ ferè magnitudine anguloſo parum. Martio Cirinolæ via qua ad Acquamenam Vineam itur inter Orchides Sphegodes. *Tempus. Locus.*

Lichen Dioſcoridis, & Plinij ſecundus. Cap. CLIV.

Deſcriptio IN petris tophis & tectorum tegulis, arborumq. caudicibus calidarum regionum humentium atque depreſſarum prçſertim copioſum hoc Lichenis genus oritur, totum petris adhærens, ac veluti marina Patella adhæret, vel magis propriè Lichenis morbi modo cutem exaſperantis fœda cruſta; quam nos impetiginem dicimus, ita hoc rugoſum corticoſum criſpum orbiculatum circa extrema fimbriatum, colore viridante, flaueſcente, & cinereo vetuſtate petris adhæret; nec caulem, aut aliud quicquam ſimile edit ſed totum ſaxis adhæret vt Plinius clarè notat, qui ait, *Eſt & aliud*
Lib. 26. c. 4. *genus Lichenis, petris totum adhærens vt muſcus, qui & ipſe illinitur.* ad differentiam primi, quod folioſum dixit. Dioſcorides verò, *Lichen qui in petris naſcitur, quem alij muſcum vocant, muſcus eſt roſcidis petris adhærens.* Λειχὴν, ὁ ἐπὶ τῶν πετρῶν, οἱ δὲ βρύον καλοῦσι, βρύον ἐστὶ προσεχόμενον ταῖς ἐνδρόσοις πέτραις. Ex quibus differre videtur Lichen
Tempus. adhærens & folioſum. Februario menſe acetabula quædam emittere obſeruauimus parua Milij magnitudine, colore luteſcentia veluti botrulos muſcoſos ſericeos duros, parum eminentes coaceruatos albentibus oris, ſicut etiam cinerei: in quibus nullum ſeminis veſtigium vel aliud noſcitur. Non aliud videtur Lichen iſte, quàm terreſtris humor petræ adhærens, ex terræ & aquæ putredine vel muccoſitate, vt in humidis albis parietibus obſeruatur euenire.
Locus. In arborum caudicibus Pirorum maximè Romæ luteſcentem totam & cruſtoſa maiorem admodum obſeruauimus.

Lichen Plinij primus, Pileatus. Cap. CLV.

ETSI à Dioſcoride hic non deſcribatur, ab ipſius verò Etymo
Nomen. delineari etiam videtur: ſicut enim Lichen morbus cutem exa-
Etymon. ſperat, ita folium huius ſaxis hærens quodammodo referre videtur vel quia non modo ſaxis adhæreat velut Lichenis morbus, ſed quia Lichenis vitio cuti exaſperatæ ac foedatæ medetur: de quo Plinius
Lib. 26. c. 4. *Lichen verò herba his omnibus præfertur inde nomine inuento. Naſcitur in ſaxoſis, folio vno ad radicem lato: Caule vno paruo longis folijs dependentibus. Hæc delet ſtigmata, teritur cum melle.* &c. In qua deſcriptione animaduertendum cenſemus, verba illa, *longis folijs dependentibus*, niſi eiſdem in imo caulis hærentibus intelligantur


Lichen pileatus Plinij primus – Lichen Dioscoridis et Plinij secundus
caule
lichen acaulis

tur ex abundanti oratione, in herba alia non inueniri. Hæc autem in ſaxis aquoſis oritur vmbroſis Septentrionem maxime reſpicientibus, radicibus hæret ſericeis ſimilibus pilis, tenuibus admodum copioſis ſub folijs, quæ digiti ſunt latitudine, & dupla longitudine, vel maiore, ſupernè virētia, vel parum flauicantia, ſquamoſa, ueluti Serpentium cutis, aut Limacis, ſingulisq. ſquamis punctum in medio inſcriptum eleuatur. Florem non producit, quòd obſeruare potuiſſemus, niſi idem ſit cum fructu: Caulem ex parte folij extrema parum ſciſſa & ſinuoſa lunata, album læuem firmum ſuccoſum Iunci craſſitie, diaphanum: quatuor vncias longum habet, ſupra quem pileolus veluti Fungus inſidet paruus, in quinque partibus infernè diuiſus, ſub quibus fructus continetur. Pileolus primò viridis eſt, parum ad flauum inclinans, poſtea flaueſcit, atque demum ruffus efficitur; & partes illæ inferiores diuiſæ, fructum nigrum diſruptæ oſtendunt, atque apertis fructus decidunt, nigropurpurei ſuccoſi cum virides adhuc, ſiccati verò puluerem pro ſemine nigreſcentē fuliginoſum habere comperimus. *Tempus.* Martio menſe caulem edit. Aprili verò perficitur.

Lichen alter minor caule calceato ὑποδεδεμένῳ.
Cap. CLVI.

Locus. ISDEM locis gaudet hic, ſimiliq́ue modo oritur, minor omni ſua parte, quem ad differentiam ſuperioris minorem appellauimus, & caule *Cognominis cauſa.* ὑποδεδεμένῳ ſcilicet *Calceato.* Delicatiore folio eſt, atq. minore tenui admodum translucido, vt in opaco obſcurus videatur, *Deſcriptio* atque cum vetuſtius eſt, ex purpureo nigreſcat; læue nec ſquamoſum, ſed veluti è dorſo ferè vagina vel calceus fimbricatis oris parum eminens; *Tempus.* ex quo Martij idibus pilula exit Orobi magnitudine atrouirens, læuis lucida, quæ poſtea ſupra caulem quatuòr digitorum ſubeuntem emicat parum luteſcens, atque in florem dehiſcens luteum, quatuor foliolorum, intus quamplurima continentem tenuiſsima atque impalpabilia ſtamina. Caulis arefactus terram verſus demittitur, qui rotuudus erat, læuis nudus ſuccoſus diaphanus albus facilè tactu corruptibilis. Radix villoſa ſericea eſt, vt non ſubtilior inueniatur. Minor hæc quarta parte ſuperiore planta deſcripta.

Lichen alter acaulis ὑποφυλλόκαρπος. Cap. CLVII.

SIMILI cum ſuperioribus natali gaudet hic, eodemq́· tempore in muſcoſis & ſupradictis locis inuenitur. Minimum hoc genus, nam rarò parui digiti unguis magnitudinem æquat folijs. Viride eſt, punctis albidioribus extuberantibus aſperſum, vt aſperum uideatur. Floris vice ante fructum, inferna ſolij parte dum paruum eſt, vtrinq. nigras ex purpureo cartilagines habet, coſtarum modo vel ualuarum inter ſe oppoſitas, quas acie cultelli eleuare potes à folio differunt quod uiride eſt. Cum autem grandius, eſt, totum folium nigreſcit ex purpura, atque in extremo intumeſcit, fructumq. emittit Orobi magnitudine eodem colore, mollem ſuccoſum aqueo albicante ſucco; poſtea quid croceum emittentem, maturiorem effectum. Diſrupto cortice illo nigro, veluti pericarpium continet fructum intus lutea pelle cõtectum luteum puluerem continentem & ſi teratur ſuccoſum, atque digiti calore ſtatim humido illo exiccato, infectus digitus cernitur luteo puluere illo. Folium tenuiſſimis & quàm breuiſſimis albicantibus atque delicatiſſimis fibrillis hæret.

Locus.
Tempus.
Deſcriptio
Cognominis cauſa.

Muſcus Quernus fruticoſus τρυχόφυλλον, atque σκιαδικοτύλιδον δασυακτινοειδὴς. Cap. CLVIII.

MVSCVS iſtæ ab alijs non differt alio niſi quod veluti fructifer videatur, quod Antiquiores non deſcripſerunt. Vmbellas quidem ſingulis cacuminibus habet latas cauas vmbilicatas læues ſemunciales latitudine ad ſummũ, reliquas verò minores & ex Orobi diametro ad Auellanæ nucis magnitudinem variãtes vt plurimum; per ambitum densè radiatas atque hirſutas, Intus verò læues albeſcentes; radij verò longi admodum, vt diametrum vmbellæ ſuperent aliquando; inter quos hirſuties altera eſt denſior breuis admodum atque tenuior, per ambitum hærens. Color huic, ſicut vulgari, ex viridi cinereo. Fruticis inſtar arboreſcentis ramis diuiditur copioſis, caudice breui admodum, & nigricante In Quercetis Aequicolorum Maio obſeruauimus. Variat vmbelliis maioribus planioribus, & radijs multò diametro longioribus, ramoſis atque hirſutis.

Deſcriptio
Cognominis cauſa.



Muſcus [illegible] : alter leuis latifolius corallöides [illegible] Alter [illegible]

Muſcus alter Quernus latifolius coralloides ἄφυλλον. Cap. CLIX.

MAGIS cinereus & albicans eſt muſcus iſte, Corallij modo ramoſus vel Cornibus Cerui diuiſura, læuis ſplēdidus craſſis atque latis ramis veluti canaliculatis in ſummo eodem modo in latitudinem ſe explicantibus, rotundas vmbellas effigiantes læues planas, vel vmbilicaras in miaoribus maxima nō excedit Ciceris magnitudinem diametri, ſed plerumque Piſi æquat & iuxta illas rami ſiue petioli falcem adumbrant aut roſtrum. Simul cum antedicto in eodem loco, & quercus ramo hærentem atq. fruticantem inuenimus. Inuenitur & monſtruoſus effigie Cornucopiæ ab imo in latitudinem ſe diffuudens, atque ex interuallis per latiora cotylas habens paruulas non ſecus ac in ſummo, quam poſt congeneres depictos inuenimus, iccirco omiſſa eſt icon. *Cognominis cauſa.*

Muſcus alter πλατυπυκνοδασύφυλλον. Cap. CLX.

EST & altera ſpecies ſimul etiam ortum habens eundem, latis eodem modo atque planis folijs ſiue ramulis cauis etiam, ſed vtrinque hirſutis, vmbellas ſiue capitula potius huic cauo vmbone nigreſcens intus, limbo circundata aliquando dentato, ex cuius latere eodem modo falcata ſiue brachiata, ſed huic ramis diuiduntur. tota breuior colore cinereo candicante incaniore, non, vt ſuperior, aliquando pallente.

Fungi Pezicæ πεζικαὶ Plinij. Cap. CLXI.

ETSI multas Fungorum ſpecies à Recentioribus deſcriptas inuenerimus, hanc à Plinio memoratam minimè obſeruatam vidimus. Et quia propriam meruit delineationem ſicut nomen ab Antiquis, à nobis in medium proferetur, vt cum nomine res ipſa dignoſcatur. Quia ſine radice aut pediculo naſcuntur, quaſi pede carentes à terra minimè ſe attollentes πεζικοὶ & πεζικαὶ *Pezicæ* dicti ſunt. de quibus Plinius. *Sunt & in Fungorum genere à Græcis dicti Pezicæ, qui ſine radice aut pediculo naſcuntur.* A cæteris differunt forma atque alijs. Solidior his caro & calloſior eſt quæ non à ligni putredine, vel alterius rei, ſed à terræ pituita oriuntur. Horum *Lib. 19. c. 3.*

rum


Lupi crepitus Vulgo Vescie:
Fungus Quercin:
Fungi Pezicæ

rum ortus eſt, quando imbribus prægnans humus eſt locis non putridis & vliginoſis, ſed in ſolidiore terra, cui ita hærent, vt non niſi cum ipſa terra hærente in imo euellantur, vel diſrumpantur, cum leguntur. Pyxidum aut acetabulorum modo caui, profundo & lato fundo vt quatuor aquæ vncias maiores capiant; alij rotundo ore, alij inæquali circumferentia, & angulosa, trigona vel pluribus finibus, aut ſimplicioribus, vt lucernarum modo roſtrati, oblongi: carne conſtant craſſa ſolida humanæ auriculæ modò, albi exterius, interius verò purpuraſcentes, atque ita denſa & ſolida ſunt carne, vt aquam pluuialem multis diebus continere obſeruauerimus, vt in lapideis labris & cauis viſitur: nec marceſcunt duorum menſium interuallo. Fibrulas pro radice vix conſpicuas aliquot diligenter excuſſa terra è fundo habere comperimus Autumno Hyeme, atque Vere inueniuntur ſecus vias per agros, atque in fictilibus etiam nobis Neapoli exortos meminimus. *Locus.* *Tempus.*

Altera ſpecies. Cap. C L X I I.

EST & altera ſpecies congener iiſdem locis, carne ſolida ſimilis & velut Hepatica, aut Bryon folioſa criſpa, & conuoluta humo adhærens eodem modo nec putreſcit, ſed durat. Horum qualitas ſi Dioſcoridis & aliorum documento credendum ſit, non erit noxia, non enim tactu glutinoſi, nec humidi ſunt, non putreſcunt eruti, ſed multum durant, atque potius exiccantur. Horum vſus incognitus & neglectus. Sed aliam eſculentorum ſpeciem ad Pezicas referri poſſe cenſemus, quàm Campoclarenſes auidè expetunt, effigie dimidium Fungum & orbem præferentem, Agarici modo Fagorum caudicibus innaſcentem, atque hærentem, infernè aliorum fungorum ritu pectinatim fiſſam, quæ collecta & repoſita exiccatur & non putreſcit, quod innoxij ſignum eſſe cenſetur Fungi. *Varietas.*

Fungus Quercinus Dipſacoides. Cap. C L X I I I.

OCTOBRIS initio Campoclari in Quercetis humentibus poſt pluuias obſeruauimus hanc ſpeciem, quam ad differentiam *Fungum dipſacoiden* appellauimus. Totus albus eſt, præter pilei ſuperficiem quæ fuſco colore caſtaneæ operitur, verùm creſcente intus carne diſrumpitur, vt in corijs depictis euenit deinde vi extenſis, & maculoſa videtur: interna pilei pars pectinatim à centro ad *Cognominis cauſa.* *Deſcriptio*


Gramen echinatum tribuloïdes.
Gramen δυσαχυροφορον

circumferentiam deducuntur limbi vt in alijs : In medio verò petiolo aut circa ſummum, labrum ineſt, circa extrema ora fuſco colore, coriaceo, aſpero limbum habens, vt Dipſaci ſolia circa genicula hærentia caua, vnde nomen. Petiolus cauus intus in imo craſſeſcens & extirpatus veluti capitatus bulbus, in quo fibræ hærent alimentum è terra trahentes, & pars terræ herens nigreſcens parum & inæqualis inuenitur. Siccatur ſeruatus, nec putreſcit. Edulis eſt Sauonenſibus, vt nobis ab incola relatum fuit. *Vſus.*

Fungus Lupi crepitus vulgi effloreſcens. *Cap. CLXIV.*

VERE inuenimus hos rotundos glomeratos luſoriæ pilæ magnitudine aut maiores, radicem habentes in imo fibris diuiſam breuem. Candidi ſunt leues molles, veluti calce infectos, qui dehiſcentes per medium diſrumpuntur, ac veluti floreſcentes, ſpecioſum emittunt reticulatum concameratum globum, veluti artificioſum fœminarum Colum, multis angulis interſectis, cuius partes carnoſæ intus cauæ veluti arundinæ diſſectæ, in quarum cauis liquidum flaueſcens aut ruffeſcens humor fœtidus etiam longè, vt ſtercus fœtore & colore imitetur, quare non abſque ratione ab effigie & fœtore crepitus nomen acceperunt. Hos prætereuntes pedibus diuellere, antequem effloreſcant, inuentos moris eſt. *Deſcriptio* *Tempus.* *Nominis cauſa.*

Gramen δυςαχυόφορον. *Cap. CLXV.*

SPECIOSVM hoc genus Graminis ab alijs non deſcriptum proponere viſum fuit, vt quid de eo Antiquiores ſenſerint nobis incognitum hucuſque, alij dicant. Radice admodum tenui, æqualiter fibroſa nititur, capillari pallente ex albo: ex qua plures culmi exeũt ſupini denſè geniculati, folijs gramineis paruis, in ſummo binas ſemper proferentes ſpicas, ex vna parte, dorſo per medium diſcurrente, vtrinque pinnatas, ex alia verò quatuor angulis per longum, & in medio canaliculus tribus, aut quatuor foliaceis fructuũ ordinibus emicantibus conſtructis, in quibus paruum ſemen fuluum, anguloſum, minus Anagallide ſingulis cõtinetur. Spicæ verò è dorſi parte millepedam ſiue Scopolendram ferè æmulari videtur locum in quo hanc legerimus non memoramus, campeſtris eſt, & ſiccam ſeruamus pro noſtra memoria. Δυςαχυόφορον appellauimus, quia binas ſemper in culmine ſpicas profert ſpecioſas. *Deſcriptio* *Cognominis cauſa.*

Gra-

Gramen montanum echinatum tribuloides, capitatum. Cap. CLXVI.

Deſcriptio *Locus.* RARIOREM hanc graminis ſpeciem Aequicolorum collibus via ad Flaminianum è Mercato Villa Iunio reperimus, radice geniculis nodoſa, ex quibus fibræ tenues, folia, parua anguſta admodum prima, at quæ in caule oblongiora duplo, quorum media pars feſtucam cingit è geniculi nodo incipiens, altera verò vt in arundine & tritico recedit. & latior, lineis denſis per longum ductis atque in ſummo bifurcata, culmum habet tenuem admodum deinde, in cuius ſummo capitulum ineſt aſperum ſpinoſum ac pungens, fructibus compoſitum denſis, quorum corpus oblongum in ſpinoſam ſtellam inæqualem deſinit, radios habens quinque aut ſeptem, quorum medius ſuperior oblongior, deinde laterales minores, & reliqui minimi, colore pallentes ſiccati; in quorum corpore ſemen continetur paruum diaphanum triticeum Vaccino tritico dicto à Lobellio concolor. Flores vt in alijs, ſtaminibus pallentibus dependentibus tremulis. *Tempus.* Maio emittit, & ſterilibus locis in Valuenſi comitatu Anuerſæ etiam eruiſſe meminimus. Ad differentiam cæterorum Gramen appellauimus capitatum, echinatum, tribuloides, quia ſpinoſus vndique, attrectanti & calcanti non parum infeſtum.

F I N I S.

AQVATILIVM.

ET TERRESTRIVM

ALIQVOT ANIMALIVM,

ALIARVMQ. NATVRALIVM RERVM OBSERVATIONES.

Fabio Columna Auctore.

AD LECTOREM.

PAVCA hæc, Aquatilium naturam obſeruantibus excerpta, ab alijs minus animaduerſa, ſuperiorum Plantarum hiſtoriæ ſeiuncta reponere, atque adnectere voluimus. Addidimus etiam alia quædam de Inſectis, Reptilibus, Lapidibus, cæteriſq; rebus non inutilia, vt quid in eis amplius à nobis elaboratum eſſet, eo frui poſſes. Adeſſent & alia pleraque, verùm quidem adhuc alia inemendata, alia iconibus rei penuria exprimi minimè poterunt: alia iterata etiam egent obſeruatione, vt firmiorem de illis opinionem proponere poſſimus. Accipe igitur hæc, eo quo nos tibi candido animo libenrer offerimus. Quòd ſi accepta fore tibi intellexerimus, propenſiores in his indagandis poſthac futuros nos eſſe ſcito. Vale.

Mo. Bot. Garden,
1893


Aquilone
Altauela

PASTINACA MARINA LAEVIS ALTERA ὀξυπτερυδὲς Aquilone dicta. Caput. I.

DVAS alias Paſtinacæ marinæ ſiue τρύγονος obſeruauimus ſpecies, præter illam à nobis in noſtri φυτοβασάνου editione propoſitam, ab alijs minus animaduerſas; vel ſi eædem eſſent minus accuratè deſcriptæ, nimisq́; malè delineatæ fuerunt. Proponitur quædam à Matthiolo rotundo roſtro obtuſoque: altera quæ a Rondeletio ſine roſtro, veluti capite detonſo; Altera quæ à Bellonio etſi rectè depicta, affabrè quidem extorta effigie; nam ore illam depingit aperto, atque alis præter naturam ſemiretentis, nec in totum expanſis, quemadmodum non alio modo habere poteſt, atque ſupina parte; vt potius Veſpertilionem caudatum effinxiſſe videri poſſit. Has omnes Geſnerus in ſuâ Aquatilium hiſtoria repoſuit, picturarum diuerſitates potius, quàm animalium differentiam ex viuis obſeruans. Nos autem qui non ſolùm Aquilas, ſed Dracones aut Baſaliſcos, vt vulgò cenſent, atque dicunt, hiſce piſcibus ſicuti & ex Raijs affabrè effingere ſcimus demptis aliquibus; ore extenſo, ex imis pinnulis circa caudam pedem efformantes, caudam detruncantes, alijs conuoluentes, alas recidentes lunatis ſinibus, vel dentatis; ita vt varias, capite vario etiam efformato, effigies inanes effingamus; cartilaginem illam roſtratam ſupra caput, vel in totum recidentes, alijs veluti aures, alijs cornua, alijs vario modo reciſa: ventre, atque alis, magis aut minus carinatis. Cùm alijs noſtros labores aperimus; nihil fictum, aut quod falſum putemus occultamus, aut vero miſcemus. Nunc autem veram huius piſcis iconem proponemus, atque differentiam explicabimus. Differt hæc ab alia à nobis prætériris annis tradita, magnitudine, quam non ita magnam vidimus, caput habens elatum, magis porrectum circa roſtratam cartilaginem anteriorem, quæ in hac parum ſupereſt circa caput & rotunda: alas habet proportione maiores in acutum deſinentes anguſtiores, & longiores: quare ὀξυπτεριδῆ appellauimus: proportione dupla eſt ab alarum extremitatibus, corporis longitu-

dine ad caudæ radicem: Cauda etiam dimidio corporis longitudinem ſuperat in tenuem abiens; radio munitur parum infra caudæ originem, vt in ſuperiore, ſed propius; & pinnulam habet, quæ alijs deeſt. Colore non differt niſi magis & minus ob magnitudinem & vetuſtatem, qua nigrior efficitur. Huius caput admodum ſimile videtur vulgaribus auibus per aëra gregatim ſibilo ſtridenti volitantibus, domorum foraminibus circa tecta nidificantibus Æſtate; quos vulgò *Rendoni*, & *Rendenoni* appellamus. nam grande atque elatum videtur, colore nigricante, alis longis & acutis, quam Bellonius exprimere ſua icone voluit: rectiuſq; feciſſet ſi contrario poſitu illam pictor vt priorem delineaſſet, alas quidem expanſas feciſſet pagina non deficiente, niſi hoc data opera, vt miraculoſior, vt ita dicamus, icon videretur.

Paſtinaca marina altera τρυγὼν πλατεῖα Altauela *dicta*. *Cap. II.*

LÆVIS etiam hæc eſt, a ſuperiore, atque altera præteritis annis propoſita diuerſa, nullas habens ſquamas quod viderimus aut audiuerimus. Hanc Piſcatores *Altauela* vulgò Neapoli dicũt; atque, quod Ælianus refert, etiã aliquãdo volare, quod riſimus, retulerunt. Capitis effigie a ſuperiore non differt, niſi quod minus proportione videatur, nec ita elatum, atque minus in anteriorem partem protenſum, ſed infra alas remiſſius, atque multa cartilagine poſt caput ſuperante. Colore non differt; alarum verò effigie ab omnibus varia, & a ſuperiore latitudine obtuſiore circa extrema: cauda verò adeò breui, vt minor ſit dimidiò corporis longitudine, aculeum etiam habente magis caudæ initio propinquum dimidiata caudę longitudine, & aliquando duos in maioribus, quas vidimus, & exiccatam vnam retinemus. Qui ſemipedali longitudine, radij ſunt, eorum ſuperior, atque minor, medium habet decurrentem canalem, a ſummo ad extremum: inferior verò maior, & latior, tribus canaliculis maioribus ſtriatur. Omnes dentibus ad caudam reflexis ſerrati conſpiciuntur. Differt hæc, non enim vt illa, quæ cauda eſt aſpera, ita magnitudine, atque pondere creſcit. Totius corporis alati effigies non quadratum, vt illa, ſed rhombũ iſoſcelem repræſentat, eodem modo, ſicuti ſuperior; ſed hæc obtuſioribus latioribuſq; angulis. Huius caro non inſuauis eſt, facilè vẽditur, libẽterq. expetitur. Internis verò reliquis omninò cæteris ſimilis eſſe videtur. Hanc neminem hucuſque depinxiſſe vidimus.

Nomen, locus.

Stella

Stella marina altera ἀκτιανωμαλὴ echinata, ſiue Cometa marina. Cap. III.

LVSISSE Natura videtur, & in maritimis etiã quamplures ſpecierum effórmans varietates, in hiſce maximè inſectorum generibus, quorum pleræque differentiæ reperiuntur. Iccirco inter cæteras, hanc minimè ab aliquo depictã, vel obſeruatã, ni fallimur, proponemus. Stellarũ generi annumerãda & hæc debet, quãuis radijs ſit inæqualibus, atque ferè informis videatur, quapropter *Stellam ἀκτιανωμαλὴν*, ſiue *Cometam* appellare libuit marinam. Differt ab alijs, præter effigiem, quòd non quinque radijs, ſed octo ſit prædita, quorum quatuor breues admodum, triplò ferè; alij maiores, atque etiã impares. Semipedali eſt diametro, radios ex vmbilico craſſos latos admodum ratione magnitudinis, obtuſam habentes aciem, profert: illosq. aſperos, echinatos denſis aculeis, craſſis, atque breuibus proportione craſſitudinis eorum. Parte ſupina ijdem leues, canaliculati obliqua ſtructura compagis, atque vtrinque frequẽtiſſimos denſioresq. minutiores atque exiles aculeos in lateribus diſpoſitos habet ex vertebris prodeũtes: quibus illorum motus quoquo verſu aptus redditur. Aculeis tã internis, quàm externis vtitur, vt reſupinari poſſit. Colore ſuauerubente conſpicitur, odore ac reliquis a congeneribus nòn differt. Natat in aquis, & in ſicco repit aculeis radios mouens, quos recto, obliquo, ac flexuoſo motu contorquet. Inter alias marinas non deſpiciendas res, a nobis obſeruatas exiccatam retinemus, adhuc anno duodecimo iam præterito. Neapolitano mari vbi plures inueniuntur ſpecies captam habuimus. Reliquis corporis partibus, & naturæ vix a cæteris diſtare cenſeri poteſt. Addere nunc libuit, quod in noſtro Phytobaſano referre omiſimus, Stellam illam quam nos δεκαδασυακτινοειδῆ appellauimus, a Piſcatoribus Neapoli ob rubentem, & Croceum ſaturatum, atque etiam dilutum quem refert colorem, totoq; corpore cirriſq; dulci aqua iniectis inficit, *Zaffarana* nuncupari, Crocum ſcilicet. In aqua dulci coniecta, etiam viuens, illam croceo inficit colore, illum effundendo, quaſi diluendo, atque omnia quæcunq. deinceps madida tangat: ſicut etiam aliæ rubro ſaturato, vel diluto, eo quo præditæ ſunt tingunt: variant quidem colore, reliquis verò ſimilibus omninò. E mari retibus etiam integra, & viua exẽpta, non admodum viuit, eò quod viuens adeò ſe contorquet, quam ſi ex-

Nomen, delineatio.

Stella dicta Zaffarana.


Stella marina, echinata, ſiue Cometa.
Aſtacus marinus,
Leo Rondeletij.

ſi explicare velis, radij franguntur ob tenuem fragilemq́. compagem articulorum, atque moritur breui. Reperiuntur frequenter vario colore diſtinctæ, veluti maculoſæ; partes quidem cirrorum lutefcentes, aliæ albicantes, alię rubentes, aliæ pullo colore. Autũni fine, & Hyemis initio quamplurimæ quotidie retibus implicatæ è mari trahebantur hoc anno 1605, dum Neapoli moraremur paucis diebus: In arenoſis degit. Non pigebit hoc loco occaſionem nacti, eò quod ſimul retibus intorti trahebantur quamplures Hippocampi, eorum obſeruationem tunc temporis a nobis adhibitam maiorem cæteris communẽ facere. Hippocampi veri effigiem nec Bellonius, nec Geſnerus omnium poſterior, ac reliquorum collector genuinam propoſuit, relicta ea, quam doctiſsimus Rondeletius depinxit cirratam, tanquam fictitiam, cùm ab ijs longè aliena, præſertim a Geſnero fictitia, ac monſtroſa penitus videatur, pictoris arte extorta, non vt in illa Bellonij pictoris inſcitia. Hippocampi igitur vera delineatio, niſi obeſa nimis eſſet, a Rondeletio proponitur, nos enim quamplurimos vidimus, omnésq. graciliores obſeruauimus. Colore alij flauicant, luteſcunt, vel ſunt rubentes, nigricantes, purpuraſcentes alij parum ſaturato, vel obſoleto colore, alij varij, maculoſi, cinereis maculis, vel guttis reſperſi, alij ex albo flauicantes, guttis candicantibus depicti. Proportione verò alij capite ſunt oblongo, ac etiam roſtro: alij obtuſiore breuiore; ſic etiã collo ac pectore variantes, non minus ac equi quadrupedes terreſtres, quorum alij cæteros proportione exactiores & ſtatura ſuperant. Alij cirroſi, & admodum prominentibus iuncturarum nodis, alij vix extuberantibus illis, & ijs quibus obſcurus maximè color eſt. Cirros habent alij, qui & rariores inueniuntur, ſupra oculos binos, in medio fronte vnicum: ſupra caput quatuor: in temporibus ſingulos vtrinq.: in collo binos: poſt quaternos nodos alios binos: & in ſummo colli propè ventrem totidem: poſt illos pinnam habẽt in dorſo: & poſt pinnam alios binos: Reliqui deinceps nodi magnitudine alternatis intermedijs breuibus, excellunt ad caudæ extremum vſque. Pinnas habent alias auricularum vice, & in illarum loco, quas retro atque ante agunt vibrantes, tremulasq́, impellunt, vt natare poſſint; quo etiam tempore illam dorſi pinnam dilatant explicando, ac vibrare conſpiciuntur. Os aperiunt ſæpè veluti anhelantes, ac extra aquã extollentes, ſonitum quendam ſiue crepitũ excitantes. Interiora quæ vidimus hæc ſunt. Guttur, hepar magnũ reſpectu animalis; ſplen, inteſtina, etque etiam oua, binis folliculis

Hippocãpi veri deſcriptio.

ſiue

ſiue lobulis rubentibus, turgida, minuta, rubentia, arenoſa effigie & magnitudine. Colore hi ex flauo albicantes inueniuntur, & varij cinerei, guttisque candicantibus reſperſi. Exiccatum habemus ex cirroſis etiam, inter cæteros colore diuerſos memoriæ, ac diuerſitatis notæ cauſa. Habuimus etiam eodem tempore paruam aliam Aſtaci marini ſpeciem, maiorem illa, quam exiccatam habebamus duplò, cui ſimilem effigie pro Leone marino depingit Rondeletius, an eadem ſit dubitamus, quare iconem expreſſimus, & hiſtoriam proſequemur. Differt ab illa Rondeletij hiſtoria; Is enim flauo colore ſuum Leonem eſſe deſcribit viuens, quem forſan non vidit, & ideo Leo appellari; noſter verò colore niger fuliginoſus viuens erat mortuus deinde, ac ignis calore exiccatus rubens euaſit; quemadmodum cruſtacea reliqua ſolent. Brachia longiora tribuit, quorum ſciſſura maior, quàm in vllo Cruſtatorum genere, pro corporis ratione. Noſter brachijs longioribus proportione corporis, nec ita tenuibus, vt ab illo depinguntur, ſed duplò latioribus, aſperioribus, & ſquamis compactus cælatis, illarumq; circumferentia hirſutis, quod in alio genere non obſeruauimus: & inſuper chelas habet minus ſciſſas illarum ratione: nam Aſtaci maritimi & fluuiatiles dimidia proportione ſciſſas habēt: huic verò minus ſui dimidio ſciſſa conſpicitur chela, vt quatuor portionum vel trium, tres aut duas æquet forcipis ſciſſura, illaque interna parte hirſuta, ac dentata in imo, & in ſuperna quoq. parte: non enim in acutum deſinunt forcipes, ſed trinis dentibus craſſiuſculis definiuntur. Dorſum depinxit, atque deſcripſit aculeis armatum per totum, quibus cum Locuſta conuenire ait. Noſtro quidem non in dorſi medio, vt in illius icone, ſed latera tantum, quæ ſupernam ſuperficiem dorſi terminant, inciſa ſunt, atque dentibus ſerrata. Corpus & cauda obliquis lineis cælatur, illisq́. tantùm villoſis, ac pedibus, præter nouiſsimos exiguos. Quibus nunc hiſtoria & pictura differat vtriusq́. collatione patebit. Exceptis quatuor biſulcis pedibus figura maximè Aſtacum fluuiatilem, ac marinum maximum refert; quem pro Ariſtotelis Aſtaco & Plinij Elephanto idem Rondeletius depinxit, & Bellonius etiam, vt ex eius hiſtoria patet; quamuis illius icon tranſpoſita fuerit Typographi, vt cenſemus, incuria; ſub Cammari nomine: & Locuſtæ icon fuerit Aſtaco ſuppoſita, quæ Aſtaci hiſtoriam præcedere debebat, vt Locuſtæ effigiem repræſentaret ſuo loco, de quibus Bellonius arguitur. Fateri cogimur malè interpretatum fuiſſe verba illa Plinij, *pedibus biſulcis*, & quaternos intelligere: ſed non

Aſtaci marini ſpecies, Leo Rondel. ei differētia.

Aſtacus Ariſt. Elephantus Plinij.

Lib. 33. c. 11.

tam

tam acriter erat impugnandus,eò quod idem Animal eſſe Aſtacum Ariſtotelis,quod Elephãtum Plinii,& quod Leo ab Æliano,dixerit. Varia quidem nomina a diuerſis Auctoribus impoſita fuiſſe ſatis ex eorum hiſtoria colligitur.Nõ enim Ariſtoteles Leonem & Elephantum habet, quem Plinius ex aliorum ſcriptis inter cruſtata enumerat: quo loco non habet Aſtacum, & alibi vbi Aſtacum recenſet,non habet Elephantum.Quare nõ idẽ Æliani Leonẽ, & Plinii eſſe ſequitur,niſi Plinii Aſtacus & Elephantus idem ſit:quemadmodum idem eſſe Aſtacum Ariſtotelis, & Plinii Elephantũ Rondeletius aſſerit:quis ergo erit Aſtacus Plinii? Non erit igitur hic Æliani Leo,nec à Rondeletio depictus, quamuis paruus, & minor Locuſta:nunquam cæruleo colore vidimus,nec nigris maculis, ſed totũ nigrum. Nec inter nobiliora cruſtacea vt Elephantus,ſed inter ignobiliora,& ignota reiicitur à noſtris Piſcatoribus,nec inter edules venditant. Nec Plinii Leonem ab Æliani Leone differre cẽſemus,cum à diuerſis Auctoribus nomina & hiſtorias exceperit: ſicuti nec Aſtacus & Elephantus Plinii erit: atque hæc obiter à nobis nũc ſint relata,meliorem de his, aliiſq. aliquando ſententiam prolaturis.Huius pedes omnes ἀκαμψώνυχοι ſunt,in acutum Locuſtæ modo deſinentes,& reliquorum Aſtaci. In lapidem verſam habemus huius Aſtaci ſuperiorem partem in Campoclarenſi arce exciſam,cũ aliis ſaxeis maritimis rarioribus. Decurtato brachio icon Aſtacum exprimit ob anguſtiam.

Leo Æliani.

Lib. eod. c. eod.

Lib. 9. c.31.

Concha maxima marmorea exotica imbricata. *Cap. IV.*

INTER concharum genera omnia, quæ nobis videre contigit hucuſque, & alij recentiores deſcripſerunt, nullam conſpeximus maiorem hac a nobis nunc depicta:quare maximæ cognomen meruit, ac ob teſtæ craſſitiem, grauitatem, atque duritiem, *marmoream* denominauimus, ſicuti & Muricem Rondeletius. Illuſtri nota ab alijs ſecernitur, quia ſeptenis tantùm a ceruice ad os ductis diſtinguitur magnis ſtrijs, totidemq. ſtrigibus, inter ſe magnitudine paribus; alternatim ad inuicem oppoſitis, cùm occluditur teſta. Concha biualuis eſt, figura oblonga,per obliquũ ceruicis ab vno latere longiore. Clauicula magna ceruici adeſt elata,atque altera exigua admodum circa extremum conchæ, parte breuiore,canaliculis illis ſubiacentibus,quibus alterius conchę,vel teſtæ pars clauiculæ reſpondentes connectuntur. Contraria verò

Deſcriptio cognomen.

maioris clauiculæ parte, ſeptem conſpiciuntur inciſuræ, ſcalarum ritu decreſcentes, quæ pars circa ceruicem ſe dilatans reclinat; atque auris modo, quæ Pectini eſt, non exerta, ſed infra conchæ craſſitudinem producitur. Linea locus quem Animal occupat conchæ internus, ac magis pallens definiri videtur; colore deinceps per ambitum circa ora candicante marmoris politi modo ſplendido. Externa conchæ parte ſtriarum additamentis craſſis tota exaſpera redditur, quibus tegularum & imbricum modo, alia ſuper alijs ſuper addita videntur; quapropter *Imbricata* dici meritò poteſt. Striges verò lineis tantùm exaſperantur denſioribus, ſinuoſis, obliquè decurrentibus ab altero ad alterum conchæ extremū: magnitudine & finibus imparibus, iuxta ſtriarum, ſtrigiumq. magnitudinem, atque craſſitiem: at circa ora quidem ſinu & circulo pollicari amplitudine vndoſæ conſpiciuntur; iuxta ceruicem verò minimo admodum. Ab ea parte, duas vncias craſſitie ſuperat concha; circa ora in tenuitatem abit. Qua carne animal præditum ſit, ignorare fatemur; non enim niſi inanem teſtam vidimus, atque Romæ habuimus, vbi venalis eſt ad fontium vſum atque ornatum; a quibus & aliæ exoticæ maritimæ teſtæ ad eundem vſum haberi ſolet. Quapropter Oceani maris eſſe non dubitamus, aut ſaltim
Lib.32 c.6 ex pelagijs. An autem hæc ſit Oſtrea Tridacna, de qua Plinius meminit, quia maxima ſit, pedalis longitudine, ac etiam maior vt obſeruauimus, aſſerere veremur: ibi quidem de veris ſpecie Oſtreis loqui Plinius videtur, nec aliò, præterquam magnitudine inter ſe diſtare. Niſi *Oſtrea*, generis nomine hoc loco accipere quis malit; ac ſi ὀστρακόδερμον, & ὄστρεον diceremus, quemadmodum Ariſtoteles appellat hoc, omneq. teſtaceorum genus. Eius verba,
Lib. 1. cap. 6. hiſt animal. ἄλλο δὲ γένος ἐστὶ τὸ τῶν ὀστρακοδέρμων, ὃ καλεῖται ὄστριον. Cuius nominis etymon a Galeno ſatis declaratur lib. 3. de alim. facult. Ὄστρεον Athe-
Lib.3. de alim facul. næus Lepadem agriam appellat, ac etiam Margaritiferam concham *Berberi* dictam, ἔστι δ᾽ ἡ μὲν ὀστρέου ὄψις παραπλησία τῷ κτενί. Quæ cum ex genere, vel potius Oſtreorum ſpecies videatur, & Indici magis indigena, ſicut Oſtrea Tridacna, vulgares Oſtreas longè magnitudine ſuperans; facilè illam, vel illi ſimilem Tridacnam eſſe Plinij ſuſpicaremur. Hæc autem non ſolùm tres edenti morſus præbere poſſe cenſemus, ob animalis magnitudinem; ſed etiā plures. Continet quidem aquæ pluſquam libram, vt etiam quindecim vncias capere obſeruauerimus: Differt hæc ab ea, quam Rondeletius imbricatam, & Tridacnam fecit, effigie oblonga contrario

trario modo, atque alijs; vt ex ſupradictis collatione quiſque percipere poteſt, ac etiam ex vtriuſque pictura.

Lepas agria, ſiue Patella ſylueſtris, & Maior exotica. Cap. V.

QVatuor Patellarum ſpecies a nobis hactenus obſeruatas meminimus, quarum prima, eſt illa, quæ vulgaris Patella eſt, frequentiſſima Neapolitano tractu locis ſaxoſis nitidioribus, in mari, atque venalis foro Piſcatorum. Illius effigies oualis eſt, teſta depreſſa per ambitum ſinuoſa & anguloſa, parum latiore in ſuperna parte iuxta ceruicem animalis, colore cinereo foris, intus liuente, parum ſtriata, ab omnibus nota & expetita, ac deſcripta. Altera quam exoticam, ſiue Hiſpanicam dicunt Neapoli, maior eſt quatruplò, vt binas aquæ vncias capiat, craſſa teſta ac dura, ampla caua magis profundè, ſtrijs elatis ac craſſis admodum, & in angulos deſinentibus, ac extra circulum oualem productis, quã Oſtracitem Diphili eſſe ſuſpicamur, de qua Athenæus: τῶν δὲ λεπάδων φησὶν ὁ Δίφιλος, τινὲς μὲν εἰσὶ μικραὶ, τινὲς δὲ καὶ ὀστρέοις ἐοικυῖαι. *Lepadum, inquit Diphilus quædam ſunt paruæ, quædam verò Oſtreis ſimiles.* Nos paruas, vulgares facimus; quamuis enim magnæ & paruæ inueniantur ex eadem ſpecie; non ſunt maiores, Oſtreis conferendæ; vt ſecunda a nobis dicta exotica Patella; quæ grauis craſſa, dura, rugoſa, propter maximas ſtrias, illasq; aſperas; vt vix malleo vno ictu frangatur. Tertia verò omnium minima picturam æquans primã duritie ſuperare videtur, magis exactè oualẽ exprimit figurã ambitu, dimidiamq. explet profunditate; gibboſior quidem omnium eſt, in ſummo perforata, ouali etiam paruo foramine, quo excrementa egerere poteſt; colore cinereo exterius, lineisq; exiguis admodum depicta, ac per obliquum aliquando zonis intercepta: interius candicante leui; iuxta foramen linea circumſcribitur, ac etiam iuxta ora locus, quem animal occupat viuens; qui idem eſt cum vulgaribus, ſed minus: odore viroſius, atque amarum; quapropter a Piſcatoribus neglecta eſt: ſicut & in herbis euenit ſylueſtribus, quæ minus cibo aptæ ſunt, & ingratiores vrbanis. Hac de cauſa magis hanc ſylueſtrem cenſemus eſſe Patellam à Græcis, λέπας ἀγρία dictam, quam ita ab Ariſtotele deſcribi reperimus. τῇ δ' ἀγρίᾳ λεπάδι ἣν τινες καλοῦσι θαλάττιον οὖς ὑποκάτω τοῦ ὀστράκου ἡ περίττωσις ἐξέρχεται· διὰ τὸ ὄστρακον. *Patellæ ſylueſtri, quam*

Lepas vulgaris.

Lepas maior exotica.

Lib. 8.

Lepas agria.

Lib. 4. c. 4.


Concha maxima marmorea imbricata exotica
prona
ſupina
Lepas agria
Buccinum hirſutum
Lepas maxima ſtriata
ſupina

quidam marinam aurem appellant, parte ima teſtæ excrementum egeritur, perforatum quidem eſt Oſtracum. Quare autem marina auris appellata fuerit ab aliquibus, niſi quia aurium quadrupedum more ſit in medio caua, atque perforata, ignorare fatemur. Littoralibus ſcopulis euulſimus Neapoli inter muſcum, quo ſcopuli operiebantur, & illa delectatur, in quibus vnda ſæpe allidebat, non enim ſemper ſcopuli mare operiebantur. Non eſſe Patellam ſylueſtrem, Oſtreum illud, quod a Rondeletio, alijsq. poſt eum pro Lepade agria depingitur, & a Neapolitanis *Patella regale* denominatur, quia vnionum vel argenti modo intus ſit candida & ſplendens, atque cibo grata; peruia teſta multis foraminibus, volutis aſpera, æque ac Patella vulgaris ſaxis adhærens, eadem ſimilitudine animal illam occupante, non paucis rationibus dubitamus. Primùm quidem, quia quamuis idem effigie animal contineatur, non mirum; cum & turbinatis, genus ampliſſimum, ac varietate copioſſimum, vt vix obſeruari queat, idem effigie contineatur, magnitudine & colore diuerſum: & tamen longè ſpeciebus atque nominibus diſcrepant: Præterea Oſtreum hoc longè a Lepadis effigie variat, illæ quidem in ſummo dorſo acuminantur, veluti è centro ad ora lineis & ſtrijs diductis. Hoc ab ima voluta pluribus contorquetur voluminibus Cochlearum ritu, nec parte illa media, quæ *κίονια* Græcis dicitur (non autem vt perperam a Rondeletio ſcribitur *Ἰόνια*, & a Violis interpratationem extorquere conatur,) qua orbes deducuntur in volumina, vt Dioſcorides declarat, & commune eſt omnibus turbinatis, caret; imò conſpicuè obſeruatur in caua teſtæ parte; quamuis prima facie ſimplex concha videatur; nec in medio dorſo extuberat, ſed in volutarum initio: quare lõgè differt à Patellarũ cortice, quod nõ minima eſt differentia, nec paruifacienda. Purpuræ, Buccinorum Stromborum, ac reliquorum generum ex turbinatis in teſtæ differentia ſpecies notatur, alioquin ex animali interno vix niſi colore & magnitudine differre inter ſe videntur, quare hanc potius turbinatis, quàm ſimplici conchæ, & vniualui cenſemus annumerandam eſſe. Accedit quod non vnico, ſed pluribus foraminibus peruia eſt teſta, quod ab Ariſtotele tacetur, nec illa in ſuperna teſtæ acie, qua reliquarum Patellarum papauer continetur & excrementum, ſed in anteriore parte circa ora perforata conſpicitur, quo loci potius branchiarum more ad aquam inferendam, & reiiciẽdam aptiora, quam ad egerenda excremẽta, cum illa iuxta voluta in magis caua teſtæ parte

Patella regale.

Lib. 2. cap. de Buccino.

parte contineantur, atque illa Cochlearum aliarum ritu egerere, melius eſt cenſendum. Quapropter non acriter repræhendendus videtur Petrus Bellonius, qui hanc teſtam Aporrhaïdem cenſuerit, [eò quòd ex turbinatis cenſeatur, quod non expreſſit,] ſed quia Patellarum modo ſaxis hærere certum ſit, vt de Aporrhaïdibus, & Neritis tradit Ariſtoteles; de quibus & toto turbinatorum genere aliàs Deo dante dicemus. Nos autem potius, quia humanis auribus accedat effigie, & pulchra ſit concha, argenteo vnionum nitore & vario corruſcans, ac ſuaui carne, *Veneris aurem* dici poſſe cenſemus, Græcis ὠτάριον, ſiue οὖς ἀφροδίτης vt ab Æolibus vocari ſcribit Athæneus, à noſtris Piſcatoribus ob illius præſtantiam *Patella regale*, quia Regis menſa ſit digna, non minus dignum nomen, quod Veneris auris, Æolibus, iam noſtris obſoletum.

Lib. 3.

Buccinum Villoſum. *Cap. VI.*


ELEGANTIAM hirſutæ tunicæ, qua Buccinum hoc opertum, inuſitato aſpectu nobis redditur, minimè ſilentio inuoluendam duximus. Neapolitano mari captum viuum animal habuimus poſtremò Neapolim reuerſi, paucisq; diebus immorati. Concha eſt ſemipedalis longitudine, ſex voluminibus definita, ore mediocri, ouali; breui tubulo excedente, margine vndoſo ambitu inciſa; ſex canalibus diſtincta flauentibus: extuberantibus intermediis partibus, veluti dentatis, colore purpuro nigreſcentibus, lineis candidis per longum decurrentibus, magisq; extuberantibus, quare aſperũ os redditur. Ex aduerſo circa tubulum ſex aliis extuberantibus parum albis lineis, medio purpurascente colore, cæteris etiam quibuſdam per oris reliquum indiſtinctis. Vndique concha cartilaginea cute ex viridi obſcure flauente veſtitur, & per longum frequentibus interſtitiis limbis emergentibus, pectinatim inciſis, longis dentibus, ſiue capillamentis mollibus decurrentibus: circa os verò denſioribus atque ex aduerſo etiam latere: quapropter Buccinum villoſum appellare libuit. Animal intus erat ouali operculo abſconditum, cornea ſubſtantia, ex nigro rufleſcẽte, tenui: Sed in vas aqua marina repoſitum noctu vagans obſeruauimus pluries, atque illi hærere Cochleæ modo. Sẽtire, olfacere, ac forſan videre dici poſſet, accedentibus nobis lumine, vt melius animal contemplaremur, impetu quodam ac repente comprimebatur vaſi ligneo hærens, ſonitum quatiendo propter citam adhæſionẽ. Colore erat luteſcente

pallido

pallido quampluribus maculis ſiue guttis purpurouiolaceis, denſis, Lentis magnitudine, ac maioribus aliquibus oblongis, minimis quibuſdam intermediis, atque cohærentibus, lineis ac maculis quibuſdam croceis intermediis. Cornicula & corpus Limacæ modo habebat, ſed cornicula in acutum deſinentia globulis ſummis carentia, quibus iter tentabat, non minus ac corporis imo limbo carnoſo, quem protendebat ex latere dimoto operculo, & adhærebat vaſi accedens: tunc enim ampliorem ac latum reddebat, vt in Cochleis & Lepadibus obſeruatur. Tactum à nobis impetu adhærebat, vel operiebatur non adhærens. Carne intus candida nec dura erat. Nouembris menſis fine habuimus anno præterito 1605. Detracta cartilaginea cute ſtriis obliquè exaſpera teſta, & ornata conſpicitur: teſtam apud nos inanem ſeruamus, & alias quamplurimas à nemine hucuſq; obſeruatas & depictas.

Χελώνισκος, ſiue Χελωνέχινος, *Teſtudinatus Porcellio, vel Teſtudinatus Echinus, exoticum animal.* Cap. VII.

Ὄνος ſiue Ὀνίσκος aliqui, κυβαρὶς & πολύπους ὄνος, vt ab Ariſtotele, Theophraſto, Dioſcoride, Galeno, Scribonio largo, aliiſq; deſcribitur, inſectum animal eſt paruum fuſcum, aut ſubcineritium, multorum pedum, cute dura; quod ad contactum conduplicatur contrahens ſe in orbem, vt pilula appareat: Latinis dicitur *Cutio, Multipeda*, & *Porcellio*, quemadmodum Cęlius Aurelianus illud appellat, & Marcellus Empyricus. Plinius confundens Multipedam Centipedam, & Millepedã; Oniſcum & Scolopẽdrã deſcripſit: ὄνος & τύλος miſcens: hic piloſus, non ſe contrahens, & arcuatim repens: ille verò leuis, à cutis duritie ſiue callo *Tylon* appellatus, & vt pilula in orbem ſe contrahens: quod proprium eſt animalis illius, vulgò etiamnum Porcellii nomen retinens; *Porcelletti*, & *Porcellucci*, Deſcriptio
Neapolitanis. Huius naturæ, vt ſe, timidus contrahat etiam in orbem, ex notis nobis animalibus, terreſtris Echinus, Latinis *Erinaceus*, vulgò *Riccio terreſtre* appellatus, eſſe videtur. At cùm hoc anno 1606, inter quædam alia teſtacea, huius exotici animalis inanẽ teſtam omnibus inuiſam ac ignotam, Romæ venalem habuerimus, in σιδηριωπωλιτοῦ cuiuſdam domo inuentam; atque ex eius contemplatione, glutinatis fragmentis quibuſdam, eiuſdem naturæ fuiſſe animaduertimus: cute verò ſiue potius teſta oſſea, Teſtudinis compagem referre. Ex vtriuſque animalis, conflatum nomen aptauimus,


Χελωνέχινος.
Χελώνιον.
Concha carinata
Buccinum variegatum exoticum

mus, proprium ignorantes, vtriusq; naturam exprimens: atque χελόνισκος à Porcellij & Teſtudinis nomine, & χελωνέχινος ab Erinaceó medio ſumpto vocabulo appellari placuit. *Nominis etymon.* Huic igitur exotico animali, à nemine quòd reperimus deſcripto, ita Naturæ induſtria compacta eſt eius oſſea teſta, vt quàm facillimè, eodem quo Erinaceus, & Porcellio ſolent inſtinctu, apta ſit, atque poſſit conglobari: totum intus animal occludens, vt ab externis inſidijs atque periculis tutum conſiſtat. Nam præter orbicularem formam accipiendi naturam, & ſe occultandi, dura ac planè oſſea teſta ita munitum videtur, vt aliorum auimalium dentibus, & lapidibus impellens reſiſtere abſque iniuria poſſit. Animalis igitur extrema effigies hæc eſt. Duplici hemiſphærali teſta contegitur, quarum altera lunatum habet effigie oblongiore inanem anteriorem locum, veluti oſtium, quo caput animalis exeri, & contrahi ad libitum poſſit. Altera verò, qua poſteriora continentur; & caudam ſi haberet ad vſum contraheret; ex oppoſito ſimili foramine, ſed dimidio longitudine minore eſt exciſa; ea parte arctioribus teſtis. Vtræque verò loricatis tabellis quatuor connectuntur, atque capiti proximæ cæteris ſuper impoſitæ, cartilagine quadam tenui ad contractionem, & extentionem, eorumq; motu apta colligantur, vt Animali contracto, atque occluso exerantur, extenſo verò, & gradiente compreſſæ contrahantur, & parte dimidia vel amplius occultentur. Omnes hæ ad ambarum teſtarum cardines, veluti ad axem deducuntur, atque maxillarum ritu adhærentes vtrinque mobiles, inferiori teſtæ imbricatim incumbunt. Contracto animali, teſtæ globum efformant, magnum, humanæ caluariæ parem, Antirrhini fructus effigiem æmulantem. Superna teſta lunatam foraminis ſuperiorem partem qua collum animalis adhæreret corio, obtuſiorem habet atq; craſſiorem. Inferna verò acutiorem, tamquam definitam, ignobilemq; partem tenuem, cui nihil hæret: interius quidem & parum infra extremum teſtæ, oſſea eminet circularis extuberantia interna ſæpiens, qua poſteriora definiri putamus, vel caudam ſi habeat, hærere; atque teſtæ limbus remanet, vt in Oniſci poſterioribus obſeruatur, cute parum incluſis. Teſtæ omnes exagonis pentagonis, quadratis, alijſq; quibuſdam paucis figuris, oſſeis ſquamis ſemiunciam latis compactæ conſpiciuntur; illæq; tuberculis exaſperæ, tenuium dentiũ æmulatione ac duritie. Pars caput contegens, circa dorſum ſinuoſa linea, & in medio contracta definitur: hinc inde parum ad latera producta, iterumq; ad clauiculæ ſitum contracta, vt motui

tabellarum,earumq; contractioni,vel productioni aptior redderetur. Tabellæ verò fimbriarum ritu, per longum ſquamis diſpoſitis coniunguntur,elatum limbum obliquè percurrentem habentes,linea definitum, corioq. tenui contecto, qui dum animal exeritur contrahitur, ſimulque tantundem fimbriarum occultat illas retrahendo. Alterius teſtæ pars inferior ſiue poſterior, quæ maior eſt, recta terminatur linea,ſiue limbo in clauiculam deſinente,corioq; obducta etiam,nec vt in ſuperna capiti proxima,detecta, & in fimbrias deſinente. Superior quidem pars tabellas intra ſe recipiens, ſuperpoſita conſpicitur,ſicuti tabellæ inferiori parti, quamuis ipſius ſuperioris teſtæ clauicularum pars hærens, digitali menſura ab inferiore teſta paulatim deficiente,occultetur. Teſtæ color ex albo palleſcit Eboris modo,lucem illi obiecta tranſmittens oſſium ritu. Vt coniectari licet,paruo capite, breuibus pedibus, nec ventrioſo admodum corpore membranacea cute obductum animal interius eſſe ſuſpicamur:nec admodum extendi, ac potius gibboſum ingredi:vt ex teſtæ connexione clauicularum colligi poteſt. Huius deſcriptionem addere huic volumini placuit, vt ſtudioſi, & exoticarum rerum magis inſtructi, literis, vel ſtudio,locorum propinquitate,aliâue comoditate notitiam aſſequuti, exactiorem nobis hiſtoriam,& naturam reſcribant; pro communi ſtudioſorum vtilitate,noſtroq; faueant huiuſmodi deſiderio.

Buccinum exoticum variegatum læuius. νηριτώδης. Cap. VIII.

ET hanc elegantem Buccini ſpeciem exoticam apud σιδηριοπωλίτην eundem habuimus Indicæ conchæ nomine, quam a tenuitate, ac leuitate qua natat aquis impoſita; νηριτώδη cognominauimus; A coloris rubri, ac rufinigropurpuraſcentis variè in ſpiras per longũ ductis latis maculis, *variegatam*; Teſta quidem dodrantis ferè longitudinem æquat dimidia proportione extuberans in medio, alba, læuis, ac ob tenuitatem illius leuis admodum, quæ pauca innatet aqua; ore amplo, vt facilè media pars,columella ſcilicet,quæ κίονα Græcis dicitur,auferatur;ſicuti & illis ablatis emimus ac vidimus; quam ideò abſtuliſſe cẽſemus, vt vaſorum vice ad potus vſum apta redderetur, Teſtæ pulchritudine allectos. Parte interna ab extremo columellæ ad imum oris rubente colore diſtinguitur, ex qua deinde primus volutarum ordo maior,qui albus eſt,maculis per longũ ductis ex rufo nigro purpuraſcente colore,ac ſinuoſis vel in ſpiram

Cognominis cauſa.
Deſcriptio.

ductis

ductis depictus conſpicitur:inter reliquos volutarũ orbes, qui ſeni ad ſummum ſunt,tenuis limbus obliquè rugoſus defertur,ſuaue rubentes,atque circa nouiſſimum magis ſaturo colore rubentes,maculis verò minus nigreſcentibus,atque ad extremum vſque magis rubentibus,minusque conſpicuis,ob tenuitatem , & coloris nigreſcentis diminutionem.Tota teſta lineis ſiue rugis quamtenuiſſimis per longum eſt ſignata , verùm illam minimè exaſperantibus , nec oculis aut manibus moleſtis.

Concha carinata rarior. *Cap. IX.*

RARIOREM hanc cæteris non ſine magna in his ludentis Naturæ admiratione contemplari contigit : quippe quæ non paucis à cæteris conchis effigie differre videatur.Candida eſt concha, oblonga,iuglandem nucem corticoſam æquantem,elato dorſo, in acutum deſinente, nauicularum carinis ſimili, circa verticem tenuiore , magisq; producto , clauum nauiculæ imitante puppi hærente,ad illam recuruo.Huius ceruix non in ſimplex extuberat caput , quemadmodum in cæteris obſeruatur , ſed in duas diuiditur apophyſes;illasq; contrario modo ſe colligentes,in clauiculas ſiue capreolos contorquentur; ſinum ſiue vmbilicum intermedium relinquentes:Turbinatorum volutas imitantes.Dorſi linea in alteram partem magis inclinat,vt informis videatur. Strijs per longũ ductis eſt ornata externa parte,circa marginem imbricata duabus additionibus:latiore verò parte læuibus tuberculis dorſo proximæ quatuor ſtriæ aſperiores redduntur:ſtrigæ quidem intermediæ punctis admodum exiguis excauantur . Interna parte canaliculata leniter, margine Pectinum ritu parum vndoſo . Alteram tantùm Conchæ partem habuimus, illamque ima eſſe cenſemus,atque maiorem;reliquam incumbentem breuiorem, ac tota ſui parte minorem putamus:quam aliquando inuenire maximè cuperemus . Præter binos cardines cochleatos , alium habet circa anguſtiorem teſtæ partem *ſτγſλυμωειδῆ*, quare tribus cõnecti cardinibus obſeruatur. Hanc ex his quas Plinius refert,niſi ad eius genus referatur , quod *vertice muricatim intorto* retulit;aut *in dorſum elatis*:cùm ita elato hæc ſit dorſo,vt carinata videatur , vertexque Turbinatorum modo contorqueatur ad cardines , minimè illius verba feciſſe exiſtimamus. Animaduerſione quidem dignum hoc loco Plinij textus nobis viſus fuit, ibi, *toto latere connexis,ad plauſum apertis*,verba *Lib.9.c.33*

illa, *ad plauſum apertis*, ignorare fatemur, atque *ad clauſum aptis* vel *ad clauſum apertis* legeremus: nam & quæ toto latere conne-ctuntur, vt Solenes, & Pelorides quodãmodo, circa extrema aperta ſunt, niſi *ad clauſum aptis* legatur, & opponatur, *ad Buccinam recuruis*, quæ non ſunt cluſiles, ſed apertæ vt Nautili ſpecies, & ſimiles: quemadmodum ſupra dixit, *toto latere connexis*, ad differentiã præcedentium, *breui nodo ligatis*, vt ſunt Mytuli, Pinnæ & ſimiles: vel dicatur ad *clauſum apertis*, & declarentur per verba *ad Buccinum recuruis*: quibus operculum eſt negatum. Nec de vario genere teſtaceorum hoc loco Plinium loqui, vt Rondeletius aſſerit, cenſemus, ſed de Concharum tantummodo genere & differentia, non enim Turbinatorum notæ aliquæ declarantur, quibus illorum genus comprǽheſum agnoſcamus, nec verba illa, *ad buccinum recuruis*, vt ille ait, cochleas & Buccina comprehendunt, verùm concharum differentiam & varietatem ad Buccini modum recurua ceruice intelligimus: aliàs impropriè loquutus videretur, & plurimas Turbinatorum notas omiſiſſe, quas recenſiſſe opus fuiſſet: nec Buccinum, per eiuſdem notas declarare docti hominis videri poteſt.

Vrtica marina ſoluta rarior, Velella, *dicta*. *Cap. X.*

VERIS cœli tempeſtatibus, in quibus præter pluuiam, ingens Auſtrorum impetus maris aquas euertens attollit, inq; littora alta perſundit, hanc arenoſis in oris copioſam atque innumeram inuenimus eiectam: Aprili menſe ni fallimur anno poſt editionem noſtri φυτοβασάνυ. Sereno tempore noſtris littoribus nunquam conſpicuam. Ob illius naualem effigiem deiecta vela, *Velella*, vulgò à noſtris piſcatoribus dicitur: quaſi paruum velum. Inſectum animal eſt ſolutum, amæno cæruleo argenteoq; colore mixtis ſpecioſum, & eleganti naturæ ſtructura formatum. Ouali effigie corpus eſt, planum tribus vncijs longitudine, vnius latitudine, pluribus denſis biniſq; lineis circumductis rugoſum: argenteo ſupernè ſplendore, atque diaphanum; infernè verò cartilaginem habet tenuiſſimam, veluti quæ poſt corticem Ouo ſubeſt: cuius extrema ora cærulei ambiunt cirri digitali longitudine denſi tenues carnoſi, ſucco cæruleo turgidi, qui diſrupti cartam & lintea inficiunt, quibus graditur, natat remorumq; vice expanſis vtitur, & apprehendit illos retrahẽs: atque tunc cæruleum corpus apparet cirris corporis centrum petentibus. In dorſo verò per longum parum obliquè erectam habet

car-

cartilaginem tenuem diaphanam rigentem Antennæ vice, argenteo aut Talcheo læuore atque colore, in medio magis elatam, in acutum prominentem, atque vtrinque ſinuosè deſinentem, vnciali etiam altitudine: quam altera linea ex latere obliquè etiam producta per corporis ſuperficiem, veluti coniunctam ſignat, corpusq; X, figurâ inæquali deſcribit. Has non minus quàm congeneres à Rondeletio depictas eſui cibo aptas eſſe referunt, atque illas in ſartagine oleo frigunt, farinæ polline prius obductas. Oriri dicunt ex Cochlea Ianthina quam proximè deſcribemus, nos autem ipſos piſcatores decipi putamus, quia eædem cochleæ ſimul cum his ab æſtu maris in littus eijci ſolent.

Vermis marinus προβοσκιπλέκταιος. *Cap. XI.*

INTER teſtacea & inſecta annumerari poteſt animal hoc in tubulis degens oblongis, quamobrem pro Penicillo aliqui depinxerunt, cum innumeros exerat cirros tenuiſſimos, quibus inſectum admodum eſt: nec admodum rectè, ſi idem eſſet, deſcripſerunt; ſicuti effigiem minus accuratè delinearunt. A tubulo, quem in medio cirrorum habet acetabulo in ſummo præditum Proboſcidis modo, Vermen προβοσκιπλέκταιον appellauimus, vt ex nomine delineari ferè videatur. Eo quidem tubulo in acetabulum deſinente, quem pro collo & ore inſeruit, aquam cibumuè haurire cenſemus, vnciam longo, tenui albo fiſtuloſo: acetabulum verò rubrū eſt atque ſtriatum. Circa illud innumeri ab imo exeunt cirri tenues admodum, atque piloſi, qui facilè marceſcunt mortuo animali, atque niſi aquæ innatent non explicantur. Poſt illos in corporis initio veluti Piſcium pinnæ dorſo hærent, corpus circundantes, atque vtrinque in ſex aculeos deſinētes: ex illis deinde reliquum in duas vncias longitudine protenditur, in acutum deſinens, circa initium pennæ ſcriptoriæ ferè craſſitudine. Cirri rubri ſunt, & luteis maculis diſtincti, vt pulcherrimum quid, naturæ oſtentum, atque in diuerſo viuentium genere formando eius dos conſideretur. In corporis dorſo nigra linea ad caudæ terminum vſque producitur.

Neapoli in ſcopulis habetur: intra tubulos degit vel rectos longos, aut intortos conuolutosq; candidos læues atque firmos:-

Hippo-


Vrtica marina
soluta
Vermis marinus
Cochlea marina Ianthina
Lepus marinus maior
Alter minor

Cochlea marina Ianthina. *Cap.* *XII.*

IANTHINVS color ex huius Cochleæ ſanie ſiue ſanguine, ſi ita liceat dicere, ita eſt copioſus, vt ipſa Cochleæ teſta eodem colore infecta reperiatur, atque manus etiam attrectantis recenter allatæ è mari inficiat: adeoq; viuaci & commendabili colore Violæ æmulo, vt meritò deſcribendus videatur. An autem pro Conchylio vſu accipi poſſit, vel ab antiquis recepta fuerit aſſerere non audemus: non enim niſi è Conchylijs Buccinis Muricibus & Purpuris excipi tunc temporis inuenimus. niſi ſub Conchylij nomine, & hæc ex turbinatis cochlea annumerari quis poſſe cenſeat: ſicuti generis nomine à Plinio accipi videtur, ibi, *Sed vnde Conchylijs pretia?* *Lib. 9. c. 36.* & alibi, *Et lingua Purpuræ longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua Conchylia.* omnia ſcilicet teſtacea. Hæc à communibus Cochleis figura & volutis non differt, magnitudine verò inter mediæ magnitudinis eſſe comperimus. Tenuiore teſta eſt, ac adeò imbecilla, vt facillimè parum digitis compreſſa frangatur, atque manus etiam integra Ianthino ſucco inficiat illum euomẽs, vt de Purpura tradit Plinius. Voluminibus imis in centro magis elatis rotundis, quàm in terreſtri, ibiq; candicantibus. Læuis eſt, rugis volumina obliquè percurrentibus denſis admodum, nec illam exaſperantibus inſignita. Apicem habet in contraria centri parte, vt in turbinatis qua initium oris limbus incipit, elatum parum. Neapolitano mari non rarò inuenitur, & habuimus multis ab hinc annis. Nec ex alio Conchyliorum genere, aliquod purpureum, vel rubrum ſuccum fundens obſeruantibus nobis, reperimus; ex his quæ noſtro mari capiuntur. Ex Cochleæ ſpecie altera parum grandiore, duriore teſta, nec elatis voluminibus; in vmbilico aurita; nã veluti auris adhæret ori teſtæ pars illa media, quæ columella eſt, κίονια Græcis dicta, quæ non ſolum orbes interni ſiue capreoli, vt appellantur, deducuntur & ortum habent, verum etiam, quod cæteri non obſeruarunt, aliam Cochlidem in vmbilico diſtinguit; & efficit, a carne ſeiunctam, & inanem. Ex hac minio æmulum colorem pulmenta recipere incocta refert Bellonius, qui hanc pro Nerite depinxit, an autem Nerites antiquorum cenſeri poſſit, hæc vel etiam à Rondeletio depicta, aliâs Deo dante dicemus. Huius duas obſeruauimus ſpecies; primam quæ albeſcit ex pullo ſiue flauente obſcuro corneo colore parte ſuperna, & lineis, quibus additiones teſtæ

depræ-

depræhenduntur; operculum habens tenue diaphanum cornea ſubſtantia eadem anfractuum delineatione inſignitum, vt auerſæ teſtæ iconem planam repræſentet. Alteram verò maiorem magis aperto vmbilico, minore aure, ſiue tenuiore columella colore flauo, ruffis obſcurè punctis minutis denſis depictam; elatioribus, tumentibus magis in imo voluminibus.

Lepus marinus. Dioſcoridis. *Cap. XIII.*

IN aduerſarijs noſtris decem ab hinc annis Neapoli dum eſſemus, obſeruatas ac delineatas inuenimus has Leporis marini ſpecies: quæ cum ante oculos fortuna, euoluentibus alias obſeruationes, incidiſſent: an eiuſdem effigiei eſſent aliæ ab alijs recentioribus propoſitæ in dubium venit, atque diuerſas aut minus accuratè depictas, ſi eędem eſſent, illas ab his cenſuimus, & ideo in ſtudioſorum gratiam quales tunc à nobis delineatæ fuerint, his addere libuit. De primo & maiore Dioſcoridis Hiſtoriæ reſpondēti nouē vnciarum longitudine, & trium latitudine aut paulo magis, hæc inuenimus tūc temporis adnotata. Loliginis modo carnoſus, mollis; Scopulorum graui odore admodum putet: vndique fimbrijs, vel lacinijs dependentibus. In eo nec caput nec oculos ineſſe perſpicitur, ſed pro illis tubulus interior, ſiue fiſtula eminet infra orbiculatam cartilaginem vmbilicatam, & in illius acie, qua fiſſa conſpicitur quædam nigræ maculæ extremæ. Totus albus, tener, Loligini ſimilis: Corpus & ventrem Loliginis modo cartilagine vtrinque circundatum habet, Limacæ non diſſimilē. Corpus rubeſcit vtrinque, quo interiora turgent. In imo diſſectus, veluti hepar magnum habet colore rubens, ſuperius inteſtinorum ſimilia quædam, & iuxtà illa globulum Auellanæ nucis magnitudine ſuauerubentem cauum, cui adhæret veluti ſplen: E tubulo verò quaſi ex gutture veluti croton dependet carnoſum album, in quo nihil erat: Atque hepar, quia non recens habuimus animal, & biduò in aqua ſeruauimus animal, antequam diſſecaremus, putidum ferè, ac diſſolutum erat. Alterius verò præter iconem has notas reperimus. Totus carne candida, ſed maculis magis flauentibus, atque inſuper alijs paucioribus, & nigrioribus. Reliqua ex icoue conſiderabis externa, ad effigiem pertinentia. De interioribus nihil obſeruaſſe memoriæ tradidimus. Vtriuſque pronam, & ſupinam partem delineatam habes. Vtinamq; & nunc recenter habuiſſemus, vt meliorem iconē

forſan,

forſan,& accuratiorem obſeruationem afferremus. Longitudo ſecundi animalis minoris,trientalis fuit;latitudo duas vncias æquat. Loliginis, atque Limacæ comparatio his quadrare nobis videtur, præter aliorum opinionem,qui illam reſpuunt,aut non agnoſcunt: ac ſi rectè conſideretur,nec animalibus alijs comparari aptius poterat;quamquam diuerſo genere admodum ſint. Atque prior magis Loliginem imitari, alter verò Limacā æmulari nobis videtur.

Pudendum Regale Piſcatorum. Cap. XIV.

INTER mollium genus, atque inſectorum medium haberi animal hoc informe poterit: caret enim oſſibus, atque innumeris cirris, ſiue acetabulis vndique ſectum atque hirſutum redditur. Quonam referremus incerti, hoc loco deſcripſimus; nec alio generi animalium accedere videtur, quam Lepori marino, non Dioſcoridis, illud quidem Loligini ſimile fecit: ſed Plinij forſitan, qui Offam informem eſſe dixit, vel Cochleæ exenteratæ, vt Aelianus retulit. Nec enim membrum aliquod habet exterius formatum, vt caput, vel cauda, cenſeri poſſit,ſed totum eſt corpus; cirriſq; & acetabulis, quibus mouetur & exaſperatur, tantùm diſtinguitur membris. Eruca cenſeri poſſet, quia eo illo modo graditur, ac mouetur, atque apprehendit, contrahitur, & producitur, nec minus nudæ Limacæ ſiue Cochleæ modo. Huius longitudo ſeſquipedalis, latitudo verò palmaris: carnoſum,craſſitie dorſi triunciali: colore ſupernè flaueſcens,dorſo verò magis ſaturato obſcuro colore, terreſtris Leporis colorem æmulante: Limbò vtrinque inſecto innumeris acetalibus, ſiue pedibus pyramidalibus, apicem habentibus vnguis Canum modo,quibus graditur,atque apprehendit:reliquo corpore apicibus ſimilibus mollibus referto, atque tuberculis obſoleto colore, quos eodem modo ad ſui libitum contrahit quieſcens, & exerit dum reliquis lateralibus graditur,atque mouetur,repens. In anteriore parte,quæ capitis vicem explet,depreſſius conſpicitur, latiore limbo circumſeptum,digitatum;quo iter prætentat:ac etiam corniculatum apicibus illis maioribus ſupra os binis. Quod os cenſetur, foramen paruum eſt, tuberculis vndique ſeptum,quod rugis tenuiſſimis comprimitur, & occluditur crebrò viuens,atque hians Orobi ſemen haurire poſſet. Circa poſteriora corpus craſſius, retuſius: atque ſupina parte ani vice magnum eſt foramen, quod reſupinatum animal intra aquam dilatanit, vnciali


Pudendum regale primum
ſupinum
ſupinus
Lepus marinus
pronus

diametro,tuberculis circumſeptum rubentibus, ex quo plures, decem forſitan tubuli prodierunt parui,in ſtellulas candidas,diaphanas pandentes ſeſe ; quas decem rectis inteſtinis per longum ductis reſpondere cenſemus; illasq; nunc producens,nunc contrahens reſpirationis etiam motum, ſicut ex anteriore foramine, quod os cenſetnr,obſeruauimus,adimplere. Supina parte in medio rubeſcit, limbo vtrinque flauente : carne intus ſolida Sepiarum modo, carnoſiore duriore, candida: atque diſſecto animali viuente adhuc contracta admodum & dura,vt vix cultelli aciei cederet ; manibus quidem viuens exceptum ſe ſentiens,adeò ſe contrahit, vtrinq; ſe erigens maxima vi,vt diſrumpatur potius,quàm cedere velit,ita durum euadit,atque diſrumpitur.Aqua intus abundat, atque veſicam longam diaphanam aëre plenam reperimus, vt in piſcibus obſeruatur. Immotus oſſa videtur informis oblonga parum aſpera tuberculis contractis , quare Neapolitani piſcatores materna lingua,*Cazzo Reale*, denominant.Aiunt ex illo oriri piſces illos oblongos rubentes veluti faſcia, quas ipſi, *Cipolle*, à colore forſitan appellant:nos Tenias denominamus: an vera referant credulorum arbitrio ſit.Diſſectum atque ſub dio pluuijs crebris expoſitum diu manſit neruoſa ſoliditate, nec flaueſcente poſt quindecim dies. In arenoſis degens ſimul cum alijs maris purgamentis, & Zoophytis pluribus rete extractus fuit nobis aſtantibus hoc anno 1605.Neapolim immorantes.Compreſſum aquam iaculat, vt alia eiuſdem nominis maris purgamenta,atque Zoophyta.

Leporis marini Dioſcoridis exactior icon ex viuo.

HABVIMVS nuper Neapoli viuum hoc animal, aſtantibus nobis dum retia trahebantur ad littus,quapropter quæcunque amplius obſeruatione digna vidimus, tam circa hiſtoriam quàm iconem hîc addere iu ſtudioſorum gratiam voluimus. Maritimo virore admodum putet.Animal molle, ex mollium genere, carnoſum diaphanum, candicans Loliginis effigiem abſq; cirris acetabuloſis illis toto habitu adeò refert, vt vix aliud ſimilius expectes. Anteriora habet lata admodum cirrorum loco,in quorum parte prona circa ora vndoſo ambitu,luteſcunt parum ; rariſque breuibus cirrulis luteis craſſiuſculis ornantur.Aures ſiue pinnulæ, vel appendices hinc inde protenduntur, collo anguſto ſuccedente. Corpus deinde extuberat, vtrinque lateribus rubente colore in-

trinſeco tumeſcentibus, oculorum poſitum Loliginis, Sepiæ ſiue Polypi imitantibus. Dorſum ſuccedit in anguſtum deſinens, flauicans, aſperiuſculum, intortis lacinijs vtrinque ſciſſum, vtrinque ſeptenis maioribus, totidemq́; minoribus intermedijs, hirſutis, atque in ſeſe conuolutis, quas viuens protendit. Ventrem habet ouali effigie, in acutum deſinentem vndulato limbo cartilagineo, carnoſo Limacæ modo, ſed Loliginis effigie. Supina parte anteriora orbiculato ambitu vmbilicata conſpiciunlur, maxima, caua cotylę modo, criſpis oris, linea lata quadam purpuronigreſcente faſciatis, in extremo quamplurimis Vrticæ marinæ modo cirrulis, explicantibus, flagellorum vice; at circa ventrem ſine alio colore candicantibus oris, cirriſq́; maioribus denſioribusq́; quos non minus ac marina Vrtica explicat, contrahit, atque protendit: contraria parte duabus maculis inſignita ſunt ora, magiſq́; profunde ſinuoſa, veluti inciſa. Ex vmbilicatæ partis centro, tubulus eſt medius, digitali craſſitie, internè flauicans hirſutie quadam, atque hians tuberculos quoſdam promens. In ventris medio, linea quædam per longum deducta ſuauerubens conſpicitur: planus eſt, & totus albicat. Interna iam ſupra retulimus. Iconem iterum exactiorem delineauimus, tam parte prona, quam ſupina. Flaueſcit triduò ſeruatus; corrumpuntur cirruli breui, & vmbilicata pars ſuperior; quare non mirum, ſi abſque cirrulis, pluribus abhinc annis obſeruauerimus ita nobis à quodam piſcatore allatus.

Hippopotamus antiquorum, ac eius verior hiſtoria, atque icon. Cap. XV.

Hippopotamum Romæ, vt Plinius refert, primus oſtendit ædilitatis ſuæ ludis temporario Euripo M. Scaurus. Nunc autem noſtro æuo, anno ſalutis noſtræ 1603. illum ſale aſſeruatum integrum attulit Federicus Zerenghi Narnenſis Chirurgus ex Aegypti paludibus prope vrbem, *Damiate*, nunc appellatam. Et quia monſtroſi animalis, terribiliſq. feræ nomine, ignemq. ex ore euomentis prædicabatur, ignoto cæteris vera denominatione: non aſpernenda induſtria illius iconem corrigere, atque illius non minus Antiquorum notas, quàm a nobis deſcribendas in vnum collectas proponere, noſtroq. volumine inſerere cenſuimus. Hippopotamus, Græcis ἱπποπόταμος, idem eſt Latinis Equus fluuiatilis, ἵππος quidem *Equus*, & πόταμος *Flumen*, eſt Græcis: atque a Flumine Ni-

lo,

Io, ex quo gigni maximè traditur, *Equus Niloticus* dictus; quamuis & alijs Fluminibus etiam inueniri Bambotho ſcilicet, iuxta Athlantem Africæ, & Indo Indiæ, vt Strabo, & Solinus narrant. Sed nedum in fluminibus, verùm Mari etiam verſari Plinius eſt Auctor. Atque ſi rectè conſideretur, non minus in aqua, quàm in ſicco verſari, & communem vtrique eſſe, atque amphibium idem Plinius de Beluis aquaticis verba faciens tradit his verbis: *Communesq. mari, terra, amni, Hippopotami Crocodili*. Eius patria, vbi plurimi eſt Saitica præfectura Ægypti, vt Plinius, & Nicander tradunt: quamquam alijs Aegypti partibus inueniantur. Eius cibus non modo aquatilium, ſed terreſtrium etiam frugum ſcilicet, nam vt Nicander ait, in Ægypti parte *Sain*, appellata ſegetes depaſcit, & vt ea præditus eſt ſolertia, vt retrogradus in agros tantũ permeet, quantum pabulo tunc ſatis ſit. Eius verba ex Græcis ita Latino metro vertit Iacobus Græuinus.

Lib. 32. c. 11. *Ibid.* *Li. 28. c. 8.* *In Theriacis.* *Ibidem.*

—— teſtem,
Seu fluuialis equi, ſuper atram quem Sain edit,
Atque malum plenos meſſorem immittit in agros
Niliacus vortex, fluctu ſiquidem ille relicto,
Cùm iam nata ſeges, ſurgentem demetit herbam,
Et tantum illius ſpacium præſcribit & ambit,
Retrogrado quantum potis eſt depaſcere tractu.

Eadem Plinius habet: *Depaſcitur ſegetes, deſtinatione ante (vt ferunt) determinatas in diem, & ex agro ferentibus veſtigijs, ne quæ reuertenti inſidiæ comparentur*. At Federicus Zerenghi, Orizam depaſcere aſſeruit, atque etiam Colocaſſiæ radices, atque illi caueas multas profundas viminibus, & virgis tenuibus terra opertas in inſidias comparaſſe retulit, quã percurrere atque depaſcere ſolitus erat; nec retrogradum è flumine, ſed recto tramite ambulare verius eſſe. atque binos eadem die in caueas delapſos igniuomis tormentis, maioribus parum vulgaribus interfeciſſe. Illius ex Ariſtotele delineatio hæc habetur: *Oris etiam magnitudine diſcrimen exiſtere animalibus planum eſt. Alijs enim os reſciſſum, vt Cani, Leoni, denique omnibus quibus dentes ſerrati. Alijs paruum vt Homini. Alijs mediocre vt generis Suum, Equo fluuiatili, quem gignit Aegyptus. Iuba equi, vngula qualis Bubus, roſtrum reſimum: talus etiam ineſt biſulcorum modo: dentes exerti ſed leuiter, cauda Apri, vox Equi, magnitudo Aſini, tergoris craſſitudo tanta, vt ex eo venabula faciant. Interiora omnia Equi, &*

Lib. 8. c. 25 *Lib 2. cap. 7. hiſt. animal.*

Aſini



Aſini ſimilia. Et alibi: *Quamobrem etiam Equi fluuiatilis ita conſtat, vt viuere niſi in humore poßit*. Plinius verò ait: *Maior altitudine in eodem Nilo bellua Hippopotamus editur: vngulis biſidis quales Bubus, dorſo Equi, & iuba, & hinnitu, roſtro reſimo, cauda & dentibus Aprorum aduncis, ſed minus noxijs: tergoris ad ſcuta, galeasq́. impenetrabilis, præterquam ſi humore madeat*. Et alibi: *Alia corio & pilis teguntur, vt Vituli, & Hippopotami*. Et alibi: *Eſt Crocodilo cognatio quædam amnis eiuſdem, geminiq́. victus cum Hippopotamo repertore detrahendi ſanguinis, vt diximus*. Plurimi ſuper Saiticam præfecturam. Pauſanias verò, Hippopotamum tradit, in inferiore maxilla dentes, vt Aper, exertos habere, eosq́. adeò conſpicuos & grandes, vt in Arcadicis ſcribat, apud Proconneſios matris Dindymenæ ſimulacrum aureum extitiſſe, cuius facies, Eboris vice è dentibus Hippopotamorum erat conformata. Ex recentioribus primus Hippopotami iconem & hiſtoriam tradidit, quamquam etiam in aliquibus non ſatis rectã, vir induſtrius, atque doctus Petrus Bellonius Cœnomanus, in quã non pauca veriora antiquioribus aperuit, qui viuum ſe Conſtantinopoli viſum aſſeruit, & quamquam a Matthiolo eius opinio aſperni videatur, atque diligentia in illius hiſtoriã atque Icone adhibita, nobis verò potius Bellonij acceptanda ſincera voluntas, quàm Matthioli ſuperciliofa detractio. Potuit quidem ille ob animalis paruitatem decipi in dentium obſeruatione, cum quatuor tantùm digitis a terra eleuari corpus tradidiſſe legamus. Illius deſcriptionem igitur inſeremus. *Talis autem eſt Hippopotami, quem Bizantij vidimus figura. Caput huic enorme fuit, & ad reliqui corporis collationem indecentiſſimum; quale Vaccinum eſſe diceris, nullis præditum cornibus, auribus Vrſinis, breuibus, ac ſubrotundis, oris rictu vſque adeò vaſto, vt Leoninum ſuperaret: certè humanum caput æquare potuiſſet. Patulas habebat nares, labra repanda atque reſima, dentes prorſus Equinos, obtuſos tamen: oculos ac linguam prægrandes, collum vt piſcibus nullum, aut admodum breue: caudam vt Porci ac Teſtudines rotundam: reliquũ obeſiſſimi cuiuſdam Porci corpus eſſe diceres: pedes ita breues, vt quatuor à terra digitos vix attollerentur: vngulæ in Porci formam diffiſſæ: quæ res nos inducebant, vt id animal non bene natare, ſed fundum fluminis inhabitare, ac paſſim in Nili profundo diuagari crederemus*. Hippopotamum etiam tradit antea Bizantinos eorum lingua modò *Porcum*, modò *Bouem marinum*, appellare; ea enim

Lib. 8. c. 24
Lib. 8. c. 25
Lib. 9. c. 12
Lib. 8. c. 8.
Lib. 1. de aquatilib.

enim eſt effigie & capite, vt non tam Equi ſpeciem, quàm Porcum Vitulum, aut Bouem referat. Addiditq. prius ex Adriani Imperatoris auerſa parte numiſmatis Nili iconem Hippopotamum iuxta pedes habentis, atque deinde alteram ex Nili marmorei in Vaticano exiſtentis. Verùm in multis Hippopotami cira Nili illius in horto *Beluedere*, vulgò dicto in Pontificia Vaticani æde coloſſi marmorei baſim ſculptis iconibus, quas ibi obſeruauimus, variè cum Crocodilis ludentis, obuiam euntis, pugnantis rictu, ac denique Crocodilum ore ab aquis eleuatum habentis; in nullis pedes nec vngues conſpicuas conſpeximus, ſed illos aquis obrutos, vt ſculptori decebat, illos dum in aquis deambulãtes ſculpſerat: ideo in vnguium delineatione ambiguitas, an quinque, vel quatuor, & talus quintam diuiſionem in pictura exprimens. Nos autem, vt ex eius cadauere ſicco elicere potuimus, his notis veriorem illius effigiem delineaſſe cenſemus. Animal quidem vt rarum viſu Monſtrum appellari poſſet ab informi reſpectu aliorum aſpectu, ſed bellua quidem propriè eſt, vt Plinius notat: nec aliquam cum equo nobis ſimilitudinem habere videtur, ſicuti & Bellonius retulit, nec ipſi, nec Bizantinis, qui potius Porcum, aut Bouem marinum à quadã ſimilitudine appellarunt, nobis verò illius effigies ex Apro, ad Bubulinam accedere, vel Vrſinam magis videtur. Corporis nãque magnitudine Bubulum excedit; corporis crurium effigie ſatis Vrſum ſimulat. Huius a nobis conſpecti, ac dimenſi corpus a capite ad caudam pedes erat treſdecim. Corporis latitudo, ſiue diameter pedes quatuor cum dimidio. Eiuſdem altitudo pedes tres cum dimidio: vt planum potius, quam carinoſum ventrem habeat. Orbis corporis quantum longitudo erat. Crura è terra ad ventrem pedes tres, cum dimidio. Ambitus crurium pedes tres. Pes latus, pedem. Vngulæ ſingulæ vncias tres. Caput verò, quod grande erat reſpectu animalis corporis oculorum & aurium, latum pedes duos cum dimidio. Longum pedes tres. Craſſum ambitu pedes ſeptem cum dimidio. Oris rictus pedem vnum. Roſtrum craſſum, carnoſum, ſed propter ſiccitatem minus repandum viſum. Oculos exiguos habebat latos vnciam, longos vncias duas. Aures tenues paruas breues, non excedebant vncias tres. Dentes habebat in inferiore maxilla ſex, quorum bini exteriores è regione longi ſemipedem, lati, & trigoni vncias duas cum dimidio, per ambitum ſemipedem. Aprorum modo parum retrorſum decliues, non adunci, non exerti, ſed admodum conſpicui aperto

ore.

ore. Intermedij verò parum a gingiua exerti trigona acie digitali longitudine. Medium locum occupantes, veluti iacentes craſſi orbiculati Elephantini, ſemipedem ſuperant longitudine, atque aciem in externis partibus planam parum, veluti parum detractam. Maxillares verò vtrinque ſeptem craſſos latos breues admodum. In ſuperna verò mandibula quam Crocodili more mobilem habet, qua mandit & terit, anteriores ſex inſunt dentes, ſex imis reſpondentes acie cōtrario modo adaptata leuiſſima ac ſplendida Eboris politi modo: clauſoq. ore coniunguntur, aptanturq. imis, veluti ex illis reciſi; vt planum plano inſideat, verùm omniū acies pyramidalis veluti obliquè reciſi calami modo. Sed medij ſuperiores non aciem inferiorum, at medium illorum in quo detractio conſpicitur rotunditatis, petunt; ac non incidere, ſed potius illis terere poſſe videtur. Molares totidem quot inferni, ſed bini priores parui exigui, atque rotundo ambitu, & ab alijs diſtant, vt medium palatum inter dentes anteriores occupare videantur, inter maxillares dentes linguæ locus ſemipedalis remanebat. Dentium vero color Eburneus parum pallens, ſplendidus diaphanus ferè in acie videbatur: durities illorum ſilicea vel magis, cultelli quidem coſta non parua conſpicientium admiratione ignis excitabantur fauillæ, parum vel nihil tot percuſſionibus ſigni remanente: quapropter veriſimile foret noctis tempore dentes terendo ignem ex ore euomiſſe. Corpus obeſum admodum omni ſua parte, caput grande Bubulino proximum, crura breuia, pes latus in quatuor vngulas diuiſus, vngulæ verò biſulcorum modo & nigræ: talus calloſus atque latus. Quare non vngulæ bifidæ, vt Plinius notat, quales Bubus; ſed vngulæ quales Bubus, vt Ariſtoteles ait, effigie. Verùm, quod omiſit, quadrifidæ, & talus biſulcorum modo. Hîc enim Matthiolus, vt Bellonij Hippopotamum reprobaret, ne ipſi locus præreptus eſſet, minus vera nec a Bellonio relata in medium adducit, his verbis: *Siquidem huic Boū modo pedes biſulci non ſunt, nec talus biſulcorum ſimilis, ſed Canum, Luporúmve ſimiles multifidi, vnguibus in digitorum extremitatibus emergentibus*, [quod in Bellonij icone haud vnquam fuit, cui rotundæ vngularum extremitates depictæ, abſque roſtratis vnguibus Canū vel Luporum, vt ipſe addidit in ſua.] *Os non mediocre illi eſſe videtur, cum Bellonij Crocodilum in ore habeat*: [ſed Matthiolus ignorabat Crocodilum ex ouo oriri Lacertæ magnitudinem ferè parum excedentem, qui annis quoad viuit, quod

In ſuis Cōment. c. de Hippopotamo.

alijs animalibus non contingit, ſemper grandeſcere, vt Plinius tradit.] *Dentes nulli viſuntur aprorum modo exerti.* [In hoc non mirum ſi Bellonij paruum erat animal, atque icon marmorea hoc non expreſſerit. Sed nec exertos habet, quamquam Aprinos & prægrandes, ac admodum conſpicuos, vt ſupra diximus.] *Iuba illi nulla, nullaq. Equi aut Aſini facies:* [nec habet. & in hoc Antiquiores decepti falſa forſitan relatione, qui non inſpectione animal deſcripſerunt.] *Cauda Elephanti potius, quam Apri è poſterioribus pendet.* [ſic ipſe depinxit, at in Bellonij icone breuior cauda dimidio & potius Aprina, ſed rei veritate Teſtudini, aut Vrſo proximior eſt, vt idem Bellonius rectè dijudicauit, quæ craſſa ab origine, breuis & ſtatim in acutum deſinens, nec ſemipedem æquat, nec inuolui, aut torqueri ob breuitatem & craſſitiem potest. Cutis admodum craſſa dura colore pullo, & multum ob ſiccitatem ſalis rugoſa erat ſuperficie, vt noſtræ manus cutis ſuperior in ſtellas interſecta. nares habet S, imaginem repræſentantes longa fiſſura vnciarum duarum cum dimidio. Roſtrum habet vt in Leone atque Fele, pilis aſperum pluribus ex poro prodeuntibus, nec in toto corpore alij conſpiciuntur: in quo etiam Plinius deceptus videtur, qui Vitulo marino cōparat pilis & corio. Quòd autem Animal hoc potius Hippopotamum, quàm nouum animal eſſe cenſendum ſit, nihil nos Matthioli verba aduerſus Bellonium calumnioſè prolata ab opinione remouent, plura namque ſunt ex Antiquorum ipſorum decerpta ſigna reſpondentia, quibus hoc animal Hippopotamum cenſeri debeat ab ipſis deſcriptum, quamquam nec iuba, nec hinnitu, nec aliquo modo Equi aſpectum verè habeat: ipſosq; aliorum relatione nixos ſic deſcripſiſſe: atque etiã quia illius temporis vulgus Fluuiatilem equum ob forſan vaſtitatem denominauit, eadem appellatione deſcripſerunt. Firmat nos etiam in opinione quia Ægyptij etiamnum hoc animal *Forâs*, *el*, *bar*, ſua lingua dicunt, quod idem eſt, quod *Equus marinus*. *Forâs*, equus, *bar*, Mare ſignificare idem Federicus Zerenghi qui ex Ægypto detulit, atque venatus eſt, retulit. Accedit, quod ſtatua illa in Vaticano Romanorum tempore qui ſæpius ludis expoſitos viderant ſculpta fuit, ac idem animal repræſentat, ſic & numiſmata antiqua: quibus Matthiolus ſuam obtundere pertinaciam poterat, & debebat, fecit deinde exemptis numiſmatibus ab ipſo in contrarium propoſitis à Latina editione. His igitur haud amplius de Hippopotamo contrauertendum. Vtinam & viuum vidiſſemus vt meliorem

Lib. 8. c. 24.

florem iconem effingere potuiſſemus: addidimus ea quæ ex ſicco maximè conſpici potuerunt. Huius in Medicina vſus non aſpernendus; & quamquam à Dioſcoride teſtes tantùm exiccatos contra ſerpentium morſus valere tradiderit, & etiam idem Nicander dixerit, Plinius verò multa addidit illi⁹ remedia. Et ab ipſo detrahendi ſanguinis ratio & occaſio accepta refertur, ſic enim Plinius, *Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter extitit. Aſſidua namq; ſatietate obeſus exit in littus, recentes barundinum cæſuras perſpeculatus: atque vbi acutiſſimum videt ſtipitem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluuio ſanguinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam rurſus limo obducit.* Et alibi ait, *Huius corij cinis cum aqua illitus panos ſanat: adeps frigidas febres: Item fimum ſuffitu. Dentes è parte læua dolores dentium ſacrificatis gingiuis. Pellis eius è ſiniſtra parte frontis in inguina adalligasa venerem inbibet. Eiuſdem cinis alopecias explet. Teſticuli drachma ex aqua contra ſerpentes bibitur. Sanguine pictores vtuntur.* Et alibi, *Venerem inbibet Echeneis & Hippopotami frontis è ſiniſtra parte pellis in linteolo adalligata felle torpedinis viua genitalibus illitum.* Addidit Federicus Zerenghi dentes adalligatos, aut anulo ex eo geſtatos hemorroidas in totum ſanare ex incolis accepiſſe. Poſt menſes aliquot alium longè maiorem idem Romæ nobis oſtendit, cuius dentes Aprini pedali longitudine fuerunt proportione craſſiores, ſic & reliqua omnia maiora.

Lib.2.c.de Hippopot.
In Theriacis.
Lib.8.c.26
Lib. 28. c.8.
Lib.32. c.10.

Seps, lacerta Chalcidica, vel Chalcides. *Cap. XVI.*

SEPTICA vis huius Lacertæ veneni nomen impoſuiſſe credimus Sepis: σήπειν enim Græcis *putrefacere*, vertitur. Lacerta verò quia lacertarum modo pedibus ſit prædita, quamquam Viperæ ſpecies ſit; Nam & Nicander ſimilem lacertæ humili dixit, Σῆπα χαμὴν πεδανοῖσι δομὴν σαύροισιν ἀλύξεις, *Sepem etiã humilibus lacertis ſimilem corpore vitabis.* Eiuſq; Græcus interpres addit, *Seps ſimilis eſt lacertæ, & dicitur etiam Chalchis. Habet autem in dorſo areas lineas, eſt autem octo palmorum. Seps appellatur quia putrida reddit vulnera. Oritur in Syria & Libya & Cypro, & in petris degit.* ὁ σὴψ ὁμοία ἐςὶ τῇ σαύρᾳ, καλεῖται δὲ καὶ χαλκίς. ἔχει γὰρ ἐπὶ τοῦ νώτου χαλκιζούσας ῥάβδους. ἔςι δὲ ὀκτὼ παλαιςῶν. Σὴψ δὲ καλεῖται, παρὰ τὸ σήπειν τοὺς πληγέντας. γίνεται δὲ ἐν συρίᾳ καὶ λιβύῃ καὶ κύπρῳ, καὶ διατρίβει ἐν πέτραις. Quare non Chalcidica quia in Chalcide oriretur, quod à nemine notatur,

 ſed


Seps, Lacerta Chalcidica, uel Chalcides.
Noctiluca terreſtris.
Alter alatus
pronus
Scarabeus Teſtudinatus
Bucampe cornuta
Concha diphia
Chryſalis
Cochlea depreſſa lapidea supina
prona

ſed à Chalco ſcilicet ære, cui colore ſimilis eſt, *Chalcides* appellari, ſicut Plinius habet de Caſtorei remedijs. Et alibi ait, *Lacerta quam Sepa, alij Chalcidem vocant, in vino pota morſus ſuos ſanat.* Quare σαύραν χαλκιδὴν potius, quàm χαλκιδικὴν legendum erit. Nos autem non æreis maculis, ſed tota æreo colore eſſe vidimus. Et Nicander de Sepe loquens poſt Viperam, locum illum, in quo Seps oritur, ruffis ſerpentibus ſcatere aſſerit; atque Sepen illius eſſe colore terreni, in quo degit. Nos autem in Gallicani Caſtri diœceſis Prænestinæ Romani agri vineis Aeſtate obſeruauimus locis tophoſis ruffeſcentibus, ſicut tota illa ora tophaceis collibus eſt duris, & ager eodem colore multis locis. Quod autem etiam Lacertæ ſimilis videatur, præter appellationem, quod inter Lacertam vulgarem, & Scincum ſit deſcripta ſatis indicio eſſet, quod eiuſdem effigiei eſſe deberet. Verùm ab Interprete Nicandri Græco iam ſatis clarum eſt, ſimilem eſſe Lacertæ, vt ſupra retulimus. Nunc autem præter Lacertæ ſimilitudinem, Vipeream naturam & ſimilitudinem conſiderandam proponimus. Quod autem ex Vipereo genere ſit ſerpens iſte Seps dictus, quamuis Ariſtoteli vnica Viperæ ſpecies nota fuerit animal pariens, ex Dioſcoride ſatis liquet noſtro iudicio, qui Aceti mulſi remedia exponens, inter cætera, *Auxiliatur etiam contra Viperæ, appellata Seps, morſus ait, &c.* ἀρήγει δὲ καὶ τοῖς ὑπὸ ἐχίδνης τῆς καλουμένης σηπὸς δηχθεῖσι. Vipera quidem ἐχίδνα, nedum illa quæ propriè Vipera ſpecie eſt, & a Græcis ἔχις, & ἐχίδνα, mas & fæmina dicitur, ſed & Seps, vt diximus, generis appellatione dicitur, ac etiam Præſter, vt idem Dioſcorides de Tynni carne, ſiue Omotarichi remedio, loquens, ait, *Omotarichus appellatus, caro eſt Tynni ſalſi. Auxiliatur ſumpta, a Vipera, quæ dicitur Præſter, commorſis.* ὁ δὲ ὠμοτάριχος λεγόμενος, σάρξ ἐστὶ θύννου τεταριχευμένη· βοηθεῖ δὲ λαμβανόμενος τοῖς ὑπὸ ἐχίδνης, τῆς καλουμένης πρηστῆρος, δηχθεῖσι. Nec dubitandum eſt Sepem, & Præſterem, Viperam generis nomine dici, vt Emblematum in Dioſcoridem ſcriptor in cap. de Aceto mulſo, nam & loquendi modus in Dioſcoride clarus, & idem vtroque loco citato, ac re ipſa Seps Vipera eſt, & forſan Præſter, quæ eadem eſt, alio nomine dicta Dipſas, & Cauſos, vt Dioſcorides refert in cap. de Dipſade lib. 7. & aliæ venenatæ. nam & recentiores alij Amoditen viuos parere ſerpentes tradunt. Et Pierius Valerianus, alios, etiam ſerpentum alia genera præter Viperam animal parere, tradidiſſe ſcribit. Et nos oculati teſtes & naturalium rerum peritiſſimus Ferdinandus Imperatus, qui hunc

Lib. 32. c. 3
Lib. 29. c. 5
Lib. 5.
Lib. 2.
Li. 14. Hieroglyph.

ſer-

ſerpentem ſub vulgari nomine *Cecilia* deſcribit, in ſua doctiſſima naturali hiſtoria, & illius iconem poſuit, quam nos amicitiæ ergo tunc temporis delineauimus, illeq; pariter communicauit. Sed pluribus ab hinc annis iterum fortunâ Gallicani inuentam in quadam vinea propè Caſtrum, illam prægnantem interfecimus; ac, vt ſolemus, illam curiosè diſſecantes, quindecim viuos partus continere inuenimus, quorum alij cartilagine exuti, alij pellicula diaphana illa circumdati, vt in Viperæ catulis obſeruatur, ſed oblonga effigie admodum erat: atque nos etiam pelliculas diſrupimus, vt ſi graderentur obſeruaremus, & iam illos obliquè repere parum vidimus, deinde necauimus. Nec aliquid de ea annotauimus, niſi catulos parere, & coloris eſſe ærei, pedibusq; prædita exiguis admodum, longaq. diſtantia inter illos, ob ſerpentis longitudinem: quam, ni fallimur, duorum pedum longitudinem æquare meminimus. Interpres verò Græcus octo palmorum eſſe ait, noſtra verò ſex æquabat. A capite ad caudam ſemper decreſcere, niſi in vtero, ſquamis læuibus admodum, nec vt in Vipera elato dorſo veluti neruulo decurrente, nec nigris maculis, ſed æquali colore æreo non ſplendido viſa fuit.

Hanc venenatam eſſe non eſt dubitandum, ſi verum erit, omnes viuum animal parturientes Viperæ appellatione & genere eſſe. De hac Aëtius inquit: *Qui verò à Lacerta Chalcide appellata percuſſi ſunt, eos tumor pellucidus conſequitur, veluti nigrore in ambitu plagæ relucente. Conſequitur autem & putrefactio*. Remedia ex Dioſcoride. *In vino pota, eos qui ab ipſa commorſi ſunt ſanat.* Plinius, Caſtorei teſtes cum Myrtite bibi iubet. Similia quæ Dio-
Lib.32.c.3 ſcorides habet, Galenus, & Paulus. Falluntur qui Sepam eſſe putant, Lacertæ domeſticæ ſpeciem, vulgò *Lacerta Verminara* Neapolitanis dictam, alijs *Tarantola*, illam nos Stellionem, verius, potiusq; cenſemus; domeſticum animal vbique, nec viuiparum.

Νυκτιλαμπὴς ἀστερή. *Noctiluca terreſtris*. Cap. XVII.

IGNEVS coruſcans fulgor, quem nouum, nec ab aliquo deſcriptum Inſecti hoc genus noctu edit, maioremq; forſitan illo vulgaris *Cicindelæ*, atque alatæ *Lampyridis*; nominis πυριλαμπὴς occaſio eſſet, at etiam νυκτιλαμπὴς. Verùm quia è natibus ipſius fulgor emicat, Κυσολαμπὴς etiam appellari poteſt. Et quamuis Cicindelæ modo, quæ Græcis λαμπυρὶς dicitur, ignium modo noctu ſplen-

ſplendeat, cùm tamen careat alis, nec pennigerum, ſed potius terreſtrium generi ſit annumerandum, humoq. ſe condat, ad differentiam pennatæ vulgaris, ἀπτέρω epitheto diſtinximus, illud *Noctilucam terreſtrem* appellantes. Non enim pennarum hiatu refulgit, clunium colore, nocturno volatu; vel illarum compreſſu obumbratur, vt de Lampyride tradunt antiquiores; verùm Blattarum modo gradiens noctu, idem coruſcat igneus fulgor natium obliquo motu, quo deprehenditur atque venatur æſtate. Eo poſterioribus fulget lumine, vt noctu abſque face obſcuro loco pagina per quàm exiguo caractere deſcripta legi poſſit, admoto deſuper animali, paulatimq. ſupra lineas deducto. Vnciali eſt longitudine, colore ex nigro purpuraſcente, vndique leui, decem geniculis corpus vniuerſum diſtinctum, capite depreſſo, plano, quodam veluti diademate operto, vt in Scarabæis diaphano pellucido pullo colore. Infernè verò ſupina parte rubeſcit circa anteriora, poſterioribus quidem ex viridi albicat margaritarum vetuſtate diſcolorum ſimilitudine, ex quibus lumen ardentis facis modo circumfunditur. Caput habet exiguum corniculis exiguis præditum, quod ex diadematis corneæ ſubſtantiæ inferna parte, exiguo rotundo hiatu caua exerit collum anguſtum, pedes tenues admodum ternos iuxta ante anteriora prioribus geniculis, reliquis verò cõtrahitur, producitur, & quoquo verſu corpus mouetur: paulatim accreſcens in medio extuberat, deinde decreſcens in acutum deſinit. Poſt mortem etiam lucent in obſcuro cadaueris nates quãdiu adſit humor, exiccato quidem illo lumen deperditur. Anuerſæ Valuenſium habuimus Æſtate, ab amico induſtrioq; pharmacopæo Horatio Bernardis. Iconem expreſſimus eiuſdem magnitudinis, qua viuum animal inuenitur. *Lucciola* congener alatum vulgò appellatur, quia noctu luceat ab effectu, quare hoc *terreſtre* epitheto addito eodem nomine dici poteſt. Eandem, quam pictura exprimit, magnitudinem animal æquabat.

Scarabeus teſtudinatus χελωνοειδής. *Cap. XVIII.*

IN fœdo animali etiam non minus ſpectatione dignum Naturæ artificium proponemus. Scarabeorum generi quis dubitet annumerandum hoc teſtudinatum inſectum, an ignauiæ Natura teſtudinata cruſta ſuccurrere voluit? equidem ita cenſendum arbitramur. Lædendi cum non ſit poteſtas, iniurias arcendi tegmine

pro-

prouiſum. Teſtudinata cruſta totus contegitur, ouali figura, Oniſci æmulus, cuius dimidia pars anterior in tres diuiditur partes cornea ferè ſubſtantia nigræſcente tota, niſi prior quæ capiti ſuperſtat parum circa ora candicaret atque translucida parum videretur, reliquum corporis ſeptem anguſtis imbricatis incuruis tabellis contegitur, quorum aliæ caput, aliæ poſteriora, contraria linearum oppoſitione petunt: atque circa poſteriora lunatam conficiunt lineam: huic ſubſidet planior tabella veluti cauda, more Aſtaci; in medio fiſſa, vtrinque non admodum conſpicuis aculeis comitata, quæ contrario motu in ſublimi etiam moueri poteſt colore fuſco. Ex inferna verò & caua parte animalis partes extuberant, cuius caput oblongum corniculis in oculis, os prominens quibuſdam villis vtrinque prẹditus; quibus in os adducere cibum cenſemus, vt alia inſecta, brachiorum & manuum vice: poſt illud terni vtrinque pedes; quorum poſteriores maiores, & oblongioribus cruribus veluti ſpinulis armati, in tenue deſinentes, biſulci, aduncis vnguibus: corpus deinde pominet paulatim vſque ad ani locum, quod à conuexa teſtudine ſeparatum conſpicitur, ad ventris onera eijcienda, atque vt aculeis vti poſſit ad nocendum: eadem tabellarum coniunctione atque ordine, lineiſq; contrarijs corpus conſtructum eſt, colore verò caſtaneæ corticis ruffeſcente, pedibus nigrioribus. Æſtate caſu in Cirinolæ Arcis ponte per parietes deambulantem reperimus: nouitate ducti obſeruauimus effigiem, deſcripſimus atque delineauimus. Scarabeorum oleum igne paratum ad aurium dolorem valere in illas infuſum refert Auicenuas, ſicuti & ipſum animal rectè contritum. Eiuſdem, quæ in pictura conſpicitur eſt magnitudinis.

Scarabeus alter teſtudinatus minor atque alatus.
Cap. X I X.

A Superiore iam deſcripto differt magnitudine, minor hic dimidio eſt, figura oblongiore, circa caput anguſtiore; atque imis partibus latiore, colore nigriore ſplendido admodum, leuiore cruſta atque polita integitur: tribus etiam partibus anteriora cõteguntur, lineis rectioribus terminatis, dimidium animalis operientibus, reliquum verò paruis tabellis planis ferè atque pluribus duplò; ſub quibus aluum protenditur, vtrinque aculeis maioribus armatum. Alas habet vtrinque detectas duras, cruſta verò huic tenuior

nuior atque debilior ineſt. Supina quidem parte caput magnum, nec ita infra cruſtam ſitum, ſed ob illius magnitudinem & cruſtæ paruitatem pari linea definitur corniculis admodum longis prædi- tum, vt corporis longitudinem æquent: in ore vtrinque binos tenues habet appendices brachiorum vice cibi admouendi gratia, vtiles formicarum modo: pedibus proportione dupla ſuperiore, maioribus eodem modo hiſpidis vt nihil à ſuperioribus differant. aluus quidem extuberat ſatis, vt carinatus videatur prominetque admodum. Septembri menſe viuum habuimus Cirinolæ. corpus reliquum verò planius, atque ruffeſcit. Spinulas ſiue hirſutiem crurum etiam mouet. Inuenitur & altera ſpecies oblongiore figura, verùm ſine alis, reliquis verò haud diſſimilis; inter Culinæ immunditias verſantes vtroſque reperimus.

Βουκάμπη κεράτιτης, *Bucampe cornuta.* *Cap. XX.*

QVÆ κάμπη Græcis dicitur, à Latinis Eruca vertitur, cum olera herbasq; reliquas erodere pro cibo ſit obſeruatum. Harũ quamplura genera obſeruantur, varijs proprijsque nominibus diſtincta, ab antiquis denominata; plura quidem non deſcripta reperiuntur, quarum adeò magnus eſt numerus varietate diſtinctus, vt vix, niſi quis opere toto, ac induſtria laborem ac animum adhibeat in illis obſeruandis, minimam illarum aſſequi poſſit notitiam. Quam exhibemus modò, ab antiquis non deſcripta, ex maximis eſt, atque inuſitato cornu quo circa poſteriora prædita eſt, βουκάμπην appellauimus κερατίτην, magnam ſcilicet Erucam cornutam. Miliario propè Cirinolam per inculta loca & ſemitas vbique maximus repebat numerus Septembri menſe, quarum aliæ cinereo colore, obſcuriore duodecim ſegmentis compoſitum corpus digitali craſſitie, longitudine ſemipedali, pedibus circa anum poſt ſecundam ſectionem quaternis, craſſis atque breuioribus; binis ſingulis ſegmentis, atque deinde poſt duas alias ſectiones propè anteriora, ternis, longioribus atque tenuioribus, quibus graditur, atque etiã admouendi cibi gratia vtitur, qui omnes quatuordecim numerum ſupplent. Craſſius eſt corpus in poſterioribus, decreſcens paulatim ad caput vſque, vt circa illud dimidia ſit proportione, quod durum, læue, conchulæ conuexam partem effigie atque nigris lineis, quibus veluti ſtrijs depingitur, repræſentans. Cornu ſupra anum ſemunciali longitudine, recuruum nigrum, durum cornea ſubſtantia,

læue atque acutum,ſed innocuũ : moleſtiam cum attuliſſemus animali,atque etiam ligno cornu elato , nihil illo ad defenſam vtebatur,nec mouebat,ſed corpore toto à capite nunc dextra,nunc ſiniſtra repentè torquebatur, atque ore, quod durum eſt, mordere, atque rodere Aſphodeli caulem ſiccum quò infeſtabamus, videbatur. Compreſſa parum,aut tacta,veluti vindex intorquetur,atque ore ſuccum viridem vomens iaculat. Circa ventrem lateribus ſegmentis ſingulis maculæ ſunt rotundæ paruæ auium oculos imitantes, vt prima facie anus cenſeatur roſtratum caput,cornu præditum, oculorum vicem maculæ illæ præſeferentes. Aliæ cute ſunt nigriore admodum,atque lineis per longum flauis, vtrinque binis & dorſo;cornu etiam flauo,limbo circa ventrem candicante,lineisq́;quibuſdam albis ſingulis ſectionibus obliquè decurrentibus. Viuum animal ſub vitreo vaſe domi ſeruauimus decem diebus , atque nocte ſerpentium modo exuuiam depoſuit , vt manè cum obſeruaſſemus ſolito more an viueret , exuuia cornuta parte altera ; atque monſtrum rubens altera ſub vaſe animaduertimus ; quod contrario modo , craſſo capite retrorſum corniculato , & veluti brachijs , ſiue alis compreſſis corpori , in acutum deſinens, non aliter, quam ſi puerum pannis inuolutum , faſciaque colligatum reſpiceres.Hoc iuxta Ariſtotelis placitum Chryſalis , vel vt Gaza vertit, Aurelia cenſetur,quæ oui vicem præbet,ex qua papilio Bombycis, ſed nos ex effigie illa locuſtæ , vel Bruchi genus quoddam renaſci putabamus,ac ſumma cuſtodia detinebamus, quotidie illud obſeruantes an viueret:nam tactu leni mouebatur incuruans poſteriora,quæ in acutum pluribus ſectionibus decreſcentibus deſinebant & an alas,aut pedes,vel aliquod membrum perficeret,cùm tandem poſt multos dies viuens ita exuuia nudum,vt diximus;nocte quadã euerſo vaſe,feles,aut mus illud rapuit,atque comedit ; Feles quidẽ papiliones & ſimilia auidè venari,atque comedere vidimus: atque ita non ſine animi moleſtia vlterioris obſeruationis locus ſublatus fuit.At quia Aureliæ ſiueChryſalidis mentionem fecimus, non pigebit referre quod ſuperioribus Æſtatibus, non ad id intenti reperimus,& ideo non obſeruauimus;Animal informe,ſuperius monſtrum repreſentans,læue totum,paulatim decreſcens , capite vitulino ferè obtuſo, nullis membris inſignitum,ſed colore aureo ſplendido hilari,quod alicuius alterius animalis Chryſalidẽ cenſemus . Cirinolanus quidam humanam effigiem habere putabat , atque cum hæc minimè tunc ob aduerſam valetudinem quæreremus,nec

nobis

nobis ita videretur, parui illud fecimus, quod nunc valdè obſeruare cuperemus. Alterum Chyſalidis genus reperimus Neapoli Autumno in domus ſubdialibus parietibus hærens, paruum pollicis longitudine colore inter flauum & cinereum, punctis nigris minutiſſimis depictum ac denſis, acuto roſtro, dorſo leni parum incuruo, pectore & ventre extuberante in apicibus aliquot deſinentibus, cauda verò inſecta quinque tabellarum ſegmentis conſtructa in acutum deſinente, quæ ad tactum mouebatur vtrinque, atque paucis poſt diebus animal peperit relicta oui modo cute inani, ſicuti & alias inuenimus vacuas anteriore parte hiãtes, nõ minus vt in Bombycum folliculis, quibus ſericum decoquitur, ac etiam alijs animalium generibus obſeruauimus, at animal quod nam ſit non vidimus. Iconem huius poſtremæ Chryſalidis tantùm expreſſimus naturalis magnitudinis, alias præmanibus non habentes. De ijs, quæ in oleribus gignuntur Erucis Dioſcorides loquens, ait, oleo detritis peruncti à venenatis beſtijs intacti ſeruari dicuntur. Eadem de his Paulus prodidit. Horum ortus ab Ariſtotele traditur. & Teophraſto vbi videre poteris.

De Varia lapidum concretione, & rebus in lapidem verſis eorum effigie remanente. Cap. XXI.

ADEO duo hæc elementa cohærent, terra ſcilicet & aqua, vt ex eorum quotidiana ad inuicem commixtione maximè lapides generari perpetuò pro certo compertum habeamus. Nec alia eſt lapidis concretio, niſi terræ pars tenuior & purior aquæ commixta, vel impurior aut terreſtrior aqua, a Solis calore exucta humiditatis parte, ac etiam ab ambiente terra coire incipiens, frigore denſata reliqua, ſicciore deinde vtriſque concurrentibus longo tempore intercedente in totum ſoliditatis naturam adepta, cùm antea terreus liquor, vel aqueus lentus ac glutinoſus eſſet. Terra quidem Solis calore concocta aquis madefacta lenteſcit, nec minus quàm arte eſſecta calx, vel gypſum aqua mixtum liqueſcit, ac facilè coit, & exucta aquæ parte, ab illa ignea natura per coctionem acquiſita, reliqua ab extranea Solis & frigoris vi exiccata, lapidis naturam adipiſcitur. Denſior verò, durior, aut fragilior lapis erit, ſi purior vel impurior, tenuior vel craſſior terra immutata erit, magis vel minus Solis ardoribus excocta, & deinde maioribus, vel minoribus frigoribus denſata, longiore tem-

pore perfecta. Eſt & alia denſior, puriorq; lapidum concretio, quæ non ab ipſa terra vel aqua ad inuicem imbribus commixtis efficitur vt ſuperior; ſed ab eorum vaporibus ſurſum elatis atque denſatis, vt ſunt lapides è cælo cum fulgure decidentes duriſſimi, atque politi, verùm vt exemplum afferamus, quod oculis ſubijci, & & ex eo conijci poſſit modus eleuationis vaporis & congelationis, proponemus ſulphureas euaporationes Puteolanas, quæ nobis aqueæ videntur, attamen circa ſaxa ſpecus è quo exeunt, ſulphur adhæret ſalis modo concretum, ſed & ipſum artificiale ſulphur, ex terra lapidibus calore vaporantibus, veluti per alembicum ex fornace fluit humor, qui ſulphur eſt, ſic & alia mineralia. Sed & fuligo in caminis nonne præter illam ſpongioſam, aut lanoſam in ſuperficie alia ſubeſt cruſtoſa dura, & nihil aliud eſt niſi lignorum humiditas, tamen terream adeò magnam ſecum habet naturam, ac etiam lentorem quendam, vt in ligneis caminis obſeruatur veluti pice infectis ſplendida vitrea cruſta intectis fumo illam afferente. Ex huiuſcemodi verò concretione facta lapides quidem vegetabilem quandam naturam habere conſpiciuntur, atque creſcere illos quis putare poſſet: verùm augmentum lapidi venit additione ſuperueniente, ambiente, vel vt in his ab imo ſuccurrente, quare veluti ab radice alimentum & augumentum habere videtur. Exemplum in dentibus & vnguibus. De his quæ per additionem creſcunt, vt in teſtaceis maritimis & terreſtribus cochleis, quibus non centrum, ſed circumferentia ampliatur. Signa rugarum teſtantur hoc, ipſaq; extremitatis ora veluti cartilaginea, duritiem adhuc non habens, ex ambiente humore viſcido ipſius animalis generata. Huiuſmodi concretio in Tiburtinis lapidibus conſiderari poteſt, aſſuloſè quidem conſtructi conſpiciunrur, nec alio modo quàm Aquæductus antiqui fundum Gallicani obſeruauimus, cuius concretione non minus quàm ex Tiburtinis calx optima coquitur, locus etiam ibi adeſt, in quo aquæ ſedimentum in lapidem concretum, pontis vicem præbet, nulla ſubtus fornice exiſtente, atque ſub illo aquæ decurſus valleculæ aut foſſæ pertranſit non longè à publico illorum Fonte. Alia obſeruatur concretio ex ſtillicidio in domorum fornicibus non tectis, alijſq; naturalibus cauernis, in quibus aqua calce, vel terreno glutine infecta paulatim ſtillans congelatur, ac non minus vt in tectorum glaciatis ſtillicidijs euenit hyeme & lapideam naturam aſſequuta inuenitur. Sic etiam infra terram efficiuntur lapides illi ſpongię appellati: ab eo-

rum

rum fiſtuloſa effigie & poroſa, dicti, quos Æquicolis propè fontium decurſus fodiebant incolæ, vt ex illis fornices & arcus ſtruerent, non enim niſi ſaxa in ædificiorum vſu habent, illisq; propter grauitatem minus vti ſolent, niſi ſcalpello paratis: ſpongiæ namq; iſtæ intra cauas ſaxoſæ terræ partes oriuntur, illarumq; locum replet. Nec minus ſaxa ab eodem lento humore glutinantur, inueniunturq; ſpeluncæ ibi minutis ſaxis agglutinatis lentore illo in ſaxũ etiam verſo. Quare minimè de his dubitandum erit cuique naturã ſpeculanti ſupradictarum rerum. In his verò differentia eſt maioris vel minoris duritiei, coloris, læuoris & reliquorum, à terreni natura & loci, temporisq; diuturnitate prouéniens. In frigidis quidem locis & niuoſis potius ſaxeam naturam accipere obſeruauimus, quamquam hoc non omninò affirmare poſſimus, nam & tophoſa loca & argillacea inueniũtur, in quibus minimè ſaxa perfici queũt, quamuis frigidis in locis exiſtant: quare præter locum frigidiorem vt denſiores fiant lapides, terrena ſubſtantia maximè operatur, qua variante varietas duritiei, denſitatis, læuitatis coloris & conſiſtentiæ proficiſcitur. Concurrit etiam non minus loci humiditas, qua terra magis conficitur, & abluitur, tenuiore illa purioreq; parte ſeparata ab humore ipſo cui miſcetur, atque magis in vnum collecta, qua deinde lapis efficitur. Contrà verò locis calidioribus & ex conſequenti ſiccioribus, in quibus quamuis magis terra videatur concoqui, propter pauciorem humorem atque minus diuturnum, & citius exiccatum minimè terra diſſolui potuit, nec per continuã ablutionem in vnum colligi, ſed ita alieno terreno mixta pars illa glutinoſa ac lenta, nimia ſiccitate ſuperueniente ita mixta coit, atque in minus denſum atque durum lapidem vertitur terrenam adhuc naturã habens, vt ſunt tophaceæ tophi, cœmentitiæ & ſimiles concretiones, quæ plerumque in maritimis & calidioribus locis obſeruantur. In montibus niuoſis quidem ob continuam humoris abundantiam aquarum, & niuium terra magis excolatur & colligitur in alueis in quibus deinde denſatur, atque ob humoris frequentiam, ligna, cornua, animalium vngues dentes oſſa, teſtacea, cruſtacea & ſimilia putrefiũt, quamquam à frigore ſeruari poſſent, quod minimè euenit in locis calidioribus & maritimis vt obſeruauimus: nam ibi ob humoris paucitatem & nimiam ſiccitatem potius ſeruantur veluti condita ab aëre & humore tuta, quæ ibi obruta inueniuntur. Et vt experientia comprobari hoc videatur, noſtrã in hoc obſeruationem afferemus, quam omnes veram fateri oportebit.

tebit. Apuliæ tractus in quo Ciuitas nobilis eſt *Andria* dicta, tota collibus & cliuis referta eſt tophaceis, quibus ad ædificiorum ornamenta & ſtructuras arte elaboratis vtuntur, & per totam ferè Apuliam etiam ſimilibus, quibus conſpectis nihil aliud quiſpiam, eſſe dixerit, quàm aceruum, ſiue potius maſſam teſtaceorum maritimorum terreno glutine confectam, atque varia cochlearum conchyliorum teſtaceorumq́ue fragmenta ac etiam integra obſeruabis nullam corruptionem adhuc temporis paſſa: nec in quolibet communi manuali lapide duo aut tria conſpicies, ſed totum ex illo confectum dices, vt vix altera ſit terræ portio: nec etiam vni lapidi hoc accidere, ſed toto colli, nec vni ſed omnibus per totam illam, regionem. Non autem hoc ita in Apenninis montibus euenit, vt diximus, rebus humorem aduerſantibus, & in terram putreſcentibus, nam & ipſas maritimorum animalium teſtas putreſcere ibi certum eſt, ſicut ligna, oſſa, & terreſtres etiam cocleas, & alia de, quibus dicemus, quæ omnia non integra, & veluti ſeruata; ſed penitus putrefacta in lapidem verſa vel potius ſaxum, vt ad ſiliceam, naturam parum accedere videãtur ob duritiẽ denſitatem, & leuorem: cùm illa in Apulia ſeruari videantur à tophacea concretione fragili admodum reſpectu ſaxorum. Huius rei contemplationis cauſa fuerunt varia teſtacea aliaq; naturalia intra ſaxorum moles inuenta eâdem ſaxorum natura, ſed propria effigie ſeruata; in, quorum ſtructura animaduertendum cenſuimus, illa non ſic intra, ſaxa naturam efformaſſe fortuitò vt aliqui putant, ſed immemorabili tempore ab hominibus deiectis, & caſu terra obrutis intra humum putreſcentibus, illa ſicut & ambiens terra in lapidem deinde mutata elementorum perpetuâ viciſſitudine, non minus ac excuſſores ac ſculptores faciunt, ex conuexa cauam effigiem atque ecõtra conuexam: Hoc teſtari videtur exacta admodum illorum delineatio, atque cum ipſis naturalibus ſimilitudo, atque etiam copioſa eiuſdem rei, eiuſdem effigiei magnitudinis, & ſtructuræ inuentio: non enim ſi caſu â natura effingerentur tam ſimiles, & exactè formarentur vt eadem prorſus res, non dicimus, ſpecies, videatur. Aliud accedit argumentum non ex principio ſaxa fuiſſe, nec ſimul cum ambiente ſaxo denſata & mutata, teſtaceorum cadauera ſiue, cortices, ſed prius ambientem terram, quæ cadaueris accepit impreſſionem, deinde putreſcente in totum ipſa teſta, in eandem naturam ab eodem lapideo humore repleto: firmatur exemplo & experientia; ipſam teſtacei partem internam ac meditullium, non, illam

illam habere denſitatem, quam ambiens lapis inuenies, ſed vt in Saccharo euenit, inane, ac gemmæ modo anguloſum ſplendidius tenuiorisq; admodum, puriorisq; ſubſtantiæ, quod & Sali nitro, & alijs mineralibus euenit, & hoc ratione deficientis ſimilis materiei, partis ſcilicet glutinoſæ, cuius introitus præcluſus cenſendus eſt, denſiore iam reliqua ambiente ſaxi parte effecta, & aqueo illo inepto euaneſcente. Hoc autem non ita euenit alijs rebus, cuius corpus poroſum, vel vniualue ſit, in quibus facilior putrefactio, ac lapidei humoris concurſus, & craſſior videtur, cauitate illis deficiente. In quibuſdam craſſis rebus, in tubulis nos obſeruauimus lapideis inuentis, quorum ex ligneis ramulis putrefactis origo fuit, inuenitur luteſcens argilla boli modo, quæ linguæ adhæret, leuoremq; affricta recipit, inter gemmatas eminentias illas nitri modo in eorum cauo centro hærens: putrefacti forſan lignei fruſtuli, reliquiæ, cum aliqua terræ portione à lapidea natura diuerſa commixtæ, ibiq; incluſæ.

In lapideam, ſiue ſaxeam naturam hæc apud nos ſeruantur à nobis in Campoclarenſi Arce, dum illam ampliorem, magnificentioremq; reddebamus, obſeruata: quæ in ſaxeis molibus inuenimus cuneis malleisq; deiectis ac explanatis. Cornu Veruecinum pedem ſuperat duabus vncijs longitudine, palmam latum, interna parte ferè planum, externa ſemiſphæricum, tribus per longum lenibus decurrentibus ſtrijs, obliquè verò ſinuoſis rugis diſtinctū, atque à medio circa initium denſioribus ſemper, & aſperius; atque parte qua hærebat Tiburtini lapidis modo minus denſum, atque poroſum. Cognoſcitur non ex Naturæ caſuali artificio, vt quædam imagines informes inueniuntur, ſed ex naturali re, putrefactu in terræ viſceribus effigiem recepiſſe, non enim rugæ, atque ſtriæ interiori parte reſpondent, vt in illis, quæ ex ſtillicidio, vel alio paulatim additamento ex lapideo humore conſtructis obſeruatur, & nos retinemus, vt quibuſdam differentiam ſtructuræ oſtendamus, qui hæc minimè fieri poſſe putant. Nam interna illius pars craſſiore ſubſtantia diſcernitur, & exterior quæ cornu compago erat, tenuiore, denſiore concretione perſpicitur conſtructa, quam poſtremam craſſior humor penetrare nequiuit. Habemus Bouini cornu fruſtrum ſuis etiam rugis diſtinctum obliquè, rotundiore effigie. Aliud etiam in quo cornea, vel oſſea interior compago adhuc non conſumpta laxior & poroſa videtur meditullium durius, & denſiore natura. Aliud paruum Bubalini pulli tres vncias lon-

gum. Medullam hircini cornu, qua diſrupta ineſt Pectinis exigui marini effigies altera parte caua, altera verò conuexa, & coniunctis fruſtis ſibi reſpondens. Pectines diuerſi, læues, & Imbricati, obliquè ſcilicet elatis, veluti ſuperpoſitis cruſtis, imbricum ritu. Pectunculos etiam. Pectinem alium, ſed minus denſæ concretionis maiorem omnium, *Guardia Campoclari* Caſtello dicto inuentum. Ibi enim quædam tenerioris ſubſtantiæ candidus lapis in vſu eſt ornamentis condendis. Conchas rotundas ſtriatas, qua nos *Gongole* appellamus, quamplurimas ſimul cohærentes, quæ & excipi, & à ſaxo facilè ſeparari poſſint integræ, durioris naturæ vt ſaxa montium altiſſimorum vbique. Alteram Spondyli effigie oblongam, & informis ſtrijs, Conchæ corallinæ ſimilem. Alteram recuruam Cochleæ modo. Patellam ſiue Lepadem magnam Hiſpanicæ ſimilem. Chamam læuem paruam. Alteram maiorem rugoſam obliquè. Cochleas terreſtres læues maiores montanas è ſaxea matre ſeparatas. Alias paruas læues. Alteram maritimam per rectum, rugoſam, & compreſſam. Alteram obliquè rugoſam & maritimã. Cochleam alteram depreſſiorem ſtriatam per obliquum, limbos habens elatos & aſperos, & lineas curuas & obliquas per obliquum. Alteram maiorem vmbilicatam per rectum ſtriatam & lineis depictam denſiſſimis ac tenuiſſimis per obliquum.

Aſtaci parui anteriorem ſupernam cruſtam. Tubulos lapideos, ex lignorum fruſtis formatos, in quibus pars interior veluti gemmis angulosis confertis eſt conſtructa, in quorum cauitate gemeis lapillis hærentem argillam luteam, aut pallidam inuenimus, quæ Boli modo læuigatur, & à lingua dependet, in Andria Ciuitate in ſaxorum cauis rubentem colore, magisq; linguæ hærentem inuenimus, ſed rudiorem.

Habemus & non paucas alias res lapideas, veluti Caprarum & Suum vngulas, dentes cornuum medullas, Spondyli, vel Oſtreæ partem criſtatam circa ora, & ſimilia. Quæ omnia intra ſaxeas moles, & ſaxa inuenimus primò fortuitò animaduertentes, deinde data opera multis diſruptis ſaxis. Horum veſtigia nulla foris apparent, ſed diſrupto ſaxo aliquando ex aliqua parte fortunâ inuenitur, ſed in Campoclarenſi arce nos hæc omnia habuimus.

Quomodo igitur maritimæ conchæ ibi lapideæ inuentæ, è mari aduenerint, aut quando aſportatæ fuerint, vt in lapides mutari potuerint, conſiderandum reſtat. Nos quidem Diluuij vniuerſalis tempore ab aquis aſportatas, ac terra obrutas longiſſimo illo

tem-

tempore mutatas ſicut & ipſa aqua & terra, in montium illorum cauis. Sic etiam & colles illos Andriæ in Apulia mutatos eſſe cenſemns, tophaceamq. naturam aſſequutos, cum primùm aggeres forſan ab alluuione facti fuèrint, imminente aqua in quibus copioſiſſima omnis generis teſtaceorum eſt concretio, ita vt maior ſit concharum quàm albæ terræ congeſtio, quod qui libet in ſpeluncis propè D. Mariæ in Lamis appellatæ miliari ab Andria ciuitate obſeruare poterit: mirabundus quidem dicet, ſpeluncas non natura ſed induſtria teſtis conſtructas, ſed quia tota illa regio ſimilibus ſcatet, naturam non artem admirandam fore.

In Valuenſi Comitatu & in Oppidi Anuerſæ nomine monte qui ſuperſtat reperimus quamplures pectines ſaxi naturam adeptos, verùm lapis ille non adeò durus vt Campoclarenſium, qui nedum effigiem reliquerunt, ſed & ipſa teſta etiam reperitur non putrefacta, ſic etiam Spondylorum, Concharum, & Turbinorum, quorum non pauca habemus fragmenta præter integras teſtas ſaxo hærentes & intermedias, ex quorum conſpectione manifeſtè patet non potuiſſe niſi Diluuij tempore inter montium aſpera loca remanſiſſe, vel limo obruta hæſiſſe, & longo tàm tempore omnia lapideam aſſequuta naturam. Inuenitur & lapis depictus, muſcum repræſentans, vel ſyluam, colore pallens lineis nigris, in eodem monte, editiori verò loco; cuius origo videtur à tenuiſſimis fibrillis herbarũ, vel fruticum intra ſaxorum fiſſuras demiſſa & orta, initium duxiſſe: reperimus quidem ſaxa fiſſa ſed hærentia, in quorum ſuperficie partium fiſſarum, locus erat cauus fibrillarum quæ iam putrefactæ erant lueeſcente quadam ſuperficie terrea adhuc, planam editiorẽ lapidis cruſtam preparante, quam lapideſcere temporẽ putamus & caua illa loca nigro limo repleri.

Vidimus apud Alexandrum Cyombolum Patritium Theatinum Aromatarium præſtantiſſimum ac naturalium rerum ſtudioſiſſimum, inter cætera naturalia & mineralia varia quibus delectabatur, lapideâ ſubſtantiâ, verùm colore & ſuperficie metallica pulcherrimam Cochleæ ſpeciem: quæ vndiquè depreſſa atque vmbilicata erat obliquè rugis prominentibus vtrinque aſpera: atque margine ſiue limbo per dorſum decurrente nodoſo, denſis tuberculis veluti intortis, vtrinque contrario modo extuberantibus, vt in ſpiram conſtructi appareant: magnitudo cochleæ vnciali diametro perficitur. Vidimus eadem natura & ſuperficie alios Pectunculos auellanæ nucis magnitudine, globoſos non depreſſos, quorum alter

Mo. Bot. Garden, 1893

maior, maioribus ſtrijs atque rarioribus erat: alter vero minor parum, denſis atque tenuibus ſtrijs, omneſq. non vt aliæ conchæ recta linea aperiebantur, ſed veluti maxillas habentes vtrinque, inferioribus breuioribuſq. ſuperiores decumbunt, at in medio, veluti ex mento producuntur ſtriæ aliquot ſuperno veluti labio breuiori ſe coniungentes, trigonum ſiue ſpiram efformantes vndoſa linea. Horum exempla ex ſtamno habemus fuſa. Vidimus apud eundem nobis etiam digna memoratu lapidea materia, leui pallente dura ſuperficie concha quædam, quam ille naturæ lapidem diphyũ appellabat, ad differentiam Morij, quia vtramque naturam exprimeret, linea per medium diuidente. Nos autem διφυῆ dicimus, non quod ancipitis ſit naturæ aut duplicis; ex genitalium maris & fœmine effigie; quam in ſummo vertice exprimi putatur, ſed diphyã, quia duplex ſiue bifida aut bipertita ſiue gemina concha videatur, veluti ſi binos Mytulos latere coniunctos natura produxiſſet: Non ſecus ac in fructu plantæ Alyſſi à nobis deſcripti fructu duplicium ſcutorum ex Dioſcoridis mente. Concha nobis eſt in lapidem verſa, non ſecus ac aliæ de quibus ſupra mentionem fecimus: non autē lapis naturæ artificio ſic genitus, vt ille ex aliorum mente putabat Trigona eſt effigie, nam ex vertice ſiue connexione veluti ſi bini Mytuli coniuncti latere dependerent dilatatur, atque ab altera maiore atq. incumbente ſuperficie circa verticem, oblongum quid extuberat dependens, linea quadam obliqua illud definiente, quod maris genitale alij putarunt, ſub linea verò trigonum inuerſum efficitur in profundius deſinens, non ſecus ac in fœminæ pudendis conſpicitur, vtrinq; profectò extuberant dorſa veluti binum Mytulorum hærentium, atq; in latitudinem ſeſe protendentium. Ex altera ſuperficie verò, quæ minor eſt longitudine, cui prior connectitur, atque ſuperſtat, aliam exhibet effigiem, poſteriorem ſcilicet, in quo nates, & anum magnum; profundo vmbilico exprimit, nec minus deinde linea apparet longa, qua cohærere uidentur extuberantes binæ ſuperficies Mytulorum vſque ad anteriorem partem oris, qua pandi atque hiare ſolent conchæ. latera verò externa vtrinque non producta, vt in parte oris, ſed contracta atque in ſeſe recurua vt ſinum efficiant, vt in conchis mos eſt, quæ ad caput connexionis, recurrunt. Vtrinque ſuperficies Conchæ rugis lenibus obliquis ſignata conſpicitur vt in lęuibus conchis, quibus annalia incrementa definiuntur: qua nota non lapidem ſed concham in lapidem verſam dicas. Hãc nemo quod ſcire poſſimus ex antiquis me-

moriæ monimenta reliquit; rara quidem eſt effigies,at illius iconem expreſsimus,cum cochlea etiam depreſſa.

Addemus etiam nunc Pectunculi cuiuſdam lapidei, cum notas, tum etiam iconem, aliorumque rerum etiam maritimarum rariorum tantùm,quarum quaſdam non niſi lapideas vidimus, & ſeruamus quarũdam verò etiam teſtas habemus Pectunculi prima varietas eſt maior, tribuſque imbricum ordinibus diſtinguitur,vt in pictura notatur.ex eo genere Pectũculorum eſt,qui ſubrubentes ex candido ſunt & latis ſtrijs, illisq. per longum iterum exiguis lineis ſtriati læues tamen ſunt,dextraq.aricula minima,ſiniſtra vero maxima,etiamq. ſtriata,& in vertice leuibus tuberculis inſignita; ſiniſtra verò duobus tantum craſſioribus, ſed imbricis carent, lineis tantum parum rubentibus colore magis delineari videntur: in lapideo elati ſunt. Differunt alij, quod læues ſtrias habent, lineis cauis tenuibus tantum utrinq. definientibus illas, vnico imbricum ordine. In quibusdam latiore parte lineis tenuibus ſtriæ ſignãtur,ſuperiores verò dorſo tantum elato. alijs nullæ, imbricum notæ; Alijs plures circa latiorẽ teſtæ,ſed minus elatæ. Omnes has lapideas ex Campoclarenſi arce erutas ſeruamus, ac etiam quandam ex minus denſa compage ſabuloſa in Apulia lectam,in qua teſta,vix immutata.Sed aliorum teſtas tãtùm habemus, quorum alij ex fuſco colore ruffeſcunt,pallidisq. maculis inſigniuntur, denſisq. ſtrijs,illisq. denſè admodum ſingillatim imbricum more inciſis,& ſuper impoſitis.Alij quidem non tantum imbricati, ſed aſperi ob imbricum elata ſatis ima,quæ ſuper imponitur, parte,vt echinati dici poſſint & imbricati:Aures dexteras habent magnas,eodemq. modo aſperas dexteram vero minorẽ tertia parte. Interius verò liuẽt.Alij etiam eodem modo imbricati atq. aſperi,colore rubent puniceo,vel maculoſi fuſco colore mixto reperiuntur, differuntq. aure dextera minore; altera verò maior,& duplex apparet, inferiorẽ ſuperãs,extra prolatã ꝓpter magnitudinẽ.Differũt alij quod minores, utrinque auriti, pari modo vt Pectines, quos Miniatos dicere poſſimus; zonis ſunt candicantibus & rubentibus puniceis variegati obliquè latis alternatim, ac illis contrario colore exiguis punctis depicti:ſtrias habent quinque,quarum media maior; leuis eſt teſta, & per ſtriarum extremum obliquè limbũ dependentem habet,quod in aliis non obſeruatur,teſtæq.extremum oris illo terminatur Huius duplò maiorem ferè lapideam teſtam habemus ſed ſabuloſa concretione. Hãc noluimus omittere rariorem teſtã,

Lapidei Pectunculi.

Varietas.

Pectũculi non lapides Varietates.

Pectunc. Miniatus


Pectunculus lapideus. Alter ruber aure tuberoſa: Alter Miniatus minor
μυακτεις Mytulopectunculus auritus rarior Berberoides
Concha lapidea recurua
Concha lapidea Nautili effigie
Concha lapidea gibbosa
Cochlea niuea exotica
prona
ſupina


Buccinum lapideum leue
Buccinū max: variegatū ſtriatum
Buccinum Perſicum eburneum nitidum maculoſum

nec deſcriptam, quam ab effigie Mytuli, ſed aurita, media inter Pe-
Mytulo pectunculus auritus rarior Berberoides. ctunculos, & Margaritiferam Berberi dictam concham, & ob teſtæ colorem foris fuſcum, obliquè rugoſam Berberi modo, ſed oblongioris & anguſtioris ceruicis, & illius tenuitatem Mytulorum effigiem referente Μυάκτενα, ſiue Auritum Mytulopectunculum diximus. Argenteo vnionum nitore intus ſplendet, ſed ob tenuitatem atq. teſtæ diaphanitatem obſcurè. non vt Berberis candido, cui nō parum accedere videtur affinitate. Neapoli habuimus antequam Phytobaſanum ederemus, An illo mari perueniat non conſtat. Triuncialis magnitudinis eſt, cuius effigiem damus.

Cochlea niuea nitida rarior, exotica.

Diſtat ab alijs, atque à Neritis putatis à Rondeletio & Bellonio, minore voluta ima, maiore hiatu, nec vmbilicata in medio, ſed auris ſimilitudine adhærentis magnæ columellam & medium cochleæ obtegente limbo, non tamen totam cochleam vt in illa quæ pro Aeliani Nerita depingitur: diſtat niueo nitido colore equini dentis, ſiue Porcellanæ minimæ dictæ leuore; pollicis diametro eſt. Huic ſimiles lapideas habemus ſed maiores, duplo!

Cōcha lapid recurua Concham habemus lapideam magnam admodū ceruice recurua veluti cochleata cuius effigiem damus ob raritatem: Habemus & alias quarum pars altera gibboſa duplò ceruice eſt, maiore concha, alteram partem longè depreſſiorem & minorem ſuperante. *Concha gibboſa.* Seruamus & aliam ſpeciem rariorem adeò recurua ceruice, vt Nautili effigiem puppi referat, ſed conchæ modo lata, parumque *Altera Naut eff.* ſtriata craſſis ſtrijs. Habemus & multa alia, ſed & Buccinum etiam lapideum læuem cuius iconem damus, & notas deſcribemus, præter teſtas rariores ab alijs non deſcriptas, minusq; notas quarum pleraſque vt amicorum obtemperemus voluntati deſcribemus iconesq. addemus.

Buccinum lapideum. Cap. XX.

LÆVIS eſt, oblongaq. teſta, orbibus parum inferiores ſuperantibus, ob illorū rotunditatem, numerum, & paruam incumbentiam: nō enim inferiores à ſuperioribus nimis occultantur vt in alijs obſeruatur, quibus non paulatim, ſed ſtatim in acutum deſinunt, uentrioſi cum ſint. Differt ab alijs, quod inferior orbiū pars incumbens alijs, limbum exprimit planum, inferiorem orbē coronantem. Octo definitur anfractibus ſe in acutum deſinens, breuiq.

rostro

roſtro altera parte eſt. Marinam hũic ſimilem teſtam, ſed non eãdem habemus, magis ventrioſam, eodem modo inferiores orbes limbo coronãtem, colore vario, cinereo flauente ac albicante, parum oblongiore roſtro nec recto. Neapoli frequens in ſcopulis. longitudine quatuor pollices æquat.

Σάλπιγξ *ſiue Buccinum* μακρόλεπτον *paruum.* *Cap. XXIII.*

TVBÆ oblongam, tenuem, atque in latum deſinentem effigiem ore rotundo repreſentantem Conchyliorum teſtam, Buccinum appellaſſe Antiquiores apparet, tum etiam quia inflata eodem modo ſonitum ederet, illiusq uices expleret. Vnde Plinius, *Buccinum minor concha, ad ſimilitudinem eius buccini, quo ſonus editur; unde & cauſa nomini, rotunditate oris in margine inciſa.* Lib. 9. c. 16. Quid metam 1.

—— caua buccina ſumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine ſurgit ab imo

Buccinum dicunt Latini, quia buccam inflant, vel potius à Bucca, quæ idem eſt, quod Buccinum, à Græcis verò Κῆρυξ, quo nomine etiam *præco* & *Buccinator*, ſed quia Buccinum aiunt è curuis animalium cornibus fuiſſe Antiquis, quod credimus, nam & κερατίνη *Buccinum* vertitur, Reg. 2. cap. 2. à κεράτιον, vel κέρας deductum, quod cornu eſt, vel illi quid ſimile, vnde quia cornua ſimili modo in girum lineis & ſtrijs contorquentur, vt in his marinis teſtis obſeruatur turbinatis, ideo ita denominatum ab effigie, atque ab uſu cenſemus non à κηρυκίζειν, vt alij putant quod eſt, cerificare Plinio. Sicut enim Purpuras ab uſu coloris, ita Murices ab aculeatis tuberculis, Buccina, ab vſu & effigie tortili & longa. Buccinum igitur quamuis turbinatorum omnes ſpecies quodammodo referre dici poſſunt, illæ magis accedere cenſemus, quas longiore ſunt effigie, atque orbibus rotundioribus, nec ab incumbentibus maioribus occultatis, vt in Conchis cochleis & vmbilicis, atque Muricibus & Purpuris. Strombos quidem etiam pro tubarum vſu ab Antiquis acceptos teſtatur Nicandri interpres Græcus στρόμβον ἔλεγον οἱ ἀρχαῖοι ὄστρακον κογχυλίων ὃις ἔχρωντο ἀντὶ σάλπιγγος, ſed Strombos aliud eſſe propriè dicemus ſuo loco στρομβώδης teſta potius apta, ob longam quidem teſtæ formam Turbinatæ tubam referentem, Σάλπιγξ apud Archilocum Buccinum appellatum. Igitur quia hæc longa ſit, conuoluta in turbinem conchã, in latum rotundo ore deſinens Tubæ

longam

longam effigiem imitantem,ſub illius nomine deſcribi poſſe viſum fuit,& κηρύκιον dici poſſe exiſtimamus. Huius differentia eſt , quod albo ſit colore , orbesq. ſint cælati, craſſis toris & anulis eleganti ſtructura coronati,quaternis ſimul decurrentibus , quorum medij craſſiores,elatioresq.vt ſtrijs,cymatiisq. variis ornentur, à quorũ ſimilitudine marmoreæ columnæ in Templis eodem modo intortæ ſtriatæq. viſuntur ſcalptæ.Differentias alias habemus;quæ exiguis elatis lineis orbes ſtriantur;Aliæ læues omnino,Aliæ per longum limbis faſciatæ. aliæ verò alijs differentijs,de quibus alias.

Varietas.

Buccinum Perſicum eburneum maculoſum alterum nitidum μακρόλεπτον. *Cap. XXIV.*

RARIOR, venuſtior alijs eſt hæc exotica teſta, quã à colore, leuore,ſplendore,ac grauitate,planè ac ſi ex Ebore eſſet excauata,Eburneam diximus. Orbibus eſt duodecim conſtructa planis,ac depreſſis, vt vix imbricum modo incumbant maiores inferioribus,elatiq.parum appareant. Roſtro eſt vix prominente, ore anguſto,nec rotundo:maculis tota diſtinguitur binis ordinibus ſingulis orbibus ; quarum ſuperiores ordine paruæ , inferiores verò quaduplò maiores,ac ferè quadratæ.Colore ſunt ruffo caſtaneo,ac illis cæruleo quodãmodo ſuperimpoſito.Longitudine decem ęquat pollices,latitudine duos ex medio teſtæ ad acumen vſq. orbes alia medialinea ſignati obſeruantur, vt duplicari orbes videantur.

Buccinum Maximum variegatum ac ſtriatum. Cap. XXV.

ENORMIS magnitudinis nobis viſa fuit hæc Buccini elegans varietas, quare maximæ cognomine diſtinximus,ac popter artificioſas ſtrias,atq.ruffeſcẽtes lunatas lineas,atq.purpuroceruleas maculas,quibus orbes depicti ac variegati conſpiciuntur, Variegatam & ſtriatam appellauimus. Octo orbium anfractibus definitur, dupla ferè magnitudine ſuperiores incumbentes inferioribus excreſcentes;dodrantali diametro ſuperior orbis eſt , duplò latitudine in turbinem deſinẽs, limbis ſiue marginibus oris antiquioribus decem alternatim per orbes extuberantibus alatisq. diſtinguitur,vt decẽ annos ſuperare ſit indicium. Orbes verò toris minimum digitum equantibus,atque inter illos pari interuallo anulis quatuor imparibus craſſitie & extuberantia, cymatia referentibus

tibus coronari videntur, quãquam non ſemper eodem modo, cùm circa imam orbium partem craſſiores, atque circa verticem depreſſiores obſeruentur. Oris hiatus amplus intus ſandarachæ colore, margine limboſa, atque vndoſa, ſed circa columellã longis rugis ac frequentibus, ſtrigibus nigreſcentibus ex fuluo depictus atque aſper, tubulo infra columellam digitali amplitudine, pari oris linea definito, nec aliquid excedente. Habemus alias Buccini differentias, minores pedali & ampliore longitudine, eadem effigie, atque colore, ſed maculis paribus interuallo, minus elatis toris ac ſtrijs, roſtro parum prominente, oris margine aliquibus dentato rotundis tuberculis, alijs longis ſtrijs, alijs orbes tuberoſi, quas omnes alijs Deo dante enumerabimus & icones dabimus. Sed rariorem hanc parui Buccini tuberoſi candidi, ad Cerithia referendam, oris margine ſupra tubulum elata, & incumbens non inuerſa vt in alijs magnis, effigiem omittere noluimus, quamuis huiſmodi alias differentias habeamus, colore cinereo orbibus depreſſioribus, magis denſis minutisq̃. tuberculis aſperas.

Buccinum tuberoſū. Cerithiū paruum.

Buccinum alabaſtrite hirſutum λεπτόρυγχος. Cap. XXVI.

BREVIORIS roſtri eſt hæc Buccini ſpecies, quã à candore diaphano Alabaſtritidis lapidis æmulo, & hirſutie flauicante qua obducitur breui, cognominibus diſtinximus. Craſſioribus & paucioribus ſequente Strabelo ſtrijs hæc eſt obliquè aſpera, & per longum denſioribus, ſingulisq̃. orbibus alternatim, vt in maximo, alternatim limbi extuberant, qui alias oris margines fuère nec niſi ſuperioribus tribus orbibus, vt ex illis quatuor annis tantum exceſſiſſe cenſeatur: reliquosq̃. imos eodem anno habuiſſe, cum à Plinio celeriter craſſeſcere aſſeritur. Oris margine intus inciſa ſtriata, atq. craſſa ſatis ob limbũ externum tuberoſum per longum decurrentem. Hanc non nimis magnam habemus quatuor tantùm pollices æquantẽ longitudine. Oris ſtriæ parte ſuperna circa limbum flauo ſunt colore maculis infectæ.

Lib. 9. c. 36.

Κήρυξ ὀξυρύγχος, *Buccinum roſtratum fortè* ϛραβῆλος. Cap. XXVII.

BVCCINI roſtratam effigiem profert hæc & ſcopulis familiaris. Oblonga eſt teſta triplo latitudinem ſuperans, octo orbibus conſtructa, duplò alter alterum ſuperans craſſitie, ſtriatis, ac

inſuper ſtrigibus lineis iterũ inciſis, eodem orbium ritu, ac etiam per longum alijs extuberantibus ſtrijs decem eoſdem anfractus ornant. Oris hiatus ouali figura in rectum tubulum deſinens oblongũ, utrinq. turbinatus & tubulus etiã ſtrijs eſt obliquè cælatus & circa originem latior, quare non inſcitè pro ϛραβήλῳ ſiue ϛροβήλῳ qui pro Venti turbine ſurſum elato, ab Ariſtotele, ac ab Heſychio qui κόχλον ὃ ϛσάλπιζον eſſe ait, quæ contorta eſt, à verbo ϛροβιλῶ quod eſt συϛρέφω. & idem videtur cum Aſtrabelis Athenæi, qui ab Agia & Dercylo Strabelos Aſtrabelos dici aſſerit, & quod tubæ modo ſonos edãt, & alibi, genus cõchæ ſtriatæ interpretatur. ſicut noſtra eſt teſta quæ cãdicãs ad pallidũ vergens, oris margine inciſa ac ſtriata & circa columellã læui, elato pari linea, quod propriũ eſt huius teſtæ. In his paruis cancellos hoſpitari obſeruauimus, nec non & in pluribus turbinatorum ſpeciebns, etiãq. in purpuris quod Ariſtoteli ignotum fuit.

Lib. de mundo.
Lib. 3.

De Strombis, Et Rhomboide marmoreo exotico.
Cap. XXIX.

GENERALISSIMO genere ϛρομβωδῶν, à latinis *Turbinatorum*, dicto continetur genus omne teſtaceorum, quorum ſtructura in anfractus cochleata vtrinque, vel altera parte in acutum deſinit. Genere verò ſubalterno, Strombi altera parte tantùm acuti, altera lati, vt veri turbines: & Strombi veriores, qui Rhombi Mathematicorum figuræ, vel Rhomboidæ referunt effigiem, continentur. Strombi verò qui Rhombi & Trochi à latinis dicuntur propriè, illud teſtaceorum genus erit, quod medio ventrioſum, vtrinque verò in acutum deſinens, duo triangula æquilatera, iſoſcelia, vel ſcalera, aut vnum æquilaterum alterum iſcoſcele refert lineis illa terminantibus, vnde à ϛρομβόω, qđ idẽ eſt quod ϛρέφω dictus eſt *ſtrõbus* quia volutatur & verſatur, idemque dicitur *Trochus* à τροχίζειν & Rhombus à figura; qui æneus vel ligneus erat, quo veneficæ utebantur mulieres. Ouid. 1. Amor.

Quid torto concita rhombo Licia. Martial. l. 9.
Quæ nunc Theſsalico lunam deducere rhombo.

Theocritus in Pharmaceutria

Χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας
Ὡ'ς κεῖνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέρῃσι θύραισι.

Quæ latinè

Et

Et quemadmodum circumagitur hic turbo æneus Veneris virtute,
Sic ille circumagatur aliquando ad noſtras poſtes.

Græcus interpres quid ſit Rhombus declarans ait, ῥόμβος quē Attici κορύμβον vocant, πάροσον τέλειός ἐστι ἀριθμὸς ὁ τρεῖς, ἀρχὴ ὢν καὶ μέση, καὶ τέλος, καὶ ἐστὶ φύσει τρίγωνος χάλκεος τροχός. Latini Turbinem trochum appellant, Acron, inquit, Trochus Turbo eſt, qui à ludentibus pueris ſcutica agitatur, & rotatur. Martial.

Iſte trochus pueris, at mihi cantus erit.

Homerus ilid. ξ.

Στρόμβον δ' ὣς ἔσσευε βαλών, περὶ δ' ἔδραμε πάντῃ. latinè,

Veluti Strombum mouebat iaciens, circumuertit vndique.

ideſt, δίνην ῥόμβου ἐποίησεν αὐτὸν στρέφεσθαι. Tibullus eleg. 5.

Namq. agor vt per plana citus ſola verbere turbo,
quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

Virgilius, *volubile buxum, appellauit*

Falli quidem ex his non parum videntur, qui varias pro ſtrombis alias Trochos, alias turbines, alias Rhombos appellantes depingunt tanquam, res diuerſas. Nos antem vnica tantū effigie parum angulis variante, vnicoq. nomine idē eſſe, at ſynonima Strombum Trochum, & Rhombum, quem poetæ aliàs Turbinem dixerunt: nos autem Turbinem proprio nomine aliam ſpeciem Turbinatorum deſcribemus nomini magis reſpondentē. Strombi igitur ſiue Rhombi & Trochi nomine illas conchas dignas eſſe cenſemus; quæ figuræ, vt diximus, Rhombi reſpondent: vt eſt illa à Rondeletio pro turbine intra ſpongiam degente, primo loco depicta, Huius plures differentias habemus; colore, effigie, magis minuſue obtuſa parte media, vel ima, magnitudine, maculis, ſtrijs & alijs, quarum vnicam tantum effigiem proponimus, ad illarum cognitionem. Illius generi aliquæ ex Cylindroidibus appellatis Cochleis, quarum ima volutarum ſit in angulum deſinens, non plana, etiam annumeramus; Illarum imaginem referunt lignei trochi, quos adhuc Neapoli *ſtrombuli* appellantur, pueris notiſſimi, quamuis rotundiore ſint effigie. Nunc de Stromboide marmoreo exotico dicamus. Candida teſta eſt, craſſa, duritie cæteras ſuperans, lima cælatam & expolitam emimus zonis lineis & ſpiris, circulisq. in medio radiantibus; atq. coloribus rubris, cæruleis, atq. viridibus incluſis, maſtice, aut vernice temperatis, ad duritiem & læuorem ac, diuturnitatem, aquæ humiditati reſiſtentem: ſicut lineis omnia nos expreſſimus. Columella illi ablata erat, vt poculi vsū præberet, Buccini

Lib. 7. Aeneid.

Strombi Trochi Rhombi qui et Varietates.

Stromboides exoticus marmoreus.

Hhh 2 quo-


Sromboides marm: exoticus
Strombus
Turbo
Rhombus
Trochus
Purpura corn. pelagia
Murex auritus maximus marmoreus exoticus
Purpura clauata
siue Murex paruus
roſtratus
Murex Strombodes
bilinguis
Pur. siue Murex pelag. marmoreus
Turbo Persicus maximus

quodamodo refert naturam, ſed ventrioſior eſt, depreſſior, atq. roſtrata: quatuorq. anfractibus definitur.

Murex ſtromboides, ſiue Rhomboides bilinguis. *Cap. XXX.*

EX is teſtis, ob anguſtum oris hiatum atque oblongum, in ſe colligentibus eſt hæc, Strombis ſiue Trochis ſimilis, quibus ob laterum læuorem rectæ lineæ Rhombum referunt. Hæc autem ab illis differt quia oris labium magis parum diſtat, &, quod teſta ſit tuberculis, ſiue obtuſis aculeis aſpera, vt Muricis nomen dederimus, & Rhomboidis. Exiguam & picturam ſuperantem parum habuimus teſtam, colore candido, ſtriata, rubiginoſis & nigreſcentibus lineis inter ſtrias obliquas, & nouē craſſis admodū reſpectu teſtæ tuberculis aſpera, in latiore turbinis parte, ab oris labio decreſcētibus, & ad oris rimam iterum deuenientibus. quatuor anfractibus in acutum deſinit parum etiam tuberculoſis. Oris hiatus colore ſandarachæ, & circa columellam croceo. Habet præter rimam linguæ aliam in oris margine parum diſtantem, quod peculiare in hac teſta obſeruauimus. Huic ſimilis effigie proponitur à Rondeletio pro Murice magno marmoreo, ſed illius pictor ignorauit artem typographicam, in qua omnia auerſa depinguntur, vt impreſſa deinde recta reddantur: quare omnia illius & aliorum icones ſiniſtro aſpectu ſunt, cum dextro eſſe debeant, tantùm illæ, vt quæ in Geſneri voluminibus exaratæ ſunt, rectæ conſpiciuntur, ſed non induſtria pictoris illius, cum reliquæ non exaratæ ab impreſſis, ſiniſtræ ſint depictæ.

Icones aliorum auerſæ, et ſiniſtræ.

Auritus Murex maximus marmoreus exoticus. *Cap. XXXI.*

INTERNO colore, læuore, duritie, & pondere marmoreo cum ſit teſtaceum hoc, huiuſmodi varijs cognominibus denominare placuit. Muricis nomen tribuimus, non quod planè Muricem eſſe aſſeramus, ſed quod ex eo genere videatur, ob tuberculos nouem circū diſpoſitos per orbem medium, quamquam non aculeatos. Turbine ita breui definitur, vt ab excedente oris marginis appendice, ſiue limbo aurem effigiāte occultetur, vnde *auriti* cognomen. Exterius obliquè ſtriatur leniter ad oris limbum vſque, qui contrario modo

rugoſus

rugoſus eſt iuxta illius circumferentiam . Roſtri vice teſta recuruatur,& deficit, foramem relinquẽs ad linguæ vſum. Oris hiatus ab alijs omnibus differt, quod non rotundus, & leuigatoriæ conchæ modo ferè oblongus anguſtus, ſed læuis,& parallelii lineis definitur,& in imo appendice magna lata,plana: ſicuti & tota oris margo veluti depreſſa. Neapoli ab amico Fontium conſtru ctore dono habuimus quindecim ab hinc annis. Seſquipedalis eſt longitudinis teſta,oris rima,pollices decem,duos lata .

Purpura Maior pelagiá exotica corniculata. Et de altera marmorea ſiue Murice magno. Cap. XXXII.

SCABRAS Ariſtoteles appellauit Purpuras præſertim pelagias, & Plinius clauatas,ob aculeos in orbem diſpoſitos ſeptenos ferè,atque ob id forſan Latini Murices illas . & ſimiles conchas appellaſſe videntur,quæ ad ſimilitudinem Muricum eſſent aſperæ atq. cleuatæ. *Murex quid.* Murex enim Latinis idem quod τρίβολος Græcis, ob ſimilitudinem Tribulii herbæ fructus & aculeati ſic appallatæ, ad cuius ſimilitudinem ferrei tribuli ſiue Murices à militibus ad defenſam haberi ſolent,vt illis ſparſis,à ſubita hoſtium eruptione in præſidia tuti ſint,vt a Valer. Max. lib. 3. refertur. Omnis etiam acuminata durities aliquando murex dicitur. Virgil. Aeneid. 5.

—& acutò in murice remi
Obnixi crepuere.

Lib. 21. c. 23. Plinius ſylueſtrium Carduorum capita muricata dixit, *Vtrique folia pauca ſpinoſa,muricatis cacuminibus*, Quapropter Murices pro purpura accepiſſe coniectari licet, ex his, nam ab Ariſtotele Purpuræ tantùm mentio habetur,& à Latinis Purpura ſiue purpureus color Murex dicitur, Martialis

Sanguine de noſtro tinctas ingrate laternas
induis,& non eſt hoc ſatis,eſca ſumus. &Ouidius-
Nec qua de Tyrio murice lana rubet .

Lib. 9. c. 36. Non neſcimus à Plinio Murices pro Buccinis ideſt, κήρυκες Ariſtotelis uſurpaſſe dum ait,Purpuræ viuunt annis plurimum ſeptenis. latent ſicut Murices circa canis ortum tricenis diebus. &c. quæ *Ibid.* Ariſtoteles ita Grecè dixit, τὰ μὲν γὰρ ὀστρακόδερμα πάντα φωλεῖ, οἷον τά τε ἐν τῇ θαλάττῃ πορφύραι, καὶ κήρυκες. & alibi Purpuram & Buccinum ad tincturæ vſum apta s recenſet,dum ait, *Concharum ad purpuras & Conchylia eadem quidem eſt materia &c.* Buccinum ore rotundo margi-

margine tantum inciſa,& Purpuram clavatam & roſtratam,acu-
leis in orbem ſeptenis,qui non ſunt in Buccino. Et alibi, Muricis
nomen tanquam genus turbinatorũ accepiſſe,dum firmiores teſta
eſſe aſſerit,quàm Pectines. Et alibi Muricem appellaſſe concham, *Lib. 9. c.32.*
vtroque latere ſe colligentem,quæ Mutiani Echeneis eſt.& alibi *Lib. 9.*
Muricum generis ſunt quæ Græci vocant colycia,alij Corythia,tur- *c. 25.*
binata æquè ſed minora multò . nos legeremus κηρυκεῖα, à verbo
κήρυξ,eò magis quod æquè turbinata ſed minora eſſe idem referat:
Buccini ſpecies paruas forſan intelligens: *Cerychia* reponentes. Et
alibi omnia Maris animalia recenſens, Muricem nominat,& Buc- *Lib. 33.*
cinum omiſit,Purpuram ſuo loco referens:quamobrem non parum *c. vlt.*
ſuſpicari poſſumus , & forſan aſſerere,nil aliud Muricem eſſe apud
Plinium,quàm Buccini ſynonimum; & turbinati genus ad tincturæ
vſum,vel Buccini effigie. At retenta Muricum deriuatione,ab acu
leis quibus exaſperantur ad differentiam Purpurarum, quæ etiam *Murices*
ſunt muricatæ : reliqua teſtaceorum turbinatorum intelligamus , *qui.*
quæ muricata ſint alio,quamPurpuræ,modo: vt ſcilicet triplici or-
dine trigono,Tribuli modo quoquo verſu repoſita, elatis ſurſum,
aculeis infeſta, non in orbem vt in Purpura : Vel non recedentes a
Rondeletio , reliqua teſtacea grandiora tuberculis vel aculeis ali-
quo modo infeſta , nec longo roſtro , vt Purpura, ſed illo carentia.
Quam autem Purpuram intelligamus a Plinio deſcriptam, illam di
cimus eſſe ſed littoralem,a Doctiſſimo Rondeletio depictam,quam
Neapolitani *Sconciglio*,appellant,menſis expetitam , & piſcatorio *Purpura Plinij.*
foro quotidianam;cuius ſpecies plures obſeruauimus, magnitudi-
ne,colore atque aculeis variantes .

Rariorẽ hãc exoticam pelagiæ teſtæ ſpeciem Romæ habuimus ad- *Purpura*
huc inuiſam,quæ littorales noſtrates quadruplò ſuperat,decem pol *cornicu-*
lices longa,& quatuor ſuperans diametro,remiſſo turbine , tribus *lata.*
anfractibus contorto,ventrioſa,ore circa columellam aurito , pari
limbo elato & lato, oris orbem altera parte adimplens , ſtriis per
longum orbes diuiſos,vt vulgaris habens , in quibus magni admo-
dum & tres pollices æquantes aliqui contorti aculei ſunt eodem
numero , contrario modo recurui & ideo corniculatam appellaui-
mus. In ſummo longo quinque pollices tubulo,deſinens,duobus acu
leorum ordinibus obliquè ſurſum tendentibus rectorum aſpero
ſepteno etiam numero. Colore ex albo pallente vt Vulgaris , rugis
minimis verò,& criſpis tota teſta obducta . Habitu verò Vulgari
adſimilis .

Mar-

Marmoreæ alterius Pelagiæ teſtæ effigies ab illa craſſitie, magnitudine admodum diſtat, marmorea ferè ſpecie: tribus aculeorum maiorum ordinibus, trigona circuli ſectione diſpoſitis, quorũ maior ordo & craſſior in margine oris, alter minor ex oppoſito, tertius minimus in parte poſteriore non deſunt alij inter medij vt ſeptem numero orbem maiorem impleant, vt in Purpura; differunt aculei craſſitie inſigni, curuitate, ac etiam quia caui, & rudes appareant. Roſtro eſt recuruo depreſſo lato admodum, breui reſpectu Purpuræ vulgaris, rugoſo, ac illi in clauiculæ parte, vetuſtius hærẽs roſtrum vmbilicum formantem in imo. Oris margo vndoſa linea terminatur, nec altera parte elato limbo aurito, vt in Purpuris alijs obſeruantur: dodrantem æquat longitudine, Romę habuimus huius anni initio cum alijs rarioribus, ſtrijs & habitu in reliquis parum differt.

Murex Marmoreus Pelagius.

Varietas. Purpurarũ varietates.

Huic congeneres vmbilicatas, eodem modo roſtratas ſed minores, nec longis aculeis, verùm tuberculis eodem modo diſpoſitis variantes ſeruamus. His deinde accedunt Purpuræ ſpecies aliæ maiores, ſed tantum aculeorum vice tuberoſas, intus flauas oris margine in columella aurito magno & elato: roſtro longo & tuberculis circum ornato vt in Purpuris Rondel. ſtrijs obliquè denſis, ac per longum limbis criſpis oris elatis ſeptenis, tuberculos aculeorum vice parum infra criſpa ora elatiore limbi dorſo proferentibus; reliquis, cum Purpura ſit, non differt; duplò maior vulgari.

Purpura altera muricata, ſiue Murex roſtratus paruus. *Cap.* XXXIII.

HVIVS etiam duas habemus differentias aculeorum breuiorũ tantùm ac colore magis obſcuro variantes: Altera quidem candida eſt ad pallidum parum inclinans eodemq́. trigono poſitu tres aculeorum ordines habet in elato limbi dorſo per teſtam diſpoſitos; ſed aculei longi, leues, ſuo diametro dimidia proportione longi adunci, ac linea quadam ſignati ac ſi in ſe conuoluti eſſent, & tubulati: alios breuiores medios habent. Quinque habet orbes, illosq́. ſtriatos, & parum tuberculoſos: roſtro eſt longo Purpuræ intus flauicante; oris hiatus limbo elato ab aculeis, atque inciſo eadem aculeorum linea, atque altera parte læui & elato: aculei caninos oblongos ſiue Muſtelæ dentes imitantur. Romæ habuimus. Hanc Doct. Ferd. Imperatus expreſſiſſe videtur, ſed eius pictor typogra-

pographicam ignorauit,cum ſiniſtra parte referat oris hiatum,qui omnibus teſtaceis dextera ineſt.

Turbo maximus Perſicus verior. *Cap. XXXIV.*

STROMBORVM appellationem generis ſubalterni, Rhombos,ſiue Trochos qui Græcis ſtrombi dicuntur,continere ſupra diximus;ac etiam Turbines. At quia *Turbo* ſiue στρόμβος, tàm Latinis,quàm Græcis non tantùm pro Turbinato genere Rhombi figuram explente,& à circumuolutatione Trocho dicto accipitur; ſed alio genere pro Ventorum conuolutatione,atque στρόμβος idem quod βέμβηξ & ρόμβος interpretantur,cum βεμβηκίζω, *in gyrum circumagito*, & *voluo*, ſignificet, vnde συστροφὴ ἀνέμου, δίνη, declaratur, *conuolutatio venti,aquarum vortex*, quia ex imo in altum circumuoluendo attollatur,vel à contrario, vt in aquarum vortice, qui à ſummo in profundum deprimatur,& ex lato in acutũ deſinunt, ad metæ formam rectam,vel inuerſam.Idemq. στρόβιλος ab Ariſtotele dicitur,qui flatus eſt ex inferiore loco ſurſum reuolutus,itemq. nux pinea, à forma coni,vt aitGalenus,quamquam cum ſupradictis confundantur ob quandam ſimilitudinem. Nos iam Strombos,qui Rhombi & Trochi dicuntur, diſtinximus: nunc autem qui Turbines propriè dici poſſint ad Ventorum ſiue aquarum vorticibus ſimilitudinem, qui non Rhombi & duorum trigonum referant effigiem, ſed vnius tantum,ad metæ formam rectam vel inuerſam, declarabimus.

Lib. de mundo.

Turbines veri qui ſint.

De Ventorum turbine. Virg. *Stridens aquilone procella*

Aeneid.1.& *Velum aduerſa ferit.fluctuſq; ad ſydera tollit.*

De aquarum vorticibus.

Torquet agens circum,& rapidus vorat æquore vortex.

& Ouid.8.Metamorph. *Corpora turbineo inuenilia vortice merſit*

Illud igitur Teſtaceorum genus,quod viuens & gradiens, vel mortuum repoſitum,non obliquè teſtæ cacumẽ gerat, vt omnibus alijs euenit turbinatis,ſed in pyramidis modum rectam gerat, & gerere poſſit,verum Turbinem eſſe pronuuciamus quod nemo animaduertit.Hæc quidem à nemine ita diſtinctè expoſita fuiſſe cognoſces, quàm à nobis hoc loco teſtaceorum aliquot differentias, non omnes,explicantibus;vt quilibet poſthac aptius congeneribus nomen tribuere,quàm antea poſſit; meliuſq. ſi Deo opt. max. placuerit, otia fortunaſq. largiri,de illis acturis aliquando. Plures habemus varietates ex noſtratibus paruis,ſedExotica hæc elegans teſta ba-

ſim habet quatuor pollices diametro ſuperantem, decem orbibus in acutum faſtigiata, ſingulisque orbium latioribus circulis tuberculi ſunt Piſi ſeminis magnitudine, tantundem latitudine inter ſe diſtantes, ſemperq́. ad verticem vſque minora, iuxta orbium diminutionem. Cruſta tegitur per ambitum obliquè rugoſa parum, & rudis, flauicans; qua detracta, ſubeſt alia margaritarum ſplendore argentea ſicuti columellæ initium, & circa oris internam partem, ac etiam parum in externa; quæ circularibus lineis depicta eſt, colore viridante, ac etiam obliquè. reliquum candicans eſt, vt internum.

Varietas. Noſtrates verò exigui, pollicis, vel ſeſquipollicis latitudine in latiore oris parte, quod viderimus, quarta parte latitudinem longitudine ſuperantes: colore alij flauicantes, ſplendidi, læues nitidi, totidem orbibus in acutum faſtigiati: differunt quod, inter orbium coniunctiones, linea tenuis extuberans decurrit illos diuidens, atq. ornans: maculis etiam quibuſdam candicātibus, & rubentibus inter flauicantem depicti; atq. circa hiatum latis circulis etiam maculis albis rubentibus & flauentibus infecti. Interna parte, ſicuti reliquis detracta cute externa, Vnionum colore ſplendore & læuore nitent. Altera varietas eſt minor, tantundem perpendiculo, quātum diametro, paucioribus orbibus, colore obſcuriore, ex virente cinereo flauoq́. coloribus mixto, rubris maculis variegata paruis, & per orbem tenuibus ſtrijs denſis decurrentibus eodem orbium ordine tuberculoſis parumper atque denſis admodum, inter quas aliæ lineæ læues per medium illarum ſimili modo conſpiciuntur, eximia Naturæ induſtria ſculptæ. Orbium verò ordines craſſiore tuberculoſa duplici ordine, et in vnum conflata zona diſtinguntur. Latiore teſtæ parte læuis zona per ora decurrit, quæ infernè dupliciter tuberculoſa apparet: reliquum circa oris hiatum frequentibus circulis elātis, & infectis ac etiam rubris maculis eſt ornatū. His figura non autem natura accedere videntur quodammodo teſtæ illæ ſtromboides, quas Rondeletius & alij pro cylindroide depinxerunt, quarum depreſſa eſt admodum turbinis ſiue volutarum centri pars, pyramidem referentes potius quàm cylindrum: ſed nos de illis congeneribus verba fecimus.


De conchis vtroque latere ſe colligentibus, & de Læuigatoria Πλατυγαςὴρ dicta. Cap. XXXV.

PLVRES ex his læuigatorijs conchis vidimus ſpecies, à Rondeletio & Geſnero pro Murice Mutiani depictas, ſiue Venerea cōcha, de quibus aliàs; nunc autē de hac nō deſcripta, quæ ab effigie ventris depreſſa & plana πλατυγαςὴρ à nobis eſt cognominata; lateribus vtrinque pari modo ferè in ſe conuolutis, magis quàm in vulgatis, quibus ſiniſtrum admodum, dextrum verò parum inflectitur. Huic rima oris magis medium occupat locum, ac pari modo obliquis ac latis vtrinq. ſerraturis eſt aſpera, vt vix dexteri lateris inciſuræ ab oppoſitis dignoſcantur, non vt in vulgatis denticulis vix extuberantibus in dextera parte rotundis. Differt etiam quod circa ceruicem maximè rima eſt caua vtrinque & ſtriata, quod alijs deeſt, & inſuper gibboſior, & colore obſcurè flauente maculoſo ſupra cinereum, parte prona; atque linguæ foramina medium locum occupantia, rectis limbis illa ſepientibus ex neutris extremo ſurſum elatis, hinc inde pari modo; & dorſo non obliquè dependente in dexteram, ſed in medio elatum. Supina parte, ex cinereo flauente albicat obſoleto colore. Nec prætermittenda fuit hæc quamuis exigua, cuius color vel cinereus ex candido, vel fuſcus flauicans, & nigricans: & maculis etiam aliquando nigreſcentibus diſtincta: vtraq. parte quibuſdam circulis excauatis depingitur; atq. in ima parte umbilicata eſt profundo foramine intus cochleato, quo ab alijs omnibus diſtinguitur, tribus aut quatuor circulis inciſa: in ſuperiore parte ceruicis pluribus duplò, Huius generis alias minores ſpecies habemus. quibus volutarum orbes deſignantur in imo, centrum q. tantum extuberat, læuigatoriæ conchæ ſimiliores, quarum aliæ maiores minus candidæ, oris hiatu denticulato, & altera parte rotundis exaſperato tuberculis. Aliæ candidiores atque minores, nec denticulato hiatu, ſed altera parte tantum paucis ſtrijs aſpero, quæ aliàs teſtæ foramen fuerunt, & linguæ canalis has Porcellanas appellant, quia in ſe porcellij modo conglobantur. Quam verò teſtam primo loco cineream deſcripſimus nullis prorſus dentibus vel tuberculis oris hiatus aſperum eſt, ſed omnino, læue, atque oris hiatu longo ad modum, vt ventrioſæ partis conchæ longitudinem ſuperet, oris margine maiore: quod maximè notandum, ad differentiam aliarum. Hæc ſi magna eſſet, quia in ſe maximè *Varietas.*

mè colligitur nec ore ſit aliquo modo aſpero,ſed læui;nec rotundo nec in angulos prodeunte,melius quadraret Murici Mutiani à Plinio deſcripto; cum læuigatoriæ conchæ omnes aſpero ſint admodum & ſerrato hiatu oris, quod alij tacuerunt ne obijceretur ſtatim. Sed neq. nos hanc eſſe Mutiani Muricem dicimus propter paruam molem,ac etiam quia Muricis nomine indigna videtur:non enim aculeis miricata eſt vt Purpura,ſi etymologiam ſequimur. At ſi Muricis nomen pro Turbinati ſpecie accipiamus, vt confunditur à Plinio qui Buccinum pro Murice intellexiſſe videtur, facilè ſi non ſupradictam,alias eiuſdem effigiei maiores ſupponi poſſe videtur. Adiuuant eiuſdem Plinij ex Mutiano verba id declarantia, cum ait, *Muricem eſſe latiorem purpura, neq. aſpero neq. rotundo ore,neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice concha vtroq. latere ſe colligente.* quamuis alij reſpondere Poſſent, Plinium de oris hiatus aſperitate verba feciſſe, nec ob id reliquum teſtæ ambitum minimè aſperum & muricatum eſſe debere. Nos autem dici poſſe cenſemus,de læui concha intelligi poſſe,quæ ſimpliciter in ſe conuoluatur,nullo turbinis acumine prominente,nec altera parte roſtrata,verbis illis adducti, *ſimplice concha vtroq. latere ſe colligēte*,ac ſi tota lateribus conſtet,anterioribus & poſterioribus carens Addimus,ab alijs minimè ꝑpēſū notandū,Conchas quæ naui vētis plenæ ac etiam in portum ſtanti adhærere poſſint, non repentes, vt omne turbinatorum genus ferè,ſed natatiles eſſe oportere; vt Nautilus Pompilus; Naues enim etiam in portu remorantes longè à maris fundo,ac ſcopulis abſunt; in quibus,niſi à maris ſpuma proles feratur, (vt de quibusdam obſeruauimus)nunquam adhærere poterunt:quapropter in animo eſt,quod Natatilis conchæ ſpecies ſit , ac forſan eadem quæ Nerites dicitur, vel congener dequibus agemus.

Concha maxima exotica Νηριτώδης *candida*. *Cap*. *XXXXI*.

MAXIMA hæc exotica etiam ex his in ſe lateribus conuoluentibus eſſe videtur:Differt à ſuperibus hiatu amplo admodum,vt ad Poculorum vſum aptiſſima ſit, atque ad id recepta argento auroq. exornata in Regulorum menſis collocetur. Dodrantali longitudine, ac tertia parte minor latitudine teſtam habemus candidam ex pallido exterius, atque additamentis rugoſa parum: interius verò candidam atque Eburneo nitore ſplendentē


Concha leuigatoria
Concha vtroque latere ſe colligens:
Supina
Concha maxima Νηριτώδης exotica candida
νηριτώδης altera lutea minor
Concha Νηριτώδης altera minor variegata

læuem; cuius oris latus ventrioſum teſtæ oppoſitam partem longitudine ſuperat, i lamq. incluſo turbine veluti vmbilicatam efficiat limbo excedente. In ſuperna verò parte iuxta columellæ ſummũ, lunatum magnum efficit hiatum ad linguæ vſum, dum adhæret. Interna verò columella tribus ſtrijs contorta cõſpicitur, quæ alias foramen fuiſſe minoris teſtæ cenſemus. Columellæ verò dorſum, rugoſum admodum eſt atq. Arietini cornu modo ſtriatum. Ponderoſa eſt, atque dimidio addito eiuſdem ponderis in aquis natat, ob id Νηριτώδην appellauimus, atque quo magis intra ventrioſam partem pondus hæreat, magis oris limbus attollitur ab aquis, vt velli vicem gerat, facilèq. à minimo flatu impellatur, vt Neritæ facere putamus, de quibus Plinius, *Nauigant ex his Neritæ, præbentesq. concauam ſibi partem, & alteram auræ opponentes, per ſumma æquorum velificant*, Alij legunt, *præbentesq. ſui partem & auræ opponentes*, idem pro noſtro ſenſu, aut quod cauam partem ventrioſam ſcilicet ſibi præbeat, in ea ſcilicet ſe colligat, & alteram, quæ minus caua eſt, ſed latior & amplior auræ opponant ad inſtar veli vel alia lectione, cauam partem ſui, inanem ſcilicet, auræ opponentes, quoquo modo legatur noſtram habemus intentionem. Quare conchas has nauigare cenſemus, ac Patellarum modo hærere ob magnum & amplum hiatum. Alias habemus differentias, ſed minores, quarum prima à ſupradicta colore flauicante abeſt, & inferiore teſtæ parte, cuius anfractus parum extuberant, ſed canali illos diuidente, vt in vmbilicatis; & oris limbo in imo aurito; columella interna duabus tantùm ſtrijs diſtincta, quia minor eſt; reliquis primo aſpectu eandem dices. His congener videtur concha illa à Bellonio pro tertia Nautili ſpecie dicta, motus forſan quia natatilis erat, nec rugæ natationem impediunt, cum carinæ vice deſeruiant: eandemq. Rondeletius illumq. ſequentes pro cochlea rugoſa & vmbilicata depingant, & non malè, alio nomine non inuento, quam enormem magnitudine vidimus. His congenerem aliam elegantiſſimam variegatam, quam Romæ fortuitu habuimus addemus; differt primùm quidem quia turbinata parum ſit, nec oris margo omnem colligit teſtam, vt in ſuperioribus ſed in maioris orbis imo hæreat, effigie verò rotundiore differat: ſtrijs læuibus nitidis latis, ueluti limbis, colore ex pallente carneo per longum cælata ornatur, illiſq. in aduerſum elatis & in aciem deſinentibus, ſingulosq. volutarum ordines acumine dependente diuidentibus. mediũ vero inter ſtrias, quod vnciali fere latitudine

Cognominis cauſa.

Neritarũ natura.

Lib. 9. c. 33.

Varietas. Flauicãs.

Altera congener.

Altera Variegata.

eſt

eſt in maioribus, denſiſſimis rugis læuibus eodem ſtriarum ordine depictum apparet. At quod elegantiam & raritatem affert teſtæ, lineæ ſunt in ſtrigium plano in arcus ſemunciales ſimul hærentes incuruæ, aliæ ſuper aliis incumbentes eodem ritu, ac denſè, arcus ſuper alios arcus effigiantes, colore flauo. Qui verò magis intuetur, ſingulis arcuum coniunctionibus, albam lineam per ſingulas ſtrias decurrentem conſpiciet, vndique ſtrias obliquè ſecantem. Interna parte oris hiatus læuis candicans eſt, & ob diaphanitatem & tenuitatem, ſtriarum ordines referens. Ventrioſa vero columellæ pars duabus magnis maculis fulueſcentibus obſcurè inſignita eſt obliquè, pauco cæruleo immixto, ex interna parte originem ducentibus; & ſtriæ minus elatæ, obtuſæ atque leuiores effectæ in nihilum deſinunt. Striæ verò circa columellæ dorſum recuruæ, denſiores apparent. Natat vt ſuperiores. Si autem in ſuperioribus cãcellos hoſpitare ſciremus (cum innumeris ſpeciebus paruis, & vulgaribus Purpuris incluſos obſeruauerimus,) nihil eſſet, quin minus pro Neritis ſupponeremus, interim à ſimilitudine nominaſſe ſatis ſit. Parua autem cochlea vix ſui partem auræ præbere poteſt, nec in mari conſpicua, nec auram recipiet ad impulſum. Neritam Ariſtoteles magnam eſſe dixit, nec aliorum Neritæ cochleam montanam ſuperant. Has vel ſimiles natatiles adhæſiſſe nauibus, & ob magnitudinem teſtæ, aquæ refluxus effeciſſe contrario claui fluxu, & ob id impedimento fuiſſe cenſemus; facilè quidem eſt circumferentia orbis parum detenta, maximam in centro vim ſiſtere; ſicuti & pauca vi in circumferentia addita, maximam in centro efficere. Hoc enim Clauus nauis efficit, parum quidem reſpectu nauis eminet, & quod plura vela ventis plena impellunt obliquè, (quod hominum mille viribus non efficeretur) ſolus homo, & claui fluxus in eadem naui, illam recta tendere cogit. Quod autem ſiſtere nauim poſſint, minimè nobis perſuadetur, remorari quidem non negamus, prçſertim ſi in prora etiam adhærerent. Qui muricem Mutiani à Neritis differre contenderit, non deſunt turbinata maxima aurita, varijs differentijs, breui, aut incluſo turbine in ſe colligentia, rotundo ambitu, coloribus & tuberculis præter effigiem diſtincta, de quibus aliis: ignoramus verò è profundo quomodo naui hærere poſſint.

Nerites Ariſt.

FINIS.


Conuoluulus pennatus exoticus: Quamoclit

Conuoluulus pennatus exoticus rarior.

NON aptius poterat alio generi planta hæc exotica referri, quàm Conuoluulorũ familiæ adſcribi: Natura totoq. habitu ferè ſimilis videtur, præter foliorum pennatorũ effigiem; lacte quidem turget dilutiore, floribus oblongis tubuloſis ſed quinquepartitis in ſummo, & roſeo colore hilari, lineis ſiue plicis ſtriatis, longo petiolo duobus vel ſingulis inſidentibus, alternato ſitu ex geniculis viticulorum: apicibus quinis pallidis; fructu deinde oblongo ex ſquamoſo calice, in apicem deſinente, cartilagineo cortice obducto vt Vulgaris Conuoluuli, ſed anguſtiore: ſeminibus intus quatuor oblongis nigris duris, acri guſtu. Folia viticulis purpuraſcentibus alternatim hærent pinnata tenui admodum diuiſura duplo Vulgaris Erucaginis Rheſedæ putatæ minora obſcurè virentia, ſed tenella pallentia, paucis primum lobis, deinde pluribus vtrinq. ad terdenos vſque, & vnico in ſummo, at priores lobi bifurcantur. Propter innumeros viticulos folioſos & floridos quos profert, arundinaceas crates adimplentes ſeſe contorquendo, maximè oculos conſpicientium recreat, quare penſilibus hortis iucunda. Semen primo Vere ſatum, Iunio emicat, atque prima folia Aceris fructus referunt effigie alata, vel Ari modo bifurcata vt expreſſimus, & apud peritum Aromatarium ac Herbariæ rei exercitatiſſ. Ioſephum Guidum familiaritate nobis coniunctum obſeruauimus Romæ. Auguſti fine floret, & Septembri deinde fructus perficit. *Quamoclit*, nomine ſibi miſſam retulit.

F I N I S.

Pag. 142. poſt, *flores edit cæruleos, longos*, dele, *acutos:* & pro, *folijs*, lege *virgis rotundis tenuibus ſimilibusq. tenuioribus Aſel, ſ. Iunci.* In fine eiuſdem Cap. adde, *Plantam quam Arach Syriæ, & Aegypti medici pro Eupatorio vſurpare ait Aumad ben abi chaled, virgis rotundis tenuioribus Iunci, Aſel, Barbaricè dicti, folijs in luteum inclinantibus, quod poſt florum perfectionem euenire cenſemus, floribus cæruleis longis non aliam eſſe cenſemus, quàm Dioſcoridis Oſyridem cæruleam nobis Linariam dictam, folijs ſtellæ modo, & Rubiæ per caulis genicula hærentibus, virgis læuibus tenuibus, longis flexilibus, amaro admodum guſtu ad obſtructiones aperiendas efficaciſſimam, vt ex Galeno colligitur, & Dioſcoride, qui Ictericos iuuare dicit, ramulis fractu contumacibus tenuibus lentis, folijs ad rubrum tendentibus, quod & arborum folijs & Vitis viniferæ obſeruatur, deinde luteſcentibus cum decidua fiunt.*

In cap. de Sepa pag. xxxviij. poſt, *æquare meminimus*, adde, *Romæ hoc anno, poſtquam impreſſa erant ſuperiora, in via ex S. Spiritus hoſpitali, ad Principis Apoſtolorum Baſilicam euntes Auguſto menſe inuenimus peremptam paruam Sepam vix dodrantali longitudine, eodem Vere genita, colore æreo fuſco, ſed vtrinque in dorſo à capite ad caudam decurrentibus lineis pallidioribus nitidis, lateribus etiam magis æreo colore nitente, ac circa ventrem candicante.*

Errata quæ irrepſerunt vitio literarum, peruerſione, mutatione, corruptione alternatione, additione, & deficientia, accentuum quoque defectus Latinis tum etiam Græcis, eruditus Lector per ſe corrigere poterit, nimis etiam paginam implerent.

Regeſtum. Omnes ſunt folia integra præter, Tt, ſeſquifolium.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

Index eorum quæ hoc volumine continentur, Sciat Lector, Communem numerum priorem partem. Alterum maioribus literis ſecundam deſignare.

ABortum prouocans 56
Abrotonum Maſ & fœmina quæ 53. Dioſc. & Plin ibid Varietates ſex a Doct. & Clar. V. Carolo Cluſio deſcriptæ. 50. Polium eſt Auctoris 49 & inde.
Abſynthium Seriphium quod. 53.
Abuhaniſa arabs auctor Simpliciũ. 143 quid de Goniza & Ghaphet dicat. ibid.
Acanthoides apula, quæ, historia 29. icon. 27
Acarna Theophr. Acorna Plinio, quæ, hiſtor. different. 26. icon, 23. Altera apula 28 icon 27
Acetoſa Neapolitana ocimi fol: βουκεφαλήφορα quæ, diff. varietates, 151. icon. 150
Acini folia non deſcribuntur à Dioſc. ſed ramuli, malè a Quatramio intellecta. 214.
Acorna, vide Acarna.
Alexipharmaca quæ, 29
Adagia, e vn fiele. 69. Ollæ conditori facilior anſa. 219. Feruentem aquã vſtulato addere. 315 Sua elixari aqua. 114
Αγριοκάρδαμον quod. 164
Agrimoniæ varietas odoratiſsima quæ, vbi, differ. 139
Agrimonoides quæ, hiſt. diff. 145 icon 144
Ahamad ben abdeſſamad arabis Herbarium Romæ. 22
Alcea ſiue malua laciniata quæ, hiſt. 148 icon. 147
Alchimilla minima mont. quæ, hiſt. 145. icon. 146
Alexipharmaca. 13. 7. 71
Algaſchi arabs. herbarum ſcriptor. 43. quid de Tabacco dicat. ibid.
Aliſmatis Varietas, quæ. 255. icon. 256
Aloe americana arbor. non habet ſucũ. 45
Aloe Dioſcor. & Arab. quæ, Eius ſuccum eliciendi è noſtratibus experimentum Auctoris. 40
Alopecias curant. 35
Alphos tollentia. 154
Alſine anguſtifol. rub flore maritima noua quæ. hiſt. diff. 122
Alſine Auctoris noua Phytobaſ. ſimilior Parietariæ, non eſt Cynocrambe. 195
Alſine montana hederacea maxima, quæ hiſt. diff. 289. icon. 290
Alſine ſaxifraga anguſtifol. minim. quæ. hiſt. diff. 292, icon 290
Altauela Neapol. piſcat. vide Paſtin. marina. alt.
Aluum purgant. 195. 70. 65.
Alyſſum Dioſc, montan. quod. hiſt. diff. 286 icon 288
Alyßum Plinij rubiæ facie 302 icon 300.
Aſtrabelus Athænei vide Strabelus.
Amaritudo Hyſſopi & fellis æquipar. 68
Ambuſtis medentia. 77
Amodites ſerpens viuos parit. xxvij.
Anchuſa lutea Echioides mont. quæ, diff. hiſt. 182. icon. 183
Androſæmum apulum, diff hiſt. 77. icon: 78
Androſæmũ Campoclarenſ. quod diff. hiſt. 73. icon. 74. Hirſutum quod, diff. hiſt. 75. icon. 74. Galeni. 77
Angelica vulgaris, Silphium eſt Auctoris. 107. 310
Anginis medentur. 70. 66.
Aniſomarathrum apulum quod, diff. hiſt. 89 icon. 90
Anthriſcus Auctoris, 102. Plinij. 91
Apium Antiquorum eſt vulgare petroſelinum hortorum noſtras, quare, diff. hiſt. 113. & inde.
Apologetica Epiſtola Auctoris aduerſus Euang. Quatramium de Phu Dioſcoridis, 210
Apoplecticis iuuant. 257
Aporrhais & Nerites adhærent vt Patellæ xiv.
Aqua ſua elixari adagium. 114
Aquæ inter cutem. med 70
Aquilone vide Paſtinaca marina.
Arabica volumina Auicennæ & aliorum

Romæ.73.ſextū canonis Auic.arab.ibi.
Arabum Eupatorij different. & Variet. qui hiſt.141.& inde.
ArachydnaTheophr.quæ.hiſt.334.icō 301
Aralda Bonon.tutte piaghe ſalda. 159
Ariſtotel.Nerites magna teſta. lxxi.
Ariſtot.ignorauit alias Viperæ ſpecies 37
AſclepiumPanax,quod.diff.hiſt.87.icō 86
Aſcyroides Galeni quod. 77
Aſperula muralis verticil.min.quæ, diff. hiſt 302 icon.300. Alyſſon Plin.
Aſtaci marini varietas,diff.hiſt.viij.icon vi.lapideus.xci.
Aſter cernuus quod,diff.hiſt.251.icon 252
Aſteris altera ſpecies apula an Baccharis 251.icon.253
Atractylis Dioſc.vnde,quæ,diff. hiſt.19. icon,23.etymon auctoris.21
Auctor iuris vtriuſq. Doctor.70.vix annor.xxv,cū Phytobaſanum edidit. 210
Auricula muris incana ſaxat. quæ, diff. hiſt 250
Auricularum inflam. 70
Auris Veneris quæ. xiv.

B

BAccharis Dioſc.quæ.hiſt.251.icon 253
Badigures arabs. Auctor Plant. 142
Balſamina altera, vide Neli me tangere. 149
Baſilici cariophyllati, Acinos dicti ab Auctore defenſio à Quatrā calumn.214
Berberis Oſtrei ſimil.x. liv.
Bilem trhait. 195
Borrago ſylueſtr.minor καρποχύνοπυς, quæ, diff.hiſt.181. icon. 183
Bucampe cornuta,quæ,diff.var.hiſt. xli. icon xxxvi.
Buccinum Antiquor.quod,differ. hiſt lv. & inde.Villoſum lxiv. icon xij.Lapideum,liv.icon liij.Exoticum variegatum Νηριτώδες læuius , xiix.icon xvi. Μακρόλεπτον paruum,lv icon liij. Maximum variegatum, variet. lvi. icon.liij.Roſtratum.lvij.icon liij Perſicum eburneum,lvi.icon,liij.Tuberoſū, lvij.icon liij. Alabaſtrite hirſutum, lvij icon,liij Vnde dictum,quare κήρυξ Græcis lv.
Bupleurum tertium minimum,quòd, diff. hiſt.85.icon.247.reponenda.85

C

CAllitriche.315.icon,316.Plinij 315
Cācelli quibus teſtis hoſpitātur.lviij.
Capparis leguminoſa eſt Telephi. 136
Cardamine puſilla ſaxatilis διοσκορίδης. quæ.diff.hiſt.274.icon.273
Carduus Benedictus ſuccum fundit ſanguin,125
Carduus ſtellatus mitior diff. hiſt. 30. icon. 31
Caſſida quæ,diff.hiſt.vnde dicta.187 icon 189.varietas 190
Caucalis Auctoris. 96
Ceanothos Theophr. quæ, vnde, diff.hiſt. 45.icon,46
Cecilia Vipera quæ, 38. eſt Seps.
Cedrus Paſsionis Domini noſtri Symbolum,& inſtrumentum. 70. Salomonis arbor max.68
Ceratia Plinij, quæ vnde, diff. hiſt.308. icon 307
Chamædaphne quæ. 164. eadē cum laur. Alex.icon 165.differt à Laurotaxa,& Hippogloſſo 166
Chamæleo albus Dioſc.qui,diff.hiſt.3.icon 12.quare ſic dictus,differt à Vulg.
Chamæleo vulgaris eſt IxineTheophr.& Helxine ſiue Hexine Plinij.3.& inde.
Chamæleo niger verior qui. 13
Chamæmoly an Moly Dioſcor. quod, diff. hiſt.329 icon 326
Χελώνιτης / Χελωνέχινος qui,xvi.icon xvi.
Chondrilla ſaxatilis viſcoſa Galeni. quæ, diff hiſt 238.icon. 240
Chryſalis quæ diff. ex quib. animal xlij. xliij.icon xxxvi.
Chryſo come Dioſc.Plinij vnde, quæ, diff. 81.icon, 82
Cichorium dulce, ἀκτινωτὶς montan. quod, diff hiſt.235.icon 236
Cichorium veſicarium,quod,diff hiſt.238 icon 237
Cipolle Piſcis ortus. xxvij.
Clymenum Dioſc. quod, hiſt. vnde, 154. icon 156
Cochlea cylindroides q̄.lix. Niuea q̄ diff. liv. icon liij. depreſſa celata lapid. quæ, xlix.icon,xxxvi.
Cochlea Ianthina marina. quæ,diff.hiſt. xxiij.

xxiij. icon xxij.
Cœliacis medentur. 310
Cometa marina, vide ſtella marina. v. icon vi.
Comitiales medentur. 66
Concha carinata rarior, quæ, diff. hiſt. xix. icon xvi.
Concha læuigatoria πλατυγαςήρ quæ. diff. hiſt. lxvij. icon lxxix
Concha max. exot. Νηριτώδης candida, quæ diff. hiſt. lxviij. item lxix. Altera flauicans lxx icon lxix. Altera variegata lxx. icon lxix. Maxima marmorea exotica imbricata, ix. icon xij Lapidea recurua liv. icon lij. Lapidea gibboſa, liv. icon lij Nautili effig. lapidea liv icon lij Cōcha diphya lapidea l. icon xxxvi.
Concha vtroque latere ſe colligans diff. hiſt. lxvij. icon lxix.
Coniza minor Dioſc. Eupatori Meſuæ 141
Conuolulus pennatus exot: lxxiij ic. lxxij
Coronopus maritim. Prochytæ diff. 218
Coronopus Neap. tenuif. min diff hiſt. 258
Cor roborantia. 257
Cotyledon alterū Dioſc. ſiue Cymbalaria verior, quæ diff. variet. 305 icon 307
Cotyledon aquat eſt Ranunc. ſpecies 315
Craſſum humorem trahit. 70
Croceum colorem & rubrum fundit ſtella Zafferana dicta v.
Crocodili ex ouo oriuntur, & natura 33
Cruciata Romana noua minima. 298. icon. 397
Cymbalaria verior Dioſc. 305. icon 307
Cynogloſſæ Plinij, diff. 167. & inde.
Cynogloſſa maxima mont. quæ, diff. & hiſt. 168. icon 170
Altera media argentea 172. icon 171
Altera media incana mont. glob. 173. icon 174
Altera viri: fol, rub flor. 176. icon 175
Altera fructu κοτυλώδης ſiue Λυχνιώδης 177. icon 178.
Altera minor mont. Serotina Plinij. 180. icon 179
Cynoſrambe vtraq Dioſc. q. hiſt. diff. 193

D

Dauci diff. 105. Secundus Dioſc. qui, diff. hiſt. 103. eſt Petroſel. Mace vul 107 Dioſcor. Tertius & Secund. Plinij 108 icon 109. Theophr. eſt carota rubra vulg. 110. Galeni Staphil. 107
Daucoides vide Paſtinaca. 102
Dentariæ plures ſpecies 310. Ceratia Pli.
Dentillaria Rondelet. quæ, eſt Tripolium Dioſc. 163
Dētiū dolorē ſedantia 159 66. 70. xxxv.
Diſtillationibus med. 70
Doctor V. I. eſt Auctor. 70
Draba Dioſcorid. apula. quæ. hiſt. 270
Draba minima muralis, quæ, diff. 274. icon 272
Dionyſias Androſæmi ſpecies, quæ. 77
Dyſentericis. 310

Echeneis Mutiani murex. lxviij.
Echinophora πολύκαρπος an Dioſc. Gingid. diff hiſt. 91. icon 94. Altera πλατύκαρπος quæ, dif. hiſt. 95 icon, 94 Altera tertia λεπτόφυλλον purp q̄ diff. hiſt. 96 icon 97. Altera maior. quarta πλατύφυλλον quæ, diff. hiſt. 98 icon 97
Echinus teſtudinatus qui, hiſt. xv icō xvi
Ethioides lutea minima, quæ diff. hiſt. 184. icon 185
Echioides altera parua alba, quæ diff. hiſt. 183. icon 185
Elephantus Plin. qui diff. hiſt. viij.
Elephas Cāpoclarens quæ unde, hiſt. 186. icon 188.
Elixuri aqua ſua adagium 114
Ephemeru Dioſc. vnde quod, diff. hiſt. 157
Epimedium Auctoris quod. 225
Epiphoris medent. 56
Equorum dorſis medetur. 163
Erinus Nicandri niueis floribus. 225
Eruca marinum animal. xxv. ſatiua herba, 271
Erucago apula trifid. quinquef. quæ, diff. hiſt. 267. icon 269
Eufragia maior latif. ſyl purp. quæ, diff. hiſt. 201. icon 262 Alter. lutea mont. quæ, diff hiſt. 204. icon 203. Prætenſis altera latifol. & Varietas. 200. icon, 202. quinque varietates. 200. & inde.
Eupatorium Dioſc Meſuæ & Auicennæ, diff. quod, hiſt varie. 138. & inde. Auicennæ idem cum Dioſc. 141. Meſuæ eſt

Coniza

Coniza minor Dioſc. 141. Alterum cæruleo flore Arabum Aegypti &c eſt Oſyris Dioſc. 142. ArabicèGaphet,Tarhalan,Tabaccũ,variè dicitur.143.Arabũ Auctoritates ibidem.
Fabago recent non eſt Telephium Dioſc. 134. ſed altera Cotyledon.305
Febres abig.xxxv. horror. 71
Ferrum equinum ἀπλοκέρατον 302. Alterum πολυκέρατον,diff.hiſt.302.icon 300.Alterum capitat.ibid. icon 301.
Feruentẽ aquam vſtulato addere. Adagiũ.315
Fiſtuloſis vulneribus,med.132.
Fluxiones cohib. 18
Fœtus cientia. 107
Fungi laudatiſſ.ex Acarna apula.29. illis aduerſant.25.Peziceæ Plinii 335.hiſt.icon. 336. Altera ſpecies.337.icon 336.Dipſacoides alter quercino diff.hiſt.337.icon 336. Lupi crepitus eſſloreſcens quod.hiſt diff.339.icon 336

G

Galiopſis Herbarii vetuſtiſs. Neap. 193
Galium mont.latiſ.cruc.quod,diff.hiſt.296,icon (297
Alter.nigropurp.tenuiſ.quod.diff,128.
Gaphet Arabicè eſt Eupator Græcor. 142
Gentianellæ quæ,diff.hiſt.varietat.220. Cærulea fimbriata, 222. Purpurea minor. 223. Altera Cordata.220.icon,221.
Geraniũ apulũ Coriandrifol.quod.diff.hiſt.136. icon.135.Alterũ rotũdif.mont.138. icon.137
Gingidium Dioſc.vide Echinophora. 91
Globularia lutea mont.q̃ diff.hiſt.152. icon 153
Gramen mont.capit.echinatum quod. diff. hiſt. 340.icon,338
Gramẽ alter διςαχυόφορον,diff.hiſt.139.icõ.338

H

Hemorroidas ſanant. xxxv.
Hepaticos iuuant.143,84.
Herbarium vetuſtiſs.Græcè manuſcriptũ cũ iconibus,Neap in Bibl.S.Io.Carbon.84.193.71
Herbarium Arab.manuſcrip.Romæ apud.N.et D.Io.Bapt.Baimund.142.Sextum lib.canon. Auic.Herb.auctor Ahamad.ben abdeſſamad. 142. & alij. ibid.
Hieracium apulum ſuauerub.flor.diff.hiſt.241. icon.242.Alterũ ſaxatile mont.244.icon.243 Alteram λεπτοκεκρόκαυλον 248. icon. 249.
HippogloſſumDioſc.& laurotax.Plin.quæ.diff. hiſt.166.icon,165.magna,& parua ligula. differt à Laur.Alex ibid.
Hippocampi piſcis hiſt.diff.variet.vij.
Hippophaes Dioſc.quæ, hiſt.36.
Hippopotamus Antiquor. verior hiſt. xxviij. icon.xxx.ex eius cadauere.
Humorem craſſum purg.70.
Hyacinthus aruorumOrnithogaloides,hiſt.324 (icon.222
Hydropicis med.66.84.55.18.
Hyſſopum Dioſc.Arabum quod,diff.59.icon 67. amaro ſapore Serap. 66. Iſaac ben Emran amarum,72.73. in montibus Hieruſalẽ oritur,73.Herba minima 68.à Salomone cognita 68.Symbolum Paſſionis Domini noſtri. 70. quare cum ſpongia aceto plena oblatum in Cruce Domino.68.Vini eius remed. 70.71.

I

Iacea max. apul. Centaur, quæ diff.hiſt.33. icon.35.Altera min.tenuif.quæ diff.hiſt.36. icon.35
Icones teſtaceorum Rond.& Bellonij auerſæ.lxi
Idæa radix, 49
Inflammationibus med. 70
Interaneorum vulner.310.ramices.ibid.
Iondraba Alyſſoides apula ſpic. quæ, diff.hiſt. 283.icon.285
Ionthlaſpi luteo flore incanum vmbell,diff.hiſt. 281.icon.280
Ionthlaſpi minimum ſpicat.lunat.diff.hiſt.281. icon.284
Irio læuis apulus erucefol.diff.hiſt.264.icõ.265
Iſaac ben Emram Arabs quid de Eupatorio dicat.142
Iſopyrũ Dioſc.Auctoris,& floris interpret.245
Iuris vtriuſq. Doctor eſt Auctor 70
Ixine Theophr . quæ eius hiſt.eadem cum Helxine Plin.3.4.& inde.
Ixia dicitur albus Chamæleo Dioſc. quia viſcũ fert,non quòd eadem ſit cum Ixia Veneno.7
Κήρυξ ὀξυρίγχος,icon.lvij.icon. lxij.
Κερατινη κεράτιον. lv.

L

Lacerta chalcides vide ſeps. xxxv.icon (xxxvi.
Lactuca agreſtis quæ.241.
Lai arabs Herb.Auct.de Eupat.quid. 142.
Lamium Plinij Campocl.diff.hiſt.191.icon.192 Varietas altera Aequicol.lacin, ibid.
Lampſana apula Pli.Dioſ.quæ hiſt.261.icõ.263
Lãpyris quæ,terreſtr.hiſt.xxxviij.icon.xxxvi.
Lapidearum rerum,Teſt.iceor.variæ effig.enumerat.xlvij.& inde.cocretiones xlij.et inde
Laterum vitia.ſan.71.
Laurotaxa Plinij q.166.icon.165.diff.ab Alex.
Laurus Alex.& Chamædaph.hiſt.diff.164.icõ. 165.noua auct.opin.166.Matthioli fictit.164
Leo marinus Ronacl.varietas.viij.icon.vi.
Lepas agria quæ, diff. quatuor hiſt.xi. icon.xij. maxima

max. ſtriata exoticaibid. Vulg. ib. Regalis xiv.
Lepidium Narbonenſ. eſt Tripolium Dioſc. 163
Leporis marini ex viuo hiſt. diff. xxvij. icon. xxvi. Variet. lolig. Dioſc. hiſt. xxiv. icon xxij Alter limacæ ſim. xxv. icon. xxij. Aeliani.
Leucoion terreſtre mont. maius, quod. diff. hiſt. 260. icon 262. Alterũ ſaxatile obſoleto fl diff hiſt. 261. icon. 262. Alterum lunatum Alyſſoides, umbell. hiſt. 283, icon. 285. Leucoium lunatum Auctoris. 289
Læuigatoria concha πλατυγας ηρ diff. hiſt. lxvij icon. lxix. Variet. ibid.
Libanotis Cachyfera verior apula. 99
Lichen acaulis ὑπόφυλλόκαρπος, qui diff. 333. icon. 331.
Lichen Dioſ. & Pli. ſec. qui diff. 330. icon. 331.
Plinij prim. pil. diff. 330. icon. 331.
Alter caule calceato min. 332. icon. 331.
Lieni medetur. 70
Linaria aurea Rec eſt Chryſocome Dioſc. 84
Altera botryodes mõt. quæ, diff hiſt. 80. icon 82
Alt. cærulea triphyll. apul. quæ diff. 80. icon. 78
Alt. tetraphyll. min. diff. hiſt. 299. icon, 300.
Lithargyrio aduerſ. 71
Lithoreo leucoion minim. quod, hiſt. 282. icõ. 284
Lithothlaſpi tertium frut. vermic. fol. hiſt. 278. icon. 277. Alterum rot. carnoſo fol. ibid.
Lumbricos necant. 52. latoſ. 18
Lunaria lutea monſpell. 286
Lupi crepitus Fungi ſpecies, vide Fungus.
Lupi morſus ſanant. 48
Lyſimachia lutea ἔξανθος quæ diff. hiſt. 257. icon. 256
MAlua ſiue Alcea mont rotũd. laciniat, quæ diff. hiſt. 148. icon 147.
Medicinal Volùmina arabica Romæ. 72
Menſes mouent 71. 113. 107. 84.
Metæ figura in teſtaceis quibus. lxv.
Molybdena Plinij non eſt herba. 163
Mortem hominis prænunciantia. 18
Murex & Buccinum idem Plinio lxij. Pluribus modis accip à Plin. lxiij Vnde dictus ib. Quæ conchæ Muricis nomine. 16. Mutiani mur. natatilis lxviij & lxxi. quomodo nauibus adhæret. ibid Murices ferrei milit lxij.
Murex ſtromboides ſiue Rhomb. bilinguis qui, diff lxi. icon, lx Marmor. Rondel. ib.
Murex marm pelag qui, diff hiſt lxiv. icon, lx.
Murex auritus max. marm qui diff lxi. icõ lx.
Muſcus Quernus fruticos. τευχοφυλλ. diff. hiſt. ſ Variet 332 icõ 334. Alter latifol. coralloides ἄφυλλον. diff hiſt. 335 icon 334. Alter πλατυφυλλος ἀφυλλ. diff. 335. icon. 334.
Myax]εις qui, Mytulopectuncul liv icon, lij.
Myrrhis Aequicolor. noua quæ, diff. hiſt. 110. icon. 112.
Mytulo pectunculus qui hiſt. liv. icon. lij.
NAuis curſus retentionis cauſa. lxxi.
Nerites Bellon duas ſpecies Auct xxiij. eorum natura. lxx natatiles conchæ. lxxi.
Νηριτοειδεῖς q̃ cõchæ lxiix. quare, lxx. Variet. lxx
Nolime tãgere, ſiue Balſamina alt. quæ diff. hiſt. 149. icon, 150.
Noctiluca terreſtris ἀσ]ερῦ quæ dif hiſt. xxxiix (icon. xxxvi.
OBſtructionib. med. 159.
Oculorum ſuffuſionibus. 56.
Oleum Galeni vulnerarium ex qua planta. 77.
Ollæ conditori facilior anſa, Adagium. 219.
Ononis lutea ſyl. min quæ diff. hiſt. 304. icon 301
Opiſtothonos med. 30.
Orchis anthropophora oreades quæ, diff hiſt 318 icon. 320.
Orchis zoophora, quæ diff hiſt 319 icon 320.
Orchis macrophylla quæ, diff hiſt. 321. icon. 322
Origani vulgares plantæ veriores. 59
Ornithogalum luteum min. bulbif. quod, diff. hiſt. 324 icon. 325.
Orthopnœas. 66. 70.
Oſtrea Tridacna Plinij quæ. x.
Oſtracitis Diphili quæ. xi.
Otarion, ſiue auris Veneris quæ. xiv.
PAliurus Theophr. qui diff. 40.
Panax Aſclepium quod, diff. hiſt. 87. icon. 86
Panos ſanantia. 135.
Papaueris errat. folia. 215.
Paralytica montana rotundifol. Aliſmatis ſpecies. quæ. diff. hiſt 255. icon. 256.
Paronychia lobel ſaxifrag. ſpecies, 318.
Partus mortuos eijcientia. 56
Paſtinaca Echinophor. apula quæ, diff. hiſt. 98. icon. 101. & Scandix ibid. (104
Paſtinaca daucoides apul. quæ diff hiſt. 102. icon
Paſtinaca marima læuis ὀξυπ]ερυδεῖς Aquilone dicta quæ. diff hiſt iij icon. ij. Altera π]ερυπλατεῖα Altauela dicta diff hiſt iiij icõ. ij.
Patella marina ſylueſtris. quæ diff hiſt. xi. icon. xij. Quatuor ſpecies, Vulg Maxima exot. & Regal. ibid.
Patella regalis Neap. quæ. eſt Veneris auris. xiv
Pectoris vitia purg 71. (icon. lij
Pectunculorum lapideorum diff. variet. hiſt. li.
Pectunculus miniat. teſtac. qui diff hiſt. li. icon. lij. Varietat. aliæ. li. Auellanæ nucis ſor. xlix
Pennicillum marinum xxi.
Per-

Percipier anglorum quibus ab Alchimilla minima differat.148.
Perfoliata minima Bupleurifol. quæ diff hiſt. 84.icon.247.reponenda.85
Peripneumonicis auxil.66.113.70.84.
Peſtilentiæ aduerſant.113.
Petroſelinum ſiue Apium hortenſe noſtras, eſt Apium Antiquorum,& quare. 113. non eſt Petroſelinum Dioſc.vt alij putant,ibid.
Petroſelino Dioſc. quæ planta reſpondet 119 amaro ſapore ſemine. 118. amariſſ.antidotū (facit.ibid.
Phalangijs aduerſ.107.113.
Phu Dioſc verius quod, quare, hiſt. & Apolog. Epiſt ad Euang Quarram. 210
Phyteumatis opinio 208
Piloſella maior Vmbellif μακρόκαυλος quæ, diff. hiſt.248.icon,249
Pimpinella Vulg. eſt Sideritis ſecunda Dioſcor. (quare.125
Pituitam trahent. 66.
Plantago apula laciniata bulboſa quæ diff.hiſt. 258.icon,259
Plant. trineruia incana min.quæ diff. hiſt.260. (icon,259
Polemoniæ accedens planta. 270
Polium Theoph.Dioſc Auic. & alior. quod diff. variet hiſt.47.icō,54.Theriacæ 4 drach.pōd. miſc.& in Mythrd 7.56 ex genere Abſynth.49.Vulgare eſt Hyſſopum auctoris.
Porcellanæ quare dictæ.lxvij.
Porcellio teſtudinatus, ſiue Echinoteſtudo qui, hiſt.xv icon,xvi.
Preſter Viperæ ſpecies Dioſc.xxxvij.
Pudedu regale piſcator,q.hiſt.xxv.icon,xxvi.
Puerperas purgantia. 113
Pulmonis vitia corrig. 71. 113
Purgandi vim habent.77.159
Purpura vnde dicta,lxiv.Pl. q.,ib.Varietat.ib.
Purp.pelagia maior corniculata.,lx.ij. icon,lx.
Purp.marm.ſiue Murex,diff.hiſt.lxij.icō,lx.Alt. Muricata roſtrata parua, quæ, lxiv.icon,lx.

Q

QVartanis proſunt. 167

RAdices venenatæ,quæ. 8
Ranis aduerſantia. 167
Ranunculus mont leptophyll. Aſphod.rad.quod diff.hiſt 312.icon,311
Alter ſaxat. aſph rad.312.icon,313
Alter leptomacrophyl.bulb.314.icon,313
Alter aquat.trychophyll 315. icon 316
Alter aquat.vmbilic.fol.315.icon,316
Alter minimus apul.314. icon,316
Rapiſtrum montanum Irion. fol. μακρόλοβον ἐκτέρατον quod,diff.hiſt.266.icon,268. (icon 224
Rapuntium corniculatū mont.quod diff.hiſt.223
Rapunt.alt mont.leptophyllon,capitatum; diff. hiſt 226 icon,227.non eſt ſcabioſæ ſpecies, ib.
Rhamnus Dioſc.idem cum Theoph. Paliuro. 40.
Regio morbo iuuantia 55 66
Remedium vt quis non poſſit cerni ab alijs.18
Reptilium ictibus aduer.145.xxxv.
Rhombi qui,idem cum Trochis, Strombis, lviij. icon,lx.eorum vſus Mulieribus. lviij.pueris lix. quæ figura in Teſtaceis ibid.
Rhomboides marmoreus exoticus, qui diff. lix. icon,lx.lv

S

Σάλπιγξ quid,idem cum Buccino.
Sanguinis miſſionis inuentor Hippopot. xxxv. eius ad vſum Pictor ibid.
Sanguinis eruptiones cohib. 157
Sāguineū ſuccum quæ plantæ fund.77.75 79.22
Saxifragia reſpondens Petroſelino. 119
Saxifragia bulboſa alter.mont. bulbif.quæ diff. hiſt 318.icon,317
Scādix Theophraſti & Dioſc.quæ,diff.hiſt.100 Olus non leg.ibid.Plinij quæ,91
Scarabeus teſtudinatus χελυνκάνθαρος qui diff. hiſt xxxix.icon,xxxvi.
Alter teſt alatusmin diff.hiſt.40.icon,xxxvi
Scorpionibus aduerſ. 18.25
Scorzouera ex genere Tragopogorum 228
Scrophularia montana max.quæ diff hiſt.191
Secundas pellit.18
Sedis vitia corrig.66
Semperuiuum rubrum mont. γναφαλῶδες,quod diff.hiſt.292. icon,291
Seneciocarduus qui,hiſt.32.icon,34
Seriphium eſt Vulgare Abſynth. maritim. 55. & quare. ibid.
Seps Viperæ ſpecies Dioſc. quæ,hiſt xxxv.icon, xxxvi.dr.lacerta Chalcides.ibid Septica vis ibid. eius ictib. aduerſ.xxxviij. (66 167
Serpentium ictib. aduerſ.xxxiv.xxxv. 18. 56.
Sideritis prima Dioſ.quæ diff.hiſt.128.icon.131
Sideritis ſecunda Dioſc. quæ hiſt.diff 123.icon, 124.& Tertia eiuſdem,ibid. (198.icon,195
Sideritis parua mont.nigropur fl quæ diff hiſt.
Silphium Auct eſt Angelica vulg. 310.107
Siſer Auctoris,100.vbi frequens, vſus, ibid.
Sium alter.aquat.lut ſiue Cardamine mont.tenuif.quæ,diff.266.icon,269
Sonchus mont. purpur. τετραπέταλον qui, diff. hiſt.244.icon, 246 (icon,294
Spartum mont.min.triphyl. quod diff.hiſt.295.
Spina ſolſtitialis mitior apul. quæ diff. hiſt.30. (icon,31
Spleni medentia.55
Sphondilij ſemen quale,40
Stella ἀντιπαθὴς marina, ſiue Cometa, quæ

diff hiſt:v.icon,vi. Altera Zaffarana dicta quæ,& quare,xv
Stomacho incommoda 55:65
Stabelus Athenæi lviij idē cum Aſtrabelo,ibid.
Στραβηλος,qui lviij. Ariſtoteli,ib:
Στροβηλος quid ibid.
Strombi qui in genere,lviij.propriè:ibid.
Strombi & Trochi ſiue Rhombi & Turbines, qui propriè & quare,lviij.eorum vſus, ibid quid Græcis,ib.quid latinis,ibid. (icon,lx
Strombi qui Turbines, qui dif hiſt: ib. & lxv
Strombo ides exoticus marm,liv, icon,lx
Sugillata tollentia, 70
Suſpiria toll.70.71
Symbolum Paſſionis Domini,quæ,70
Symphytum maius congener Bugloſſo,184
Syncopin tollent,257
Syſirynchium Theophr. quod dif hiſt.328, icon, 327. Alterum latif 329,icon,327
TAbaccu Arabum eſt,idem quod Tarhalan idē q Eupat.142 & Caniza apud Græcos
Tabidis auxil.113 (143
Tarhalà & Tarhalan Arabis eſt Eupatorium barbaricè dictum , idem quod Coniza Dioſc. & Galeni,142
Ταρσός quid & τεταρσωμένα,79
Telephium Dioſc Auct.quod,hiſt.132 icon,131
Teniæ piſcis origo,xxvij
Tertianis proſunt. 167
Teſtacea omnia repunt ferè lxviij. obliquè teſtam gerunt,lxv
Teſtudinatus Porcellio , ſiue Echinus exoticum animal,quod,xv. icon, xvi
Theriaca contra venen. beſt. 18
Theriacæ antidotus non eſt deterior abſque Maced.petroſel, 118 (icon,276
Thlaſpi mont burſæpaſt fruct.quod dif hiſt 275, Alterum mitius rotundif 278,icon,276
Thoracem purgant,66,113
Thymum caninum appellatur Abrot fœm.vulg. ab Hiſpanis,50,eſt Polium Auct.
Tineas nec. & pellent,70
Tomillo perruno Hiſpanis eſt Abrot fœm:Vulg: Polium Auct.50
Tordilium maius luteum λειόκαρπος, quod diff. hiſt.122:icon,121
Alterū minimum apul dif.hiſt.122, icon,124
Tormina diſſoluentia,71. 66.107
Trachelium petræum Io Ponæ,in Cluſ.vol,225
Tragij Dioſc.reſpondens planta,15
Tragopogon Theophr Dioſc.quod dif. Var. hiſt. 229.icon,230 Alter gram. fol.ſuauerub. flo. hiſt.232. icon, 231. Alter luteus apulus & Variet.234 icon,233,Reliqua varietates & dif 228,& 229
Τρίβολος quid.Latinè Murices lxii.
Tripolium Dioſc.quod,hiſt 160,icon,161
Trixago apula vnicaulis τετραςάχης quæ,hiſt. dif.199,icon, 197
Trochi qui,idem quod Turbines, & Rhombi & Strombi,lxv,quod dif. a Turbine vero. ibid.
Tubercula ſan 159
Tumores diſcut.107.159
Turbit Serapionis Tripol Dioſc,164
Turbo quid in genere,lxv quid in ſpecie,ibid. qui teſtacei propriè,ibid Variet.lxvi
Turbo max.Perſicus verior,lxv,icon,lx.
Turbo Rond.eſt Strombus Auct lix.
Tuſſi medentur,66.diuturnæ,70.107,71
VAlerianæ Syluestris amarior ſapor acrior & odoratior vulgari maiore,217
Valerianellæ quæ,quare ſic dictæ Varietas 204
Valerianella Cornucopioides quæ dif. hiſt. 205 icon,206
Valerianel Scalieſæ ſemine ſtellato quæ 207. icon,209. altera Vmbilicato nudo ſemine , 208 icon,209
Velella,Vrticæ marinæ ſpecies quæ,xx.icō,xxij
Venenati ſerpentes viuos pariunt , xxxvij.
Venenatorum ictib ſuccur.257.71.55.18,xxxv, 107.25
Venerea concha quæ,lxvii.
Venerem inhibent, xxxv
Ventorum turbines qui, & eorum figura in teſtaceis lxv.
Vētris animal.necāt & pellunt 66,154 lata,71
Vermes in vlceribus prohibent , 48 necant & pellunt interna,66.134.66
Vermis marinus προβοσκιπλεκτάνος qui hiſt. xxi,icon,xxij
Vermiculata noua montana quæ, dif. hiſt. 295, icon,294
Veronica tetrag mont recta min q.289 icō,298
Vicia ſeſamacea apula quæ,hiſt.303. icon, 301
Vini hiſſopici remed 71 parandi ratio. ibid.
Viperam vnam nouit Ariſt.plures verò Dioſc. xxxvii plura genera viuiparorum ſerp. ib.
Vitiliginem curant,134
Vlceribus medentia,143, 113,132
Vomitiones faciles præſtat,66
Vrinas mouent,107 56 71.diffic.mit.18.7
Vrtica marina ſoluta rarior,velella dicta,quæ. xx icon,xxii.
Vterum purgat.84
Vulneribus vtil.& ſanant.159.157.77.56.recent.128
Vulnerarium oleum ex qua herba,77
Vuluæ doloribus vtilis,84
ZAffarana ſtellæ marinæ ſpecies,v.

FABII COLVMNAE LYNCEI

MINVS COGNITARVM STIRPIVM

PARS ALTERA

In qua non tam nouæ plures plantæ cæq; rariores à nemine hactenus, aut animaduersæ aut descriptæ nunc primum proponuntur, quam nonnullæ aliæ apud antiquos dubiæ, atq; obscuræ dilucidantur.

Ad Ill.^mum et Reudx.^mum Principem ac Dominum

ODOARDVM FARNESIVM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM

Cum Imaginibus ex typis æneis,
Elencho rerum initio, et
Indice in fine
locupletis=
simo.

SVPERIORVM PERMISSV.
ROMÆ M.DC.XVI
Apud Iacobum Mascardum.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Minus Cognitarum ſtirpium partem alteram vnà cum Purpura excellentiſsimè, ac diligentiſsimè à D Fabio Columna conſcriptam, iuſſu Reuerendiſs. P.F.Hyacinthi Petronij Mag. Sacri Pal. Apoſt. vidi, cumq; in ea nihil compererim, quod pietatem, vel mores offendat: immo cunctis Medicinæ, ac rei herbariæ ſtudioſis vtilem, ac iucundam fore cognouerim, eandem typis digniſsimam iudicaui. Romæ die 20. Octobris 1615.

Antonius Butius Fauentinus Ciuis Romanus Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctor.

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Romanus, Mag. & Reuerendiſs. P.F.Hyacinthi Petronij Romani Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri Socius Ord. Præd.

ILL.MO ET REV.MO PRINCIPI

D. ODOARDO FARNESIO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Fabius Columna Lynceus Perpetuam Fœlicitatem precatur.

QVEMADMODVM ego pleraquè, Ampliſs. Cardinalis, magni illius & ſapientiſſimi Philoſophi Senecæ aurea ſcripta maximi facio, ſic dictum hoc ipſius immortalitati conſecrandum exiſtimo, quo aſſeruit Neminem eorum quem diuitiæ, honoresq; in altiori faſtigio ponunt, verè magnum eſſe, cum pumilio etiam in mõte conſtitutus ſit paruus, & coloſſus in puteo magnus. Hinc nos errore laborare, quod neminem exiſtimemus ex æquo, nudum hominem eſſe inſpiciendum ſine patrimonio, honoribus, & alijs fortunæ mendacijs, imò corpus eſſe exuendum & animum ſolum intuendum qualis ſit, quantusq; alieno an ſuo magnus. Non quod Philoſophus corporis, fortunæq; bona nihil omnino reputauerit, bona enim & hæc ſunt, pulchritudo, venerabilis aſpectus, totiusq; corporis ſymmetria, diuitiæ, iuriſdictio, principatus, & mitra, quæ in te tuaq; antiquiſſima & fulgentiſſima familia abundantiſsimè affluunt, & extiterunt. Sed quoniam ſi hæc cum animi bonis conferantur longiſſimè ſuperentur. Ego equidem fateor & præ me fero, cum ante plures annos Romæ priuatorum meorum gratia negotiorum degerem, & ſæpiuſculè veſtras ædes Farneſianas ſubirem, cum ſtupore me ibi conſpexiſſe magnificentiſsimam palatij ſtructuram, artificioſiſsimam marmorearum, earumq. antiquiſſimarum, ſtatuarum ſupellectilem, cæterarumq; antiquitatum, & numiſmatum ingentem copiam, & tandem te purpureo galero corruſcantem, ac veluti fulgentiſſimum Lilium inter FARNESIANOS Principes floreſcentem, quæ res fecit vt tanta tui admiratione commouerer, vt ſtatim ex animo me tibi deditiſsimum decernerem.

Sed hæc exigua ſunt, prout alia animnm meum percelluerunt, animi nempè tui bona immortalia & vero Principe digna, ſcientia inquam multifaria, & Heroicæ virtutes. Atque vt de cæteris Philoſophiæ partibus nihil, nihil de Mathematicis, Hiſtorijs, legum peritia dicam, vel ſolus amor, & ſtudium quod naturalium rerum cognitioni impendis, facit vt præter obſeruantiam & cultum, iam etiam amorem me tibi debere ingenuè profitear. Vnde enim maior animorum coniunctio, niſi ex ſimilibus ſtudijs, & exercitijs liberalibus præſertim? foues autem Ampliſsime Cardinalis adeò enixè plantarum ſeminarium & hortum in Vrbe, ita varijs, tam exoticis ex nouo etiam Orbe delatis, quam noſtratibus plantis ex tota Europa petitis inſtructum ea diligentia & impenſis colis, vt parem vix vllum, ſuperiorem certè nullum videre liceat.

Quapropter vt animi erga te mei propenſam voluntatem & obſequium aliquo ſaltem deuotionis meæ ſigno tibi demonſtrem, cum præſertim ex horto tuo rariſsimæ illius & exoticæ plantæ ASTERIS nomine indigitatæ deſcriptionem & picturam nactus fuerim, cogitare cœpi qua tandem ratione cultum, venerationem, & amorem obſequioſum inſinuarem: accidit autem commodum, vt Alteram mearum Minus Cognitarum & rariorum Stirpium partem priori adiungere ſatagerem, quæ quidem vt Illuſtrior redderetur ab Illuſtriſsimo tuo nomine tanquam à magno ſydere, lumen mutuare volui, voluminisq. fronti præfigere, quo quidem non tantum in tenebris fulgebit, ſed deriſores, noctuæ, cæteræq; inuidæ, rapacesq; Harpiæ nimio nominis tui fulgore arcebuntur, atque fugient.

Accipe igitur, Illuſtriſsime Cardinalis, exiguum hoc meum munuſculum ſi teipſum reſpicis quem altiora decent, ſin me, ſat magnum, tum quia noua plurima inibi inuenies, & non minimo ſtudio elaborata, tum quia cum hoc ipſo totus meus in tuum affectum animus, & amor prorumpit. DEVM OPT. MAX. veneror Catholicæ religioni publicæ vtilitati, & literariæ Reipublicæ Illuſtriſsimam Celſitudinem Veſtram diutiſsimè incolumem præſtet, cui me meaq; ſtudia voueo atque commendo. Neapoli Calendis Iulijs Anno 1616.

AV-

AVCTOR AD LECTOREM.

BENEVOLE *Lector, te nunc compello, & instituti mei rationem docere cupio. Promiſeram iampridem in prima plantarum mearum parte, nouas alias à nemine quod equidem ſciam deſcriptas, eaſq; rariores: Purpuræ itidem animal infectorium, atque alia nonnulla noua teſtacea ſubſequentibus voluminibus me comprehenſurum, eaq; in ſtudioſorum gratiam editurum. Id autem adhuc facere nec potui, nec volui, quod ſcirem hoc ſæculo quo doctiſſimi homines plurimi florent, nec naſutuli etiam deſunt, qui non (vt cum Lucretio loquar)*

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,

vt inde mel exugant, ſed Araneorum inſtar venenum vt exhauriant, non niſi benè trutinata in lucem emittenda eſſe, quod fieri exiguo tempore inter meas occupationes ſine prauio virium, naturæ, figurarumq; in tanto plantarum, teſtaceorumq; numero examine exactiſſimo haud poterat. Verum vicit, ac peruicit mentem meam, & quid ni? cui tantum ego debeo, Excellentiſs. Princeps S. Angeli Federicus Cæſius, Lynceorum ſtudioſorum Princeps, partim exhortatione cum meos aliquid putet eſſe labores, partim beneuolentia, & humanitate qua ſtudioſos omnes proſequitur, ſimiliter & cæteri in diſciplinarum naturalium cultu aſſidui Collegæ mei Lyncei, locum enim & mihi eſſe voluerunt in ipſis, quamuis vt animo parem, ita meritis imparem, adoptando, & adſcribendo me in ipſorum album. A Lynce enim deſiderij ac viſus indice, vbique monimentum, ac ſtimulum propoſita indigitatur Accademia illa, ſiue conſeſſus eruditorum virorum, qui naturalibus præcipuè ſtudijs illuſtrandis & augmentandis aſſiduo operam nauare debent. In qua qui ſelecti aſſumuntur & ad Naturæ contemplationes, ſiue matheſeos exercitia in magno iſto theatro, animalibus, plantis, mineris, vndique ſcatente & exornato, humanoſq. ad vſus expoſito aduocantur, ad ipſoſq; dulces ac perutiles mentis labores inuitantur, non ſolum ſibimetipſis ſtudioſè laborare, ſed vt quæcumque, rebus aſſidua medita-

tione inſidendo, compererint, aut noua obſeruauerint, in aliorum ſtudioſorum commodum publici Iuris faciant allaborare perſuadentur. Quare facere non potui quin tanti Principis, & tantum de me meriti, & Collegarum doctiſſimorum æquiſſimæ voluntati ſtatim morem gererem, eiq; obſequium omne meum præſtarem, & quæ ad manus eſſent, in ſtudioſorum φυτοφυσιφιλῶν vſum ſine vlla cunctatione in medium proferrem, eaq; primo volumini adiungerem. Quæ omnia forſan vbi ſæpius ſæpiusq. iterata ipſorumuis, hiſtoriarumq; obſeruatio acceſſiſſet politiora atque exactiora prodijſſent. Hinc non defuturos mihi perſuadeo qui Rutam mihi, Fœniculum, Euſragiam, ac Chelidoniam ad ὀξυωπίαν acquirendam, fortè an ſpecillos etiam, & lucernam obtrudent, Lyncei nomen exprobrantes: Quibus tantum abeſt vt iraſcar, vt vltrò me auxilijs illis viſorijs egere planè affirmem, quinimo magnam apud me gratiam inibunt, ſi errantem me ducant, & cæcutienti oculos aperiant, eius enim candoris & indolis ſum vt & errorem libentiſsimè fatear, meipſum corrigam, & ab alijs emendari muneris loco habeam, cum nullo modo Lyncei præ ſe ferant ſe plus alijs videre, ſed viribus omnibus contendant vt eam mentalis viſus aciem, acquirere, ea vti valeant, qua ſcilicet ad naturalia, & matheſeos recondita peruidenda ac perſcrutanda eſt opus, atque ita ſuum naturalis Philoſophi munus implere, & ſuis laboribus aliqua ſaltem ex parte liberalium artium ſtudioſis, & ſolidæ philoſophiæ indagatoribus prodeſſe poſſint. Mihi quidem in animo eſt omnia tam in Phytobaſano meo quam in hiſce voluminibus edita aliquando ſub limam reuocare, & nouum Dioſcoridis Commentarium perficere, acutiora tandem & perfectiora naturalium rerum ſtudioſis communicare. Nunc verò quæ meo labore obſeruata tibi offero qualia qualia ſunt, hilari animo excipe, vtiliora & meliora iuxta ingenij vires paulo poſt expecta. Vale.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

AMICE Lector, pauliſper mihi vaca dum ego multum deſudo, vt tibi faueam, ac placeã; noſti enim quam omnẽ moueam lapidem, vt ex mea in tui gratiam officina noui ſemper quid exeat. Ante pauculos annos Auctor hic & ſcripto & prœlo abſoluerat primam partem rariorum ſuarum plantarum, verum pauciſſima in lucem prodierant exemplaria: quare cum eorundem ſecundæ parti colophonem, & huic præterea de Purpura libellum addidiſſet, placuit in vnum omnia coniungere, & in publicum proferre, vt naturalium ſtudioſi rerum inde, & guſtum, & vtilitatem haurirent. Habes itaque Auctoris huius hic omnia quæ de plantis hactenus edidit, præter Phytobaſanon, primum illud opuſculum quod copioſiſsimè iamdudum eſt diſtractum, & à multis adhuc deſideratur, verum tu plura quoque deſiderabis, & Deo volente breui habebis, nouas nempè circa plantas, & animalia rariora, obſeruationes, & ampliſſimos ſuper Dioſcoridem commentarios, in quibus, vt ego opinor, multò magis tibi ſatisfiet, quàm in tot alijs hucuſq; cuſis, & recuſis. Habebis vlterius commentũ nouum, & curioſas in Heronis Pneumatica animaduerſiones, quæ ipſe tibi & clariora, & locupletiora reddet. Habebis itidem organi Hydraulici à nemine hactenus benè intellecti veram declarationem, quod Auctor noſter non modo perfecit, ſed ſæpius etiam à Ioanne de Marque Belga in Sacello Regio Neapolitano muſices præfecto, vt cum muſica vocali, & inſtrumentali ſono ſuo proprio audiretur effecit.

Habebis denique muſici, vt vulgò dicitur, Inſtrumenti constructionis rationem, iconem, & deſcriptionem, quod Auctor noſter Lynceam Sambucam à forma, & Pentecontachordon appellat, quia quinquagenis conſtruitur inæqualibus chordis, quo tonus in eadem chorda in quatuor partes diuiditur iuxtà Ariſtoxeni, aliorumq; antiquorum traditionẽ, vt eodem Inſtrumẽto tria genera modulationum exprimi poſsint, Diatonicum nempè, Chromaticum, & Harmonicum.

Atque illud primo modo, ſiue artificio ſex habet pinnarum ordines ad vſum tangentium, quæ gradatim non modo toni diuiſionem, ſed & ſonitum reddunt, & oſtendunt. Altero verò modo ſiue artificio, octo gradibus pinnarum eſt conſtructum, ita vt bis vulgares Diatonicas pinnas contineat, ſecundas verò in quinto gradu poſitas, vt amici talia genera Muſicès callentis genio faueret, cui talis diſtributio tangenti facilior videtur, quamuis alij primo modo magis conſentiant, ob regularem ordinem per gradus aſcendendi. In vtroque verò modo

rema-

remanet vulgaris pinnarũ ordo Diatonicè tangendi. Qui verò Chromaticè norũt, Chromaticè, & poſtremò quod adhuc recẽtioribus ignotum eſt, præterquam amico, Harmonicè ſi ſciant, modulari poterunt.

Quod autem maximè eſt artificiosè concinatum, & notandum videtur, illud eſt, quod quilibet ſecundi & tertij generis modulationis ignarus, ſi tantũ Diatonicè chordas cõcordes reddiderit ad vſum Diatonicum, reliqua ex ſe inueniet genera difficiliora ſuis reſpondentia concentibus, vt & Chromaticè, & Harmonicè vagari per pinnas poſſit, & quidẽ qui parum Harmonicè guſtauerit, inueniet maximè grauem & egregium continere concentum; perfectumq; prædicabit organum, vt meritò πολυόργανον dici poſsit. Verum quidem eſt, non acri ferit ſono, at graui & vulgaris monochordi dicti ritu: nec enim poterat alio modo tale inſtrumentum parari, vt Harmonicè diuideretur tonus in quatuor partes inſcio Muſico, & illud concordare ignorante, atque Diatonicè tantum tangente. Alio modo acri & acuto ſono facilior eſt compoſitio Inſtrumenti, vt etiam docet Auctor, ſed difficillima, & à nemine cognita eſt diuiſio, & concordantia per dieſes à Vitruuio relatas, quibus ſingulæ chordæ aurium iudicio intendi debent eorum qui nunquam audierunt talem modulationem. Dat igitur & rationem inueniendi in ſingulis chordis cuiuſuis longitudinis, aut breuitatis locum tonorum hemitoniorum & dieſeon Mathematica proportione, vt non caſu, ſed certa ratione interualla conſtituantur, quibus 164. voces, primo modo, altero vero 210. reſonare poſsint quinquagenis tantum chordis.

Et quoniã in præſtantiſsimo hoc viro non tam florent nobiliſsimæ virtutes, quam Illuſtriſsima tot ſeculorum decurſu, quà armis, quà literis Vrbi, & Orbi notiſsima proſapia, non niſi nouos & proficuos curiosè lector fructus, à tam fœcundo ingenio expectare poteris.

Equidem non aliorum quam prædictorum operum hactenus notitiam habere potui, cum ego aliud nihil agam quam vt literariæ Reipublicæ noui quid & vtile ex mea Typographia ſubminiſtrem, quare à doctiſsimis Lynceis dextrè expiſcatus ſum, quos fœtus Academici illi breui ſunt edituri.

Verum nolo in recenſendo eorundem operum catalogo moleſtior eſſe, hoc ſolum tibi dictum volo, præterquam quod ego gaudeam tam eminenti huic Academiæ opellam meam placere, tibi narro me iamiam prę manibus habere magnũ illud & celeberrimum opus omnium Plantarum, Animaliũ, & Mineralium quæ MEXICA in ſe continet, in quo compilãdo duo (iuſſu Philippi II. fælciſsimæ, & æternæ memoriæ Hiſpaniarum Regis) præſtantiſs. Medici deſudarunt, cui ordinẽ poſt-

modum

modum ſcholia, atque adeo lucẽ attulit ſtudio & induſtria ſua doctiſſimus vir Ioannes Terrentius Lynceus Germanus. In horum tam animalium quam plantarum iconiſmis, millenarium numerum complentibus, varij & induſtrij artifices laborant, & venuſtè illos elaborant.

Nec tibi mirum videatur amice lector tot impenſas ab Academia hac fieri, hoc enim Lynceorũ eſt fælicisſimum inſtitutum nullis laboribus & ſumptibus parcere, quò cum alijs liberalibus ſtudijs, tum præſertim iacenti, & titubanti Philoſophiæ naturali, & Matheſi ſuccurratur, hæ enim diligentibus indigere cultoribus hoc noſtro ſæculo mihi ſemper viſæ fuerunt. Hinc ſunt nonnulli eorum qui non modo in plantarum veris ſpeciebus hactenus ignotis inueniendis, in animaliũ moribus, ac naturis explorandis ſtrenuè laborant, ſed vt foſsilium originem & incrementa ſcrutentur in viſcera terræ abeunt, Maria etiã perſcrutantur, aquarum, ac fontium ſcaturigines inueſtigant, atque adeo quæ Natura abſcondit magis, hi in lucem proferre conantur. In hoc autem ſtadio Philoſophico tam ſuauiter decurrũt, vt ex continua rerum naturalium contemplatione, & magni illius naturæ libri lectione aliqui horum adeo ex admiratione verſus Philoſophiam accenſi, & ex Philoſophia verſus Creatorem amore ſuccẽſi fuerint, vt etiam religioſam vitam amplecti voluerint. quò nempe maiore, eaq; qua fieri poteſt, perfectione in hoc mundo poſt diuinas meditationes ſublunarium rerum contemplationi vacarent. Aliqui verò ipſorum exercitando ſemetipſos in virtutibus operam omnem ſuam collocarunt in iuuando proximo, & gubernanda Republica, veluti fecit Marcus ille Velſerus ſanguine & literis clariſsimus (quandoquidem modeſtia Lynceorum prohibet quominus viuos nominem) dum eſſet in viuis, qui tantum Catholicis profuit vt horum & ſplendor, & exemplum in Germania eſſet, præcipuè verò in patria ſua Auguſta Vindelicorum, cui Reipublicæ tot annis præfuit, ea fide & bonitate, vt ſui non in hac modò pulcherrima Ciuitate, ſed in toto Imperio Romano ardentiſsimum deſiderium reliquerit. Quid tibi vis amplius dicam? vno omnes animo, & affectu conſpirant, vt omnibus literarum ſtudioſis proſint, obſint nemini, quo fit vt pacẽ fruantur & quiete philoſophica quæ ipſis non modo fructus virtutum, ſed radices etiam alioquin amariſsimas, reddat dulces & iucundiſsimas.

Hoc demum te monitum volo, & concludam, ne exiſtimes nempè me affectu quodam blandiendi Lynceis agitatum hæc chartis illeuiſſe, plura ſanè & cum veritate dicere poteram quæ tu propediem non affectu meo, ſed effectu & commodo tuo experieris. Quare his faue, & me ama cum ſtudijs tuis conſulamus. Vale.

ELEN-

ELENCHVS.

ARVM Aegyptium, & non eſt Colocaſia. Cap. I. pag. 1
Syſinrichium Aſprenſium. Cap. II. 5
Gethioides ſylueſtre. Cap. III. 6
Orchis Antropophora. Cap. IV. 8
Hyacinthus Sanneſius, coma paniculoſa. Cap. V. 10
Flos Solis Farneſianus tuberoſus. Cap. VI. 11
Cyminum Bulboſum Plinij. Cap. VII. 14
Smirnium Dioſcoridis, & Hippoſelinum. Cap. VIII. 15
Rapuntium Vmbellatum I. Cap. IX. 22
Alterum flore magno II. Cap. X. 23
Alterum anguſtifolium Alpinum III. Cap. XI. 23
Amellus montanus. Cap. XII. 25
Hieracium calyce barbato I. Cap. XIII. 28
Alterum læuius minimum II. Cap. XIV. 28
Hieracium Germanicum I. Cap. XV. 28
Alterum pumilum II. Cap. XVI. 29
Alterum fœtidum III. Cap. XVII. 29
Alterum minus IV. Cap. XVIII. 29
Scorpio Theophraſti radice nigra. Cap. XIX. 32
Caryophillus Mexicanus flore fiſtuloſo ſimplex I. Cap. XX. 47
Alter Polyanthos II. Cap. XXI. 48
Anonyma F. Gregorij. Cap. XXII. 49
Tithymalus Epithymi fructu, an Alypum, & de Epithymo. Cap. XXIII. 52
Tithymalus lunato flore. Cap. XXIV. 56
Leucoium Peltatum Romanum I. Cap. XXV. 58
Leucoium flore pedato II. Cap. XXVI. 59
Leucoium luteum Aizooides. III. Cap. XXVII. 62
Sedum Alpinum F. Greg. I. Cap. XXVIII. 63
Alterum eiuſdem II. Cap. XXIX. 64
Alterum eiuſdem III. Cap. XXX. 66

Alterum

Alterum eiuſdem IV. Cap. XXXI. 66
Alpina Cardamine inſipida. Cap. XXXII. 68
Eufragia Linifolia. Cap. XXXIII. 68
Alſine maritima Neapolitana. Cap. XXXIV. 70
Kali floridum Neapolitanum. Cap. XXXV. 72
Abſynthium latifolium rarius Artemiſiæ folio. Cap. XXXVI. 75
Centaurium luteum nouum. Cap. XXXVII. 78
Helianthemon flore maculoſo. Cap. XXXVIII. 78
Linum luteum ſylueſtre latifolium. Cap. XXXIX. 79
Circæa minima. Cap. XL. 79
Verbaſcum Braſſicæ folio exoticum. Cap. XLI. 81
Lithobryon Coralloides. Cap. XLII. 84
Dendrobryon nodoſum. Cap. XLIII. 84
Eruca Rutaceæ, eiusq. Chryſalidis, & Papilionis obſeruatio. 85

FA-


Arum Ægyptium cum flore

FABII COLVMNAE LYNCEI MINVS COGNITARVM STIRPIVM PARS ALTERA.

Arum Aegyptium, & non eſt Colocaſia, ſiue Faba Aegyptia. *Cap. I.*

HVIVS Plantæ naturam, nomen, & genus apud doctos plantarum recentiores ſcriptores adhuc controuerti iamdiu mirati ſumus: nec aliud contrariæ ſententiæ origo fuit, niſi vulgare huius æui apud Aegyptios Incolas nomen: quod antiquitus non huic plantæ, ſed radici Fabæ Aegyptiæ ab Alexandrinis inditum erat, vt Dioſcorides ait, & clarius Nicander, Lib.3.c.9.
vt refert Athæneus: atq; ſerotinus ipſius Plantæ flos, & fructus non obſeruatus: vel forſan cœli clima, in quo neu-

Mo. Bot. Garden,
1893

trum eorum proferre ab illis obſeruatum fuit, anſamq. præbuerunt tot deceptionum, & errorum, ac etiam in antiquiores inſurgendi, eorumq. veram hiſtoriam tanquam falſam corrigendi: Quod minimè feciſſent putamus, ſi plantæ huius florem, ac fructum, quos proferre negarunt, vt nos, & alij plerique, vidiſſent, ac obſeruaſſent. Nos ante floris obſeruationem ex ipſa plantæ effigie, natura, ſapore, & ipſo aſpectu Arum fecimus, conuenimusq. cum illis ab initio, qui Arum Aegyptium potius appellabāt, quàm Colocaſiam: ægreq ferebamus alios in tam inanem abijſſe ſententiam, qui Colocaſiam, ſiue Aegyptiam Fabam non modo putaſſent, ſed etiam pertinaciter eandem hanc eſſe plantam affirmaſſent. Quæ cum florem, & fructum proferre ex antiquorum hiſtoria debuiſſet, tàm diligenter ab illis deſcriptos, & obſeruatos, vt fructus nomine proprio *Ciborium* diceretur; cuius etymon Dioſcorides notat, ab omnibus notus; & pro ponderis menſura ab ipſis Antiquioribus ſit accepta, & deſcripta ipſa faba, ſemen Aegyptiæ fabæ, non modo plantæ adimere, & denegare, ſed ab hiſtoria Priſcorum abradere ijdem ſint conati. Hæc autem pace tantorum virorum dicta ſint, nam in ſimilibus offendere lubricum eſt, omneſq. & talibus, & alijs erroribus obnoxij eſſe poſſumus. Planta igitur, hæc vulgata, & ab Herbarijs depicta huc uſque flore vidua ſub inconſtanti nomine *Ari Aegypti*, & *Fabæ Aegyptiæ*, ſiue *Colocaſiæ*, quam ab enormi foliorum magnitudine reſpectu plantæ Caſtellani, *Manta de nueſtra Señora*, denominant.

Lib. 2. c. de faba Aegyptia.

Locus: Apud Aegyptios oritur ſponte, vti nos monuit annis præteritis Federicus Zerenghi, & ab Alexandrinis pro cibo expeti, locisq. propinquis coli; Hippopotamum etiam illius radices depaſcere, atque ab Incolis, *Culcas*, appellari; nec mirum. nam & in diuerſis illis nomenclaturis apud ipſum Dioſcoridem in cap. de Aro, Cyprios aſſeritur Arum dicere, *Colocaſion*; non diſſimili errore; nam *Colocaſion*, proprie dicebatur, vt diximus, radix Fabæ Ægyptiæ, quæ non bulboſa, vt huius, ſed Arundinacea, & aſpera erat, teſte Theopraſto, & alijs. locis gaudet pinguibus humentibus, non autem lacubus, & vadoſis, vt ipſa Faba Aegyptia vera:

Deſcriptio. Radice eſt Bulboſa, magna, Scillæ æmula in vetuſtiore, foris rufeſcente, intus candicante, bulbulis ſe obliquè propagante, non Arundinacea, geniculis aſperis, ſed læuis, & orbiculata. Folia fert Ari figura, colore ex viridi languentia, minus craſſa, ſed duriora, ac veluti cartilaginoſa, rotundiora, nymphеæ folijs ſimilia, ſed non parum ad Muſæ dictæ plantæ folia accedentia, neruoſa quidem ſunt nimis, & vndulatæ veſtis modo ſinuoſis

venis

venis depicta, atque propè petiolum vmbilicata, non vt in Aro vulgari diuiſa, ſed Cotyledonis modo coniuncta, qua nota differt à vulgari, bipedalia, & maiora longitudine; tertia verò parte minus lata præſertim cum flores edit; tunc enim magnitudine ipſa folia excreuère cum ipſa radice, & longis, craſſisq. quinquepedalibus, & amplioribus, læuibus, & in imo folliculoſis petiolis incumbunt. Auguſto, & Septembri menſe poſt aſſecutam annis aliquot magnitudinem. Proprium habet hæc planta, quod non profert caulem, ſed eius vice emittit primò folium quodam folliculi modo, quod à reliquis folijs diſtinguit petiolum in imo ab alijs, qui flores eſt editurus ex ima folliculoſa parte, proprium etiam habet, quod non vnicum florem, ſed plures emittit, illosq. ternos ex ſingulis foliorum imis folliculoſis petiolis ſub folijs, effigie vulgati Ari noſtratis cucullata, non ita caua anguſtifolio Ariſaro proxima medium habentes iulum erectum in tenuitatem abeuntem, ſemipedalem, & deinde in botrum acinoſum vt in Aro, ſed omnia oblongiora, & anguſtiora, & læuiora, colore etiam dilutiore, ac odorata, grato odore, inter Lilium, & Narciſſum; triduoq. marceſcunt, incipientes ab imo florere, paulatimq. emergentes vnus poſt alium. Vidimus annis præteritis ab hinc tribus plantam ſimilem apud Aromatarium propè D. Mariæ Carmelitanorum templum Neapoli nouem habuiſſe flores, & tribus tantùm petiolis foliorum prodeuntes, ſed anno præterito, & etiam hoc anno in platea dicta, *Sellaria*, Neapoli, apud Io. Dominicum Bocellum Aromatarium tres tantùm ex vno petioli folliculo emicantes flores. Fructum vero acinoſum, pallentem ad maturitatem non perduxit, ob Cœli, vel fictilis, in quo manebat defectum, quem non ex floribus, qui in iulo ſunt parte dimidia, ſed infra extuberantem imam folliculi floris partem profert: floruitq. Octobri menſe alter etiam petiolus. Non ſolum in Ægypto ſpontaneam, atque in Sicilia tradunt alij, ſed etiam noſtro Cœlo in Salernitano agro frequentē inuenit in quadā Vallecula F. Donatus de Eremita eximius in Chymica, & Aromatariæ officinæ præfectus Neapoli in monaſterio S. Catharinæ à *Formello* dictæ, Ordinis Prædicatorum, aquoſo loco, decliui ſupra portam dictam, *dell' Annuntiata;* Non parum radice, & tota planta, totaq. natura, cum verè Arum ſit, & non alia Planta, & in Æegypto ſit frequentiſſima, Aegyptium Arum refert, & Cypriorum, qui *Colocaſion* appellant, vt diximus, & forſan illud Plinij folio Lapathi, radice Scillæ amplitudine, niſi Caule duum Cubitorum recto, baculi craſſitudine careret,

Tempus.

A 2 huic

huic enim ex medio foliorum cauo petiolo parum emicant ſub folijs. Si vero caulem pro foliorum petiolo hoc loco, qui admodum craſſus eſt, & longitudinem non modo exæquat, ſed longe ſuperat, Plinius accepiſſet, nihil deeſſe videretur facie, & vſu; ait enim de

Lib.19.c.5. Bulbis loquens: *Eſt inter genera, quod in Aegypto Aron vocant, Scyllæ proximum amplitudine, folijs Lapathi, Caule recto duum Cubitorum, baculi craſſitudine, radicis mollioris naturæ, quæ edatur, & cruda. effodiuntur Bulbi,* &c. Huius radix Neapoli à Turcis, & Aphricanis mancipijs expetitur, atque in cibo acceptam celebrant, vt inde clarum ſit in Aegypto, alijsq. locis Orientalibus frequentiſſimam, & in ciborum vſum venire, vt cæteros bulbos, eſſeq. proculdubio Arum, & guſtu percipitur non eſſe qualitatis frigidæ, vt aſſeritur à doctiſſimo Proſpero Alpino. Quod autem eadem Planta non ſit antiquorum Colocaſia, ſiue Faba Aegyptia; ex his nihil eſt, quod in aliorum ſententias typis expreſſas euertendas immoremur. Hoc autem tacere non poſſumus tam claram, & exactam floris, & fructus, ac eiuſdem conceptaculi à Theophraſto & Dioſcoride traditam, & totius plantæ hiſtoriam, vt nomen ab ipſa radice & fructu deſumpſerit, potius improbaſſe recentiores, quam planta carere tanquam exotica aſſeruiſſe, aut magis reſpondentem perquirere voluiſſe. Matthiolus plantam hanc Arum eſſe ſtatuit, & rectè, & Fabam Aegyptiam eſse negauit, ſed ne illam ignoraſse videretur, ex idea affabrè depictam iconē, vt in alijs ſibi ignotis & rarioribus ſolet, hiſtoriæ accommodatam propoſuit: non animaduertens Veſparum fauum minimè rectè fuiſse expreſsum, vt Ciborion exprimeret, quod etiam vaſculum, & poculi genus eſse refert apud anti-

Lib.3.c.1. quos Athæneus. Et peritiſſimus Carolus Cluſius poſtremo in ſuo Exoticorum volumine pag. 32. ſub nomine Peregrini fructus, plantæ cuiuſdam capitulum depinxit, & hiſtoriam tradidit tàm bellè Fabæ Aegyptiæ fructui reſpondentem, & Veſparum fauo ſimilem, quod etiam poculum imitatur, vt idem ab opinione, quam antea in rariorum ſtirpium hiſtoria pertinaciter conceperat, & tradiderat, ſponte diſcedere, vt vir ingenuus videatur. Huius radix, & tota Planta acris eſt, non alio, quàm Ari modo, quamuis mitior, & ideò in Cibo, & alijs idem eſt vſus, & Plinius, *mollioris naturæ*, dixit, *quæ edatur & cruda,* non quod ſit mollior tactu, ſed quia non ita acris, vt vulgatum Arum, & mollioré ſapore intellexiſse putamus. Non eſt igitur planta hæc Faba Aegyptia Veterum; non enim radix ſpinoſa valida, vt Theophraſtus, & alij referunt huic apparet, vt

Cro-

Crocodilus illam refugere poſsit, ne occurrens oculo offendatur, non flos huic roſeus dupla Papaueris magnitudine, non fructus folliculatus Veſparum effigie faui, non fabas profert, vnde nomen illi, nec quicquam niſi foliorum amplitudo ſimilis dici poteſt. Sic etiam viribus contrarijs ferè longe differt ab illa; quibus animaduerſis quemque ab illa opinione diſceſsurum putamus. Emiſit hoc anno, quod non antea obſeruauimus inter petiolum flores emittentem, & reliquam plantam, folioſam cartilaginem velut folliculum poſtea ruffeſcentem, quæ prægnantem petiolum à ſterili diuiſit: id notabile, & proprium plantæ inter cætera. Differt ab Aro vulgari, quod iulus medius eſt floſculis ornatus dimidia ima parte, & reliqua in tenuitatem abit, in vulgato vero iulus in imo tenuis, & in ſummo craſſior piſtilli figura, abſque floſculis, ſed læuis. Lugdunenſis plantarum hiſtoria ex Myconi relatione Matthioli Aro Aegyptio addidit imaginarios potiùs flores, vt ex illius hiſtoria, & icone colligitur, quàm viſos, à veritate alienos.

Syſirinchium Aſprenſium anguſti folio alterum. Cap. II.

HAec autem emicat minimo aeris tepore, florentemq. Ianuario menſe, obſeruauimus in Caſtro, *Aſpra* dicto, in Sabinis, olim *Caſperies* appellato. Bulbo eſt craſſiore illo Apulo à nobis deſcripto, cui folia ſimilia quatuor ponit canaliculata Pinus folijs ſimilia, ſed ita tenui ſciſſura, ſiue canaliculo, vt niſi animaduertatur Iuncea videantur, & coſtæ effigie. Floré edit Croci figura, & odore, magnum reſpectu plantæ, ſed Croco minorem, candicante colore, & in aliquibus ſummæ floris partes purpuro cæruleæ, & imæ veluti vngues luteo colore: ſtamina intus tria, craſſo, & oblongo capite prædita lutea, medium vero apicem alium oblongiorem, in ſex tenues, breuesq. lacinias in ſummo diuiſum, ex pallido candicante colore. *Tempus.* *Locus.* *Deſcriptio.*

Variat flos: nam tria ex ſex foliolis exteriora dorſum habent, vel rubens, & lineis variegatum, vel ex luteo virente linea inter purpureum colorem, aut obſoleta purpura. Radice bulboſa, barbata Apulo ſimili, ſed maiore duplo, eodem ſapore Caſtaneæ, etiamq. ſe bulbo ſuperiore propagante. ijſdem locis congener altera Apula oriebatur. *Sapor.*

Gethioides ſylueſtre. Cap. III.

EX bulbaceis cum ſit etiam hæc, folijs cauis, & fiſtuloſis vt Cepæ, forma vero bulbi oblongiore, capitulis etiam cepaceis, ad Gethij familiam adſcribendam fore putauimus. Ampeloprasi vulgaris eſt effigie, bulbo oblongo paruo, cortice tenui fuſco, intus candido; folijs cauis, ſiue fiſtuloſis vt Cepæ ſunt, dimidiatæ virgæ figuram æmulantibus, ſtriatis parum, dorſoq. elato in rotunditatem, altera parte planis, quæ caulem reſpicit. ſapore herbaceo, parum dulci, nullo graui odore nares ferientia, aut guſtu inficientia, tantillum, aut vix calorem exerentia. caulis albicans eſt, rotundus, ſolidus, ſuccoſus, leuis tripedalis aliquando, & tenuis, in ſummo folliculum oblongum proferens, longis binis apicibus veluti folijs emicantibus, quorum alter pedem longitudine adæquat, alter minus: Aprili menſe clauſum, & Maio flores edit in orbem diſpoſitos Corymbi figura, albicantes, effigie cauos, vt congenerum, ſtellatos ſex foliolis conſtructos, neruulis virentibus diſtinctos, ſtaminibus intus ſex parum exertis, capitellis tantùm pallentibus, medium verò locum fructus obtinet oblongus, qui Iunio, & Iulio menſe perficitur. Radix ſobolem è latere mittere ſolet, eodem cortice contectam, ſapore parum acri, abſque fœtore aliquo: Plures ſimul bulbi inueniuntur emergentes, inter quos exigui quamplures nouelli non cohærentes, vt in Aſcalonia, vel ſciſſili Cæpa; ſed ſoluti, vt in Ornithogalo. In Aſprenſibus obſeruauimus, & etiam alibi.

Deſcriptio. *Tempus.* *Sapor.* *Locus.*



2. allium pallens. Sp. pl.

1 Ixia bulbocodium L. V.

Lam. 3.115

Orchis Anthropophora altera. Cap. IV.

Locus. RArior hæc à nobis in Aſprenſium collibus herboſis reperta anno 1606. poſt editum, ſed iconibus mutilum volumen. Huic *Deſcriptio.* folia ex pallido virent, ex radice vt in congeneribus teſticulata, primum bina, quorum alterum maius, & ſeſquiunciæ longitudine, duplò latitudinem ſuperans: deinde alia quinque paulatim fert maiora, longiora, latiora, & vnciali latitudine, palmam longa, & per ambitum vndoſa, primis exceptis, & quæ veluti folliculi caulem ambiunt tria iterum decreſcentia. Caulis eſt pedalis, tener, leuis, & vireſcens, in ſummo flores denſos in craſſam ſpicam, & obeſam, & florum ab imo dehiſcentium plenam habens: colore antequam dehiſcant rubente, deinde aperti floridam carnem humanam æmulantes, ſuauè rubentes, ac ſicuti colore, ita etiam effigie maſculi hominis figuram exprimentes, brachijs incuruis, veluti amplexari cupientis, reliqua figura, corpus, fœmora, crura, ſexumq. imitantes: naturæ miro prorſus artificio contemplando: capita inter floris foliola ſuperna includuntur, vt in congeneribus, quæ primo intuitu oculis & ore prædita videntur, quamuis reuera monſtroſa potius ſint. Sata germinat autumno, Aprilis etiam menſe floruit *Tempus.* Romæ nobis ex Aſprenſibus cum alijs rarioribus allata. Folia quandam aſperginem habere videntur ſplendidam, quod etiam alijs Orchidibus eſt commune. Radix autumni initio ſimplex eſt, & abſque fibris vegeta, quæ deinde aliam ex ſe gignit Vere vegetiorem, matre ſeneſcente, rugiſq. contracta, colore flauicante, & flaccida. Hanc ad vſum à Dioſcoride relatum vtiliorem eſſe ratione phyto- *Cap. 146.* gnomica aliquis aſſerere poſſet, vt in congenere diximus in prima parte, oſtenditq. natura rudibus, flores hominis effigiem exprimentes, & radicem teſtes: vt eius vſum ad teſtes *Vſus.* roborandos, ad hominum prolem præcipuè comparandam vtilem abſque medicinæ doctore noſcant. Oritur etiam ad radices Veſuuij montis in agro cuiuſdam Pagi, appellati *Santo Sebaſtiano.*

Hya-


Orchis Anthropophora
oreades

Hyacinthus Sanneſius coma paniculoſa. Cap. V.

MIrum quidem dictu, quod bulboſa planta hæc vulgaribus Hyacinthis non abſimilis etiam folijs, fructu, ac ſemine vidua, infrugiferaq; ſit adhuc viſa. Ignoramus culpa ne ſit tralationis, an alia cauſa; veluti nimia floreſcendi luxuria, ab vbertate proueniens, vt Theophraſtus docuit: Syluestrem quidem videre non licuit: ſpecioſiſsima quidem eſt coma florida, in coni effigiem efformata, ex vno caule proueniens; ipſe flos in innumeros ramulos, veluti vinacei racemus, idemq. racemoſus ablatis acinis diuiditur, magnitudine dodrantis ferè, faſtigiatus paulatim Miliacei graminis paniculæ modo; quare Hyacinthus paniculoſa coma fuit appellatus, & in manuſcripto volumine iconibus coloratis à quodam ſedulo viro naturalium rerum, & ſua forſitan manu, cuius nomen ignoratur, ſub icone addita ſunt hæc verba; comam habet, ſiue paniculam ex cæruleo purpuraſcentem, odore cum grauitate iucundo: caule pedali, Maio menſe prouenit in Agro Papienſi. Ab Angelo Beneuentano dono acceptum. Volumen hoc habet, & animalia quædam rariora non inelegantia, ſeruaturq; in Bibliotheca Doctiſsimi viri Io. Baptiſtæ Portæ Lyncei, & in Academia Neapolis, vices Principis Lynceorum gerentis, cuius humanitate hæc excepimus. Huius rarioris Bulbi planta, diligentia non minima propter elegãtiam, & raritatem in ornatiſsimo Illuſtriſsimi Card. Sanneſij horto colitur, in quo Naturę, & Artis delicias, ſtudioſiſſimus illarũ Princeps cõgeſsit: pictę enim à Natura ſtirpes in areis proſtãt, in Aedibus varia, quę Ars ęmula coloribus eleganter effinxit. Ab illo igitur petitã exactiorẽ huius ſpectabilis Hyacinthi imaginẽ exhibemus. Et quia primus multis ab hinc annis Romæ in Botanicorũ conſpectũ adduxit, Sãneſij denominationẽ addidimus: pręterea addẽdã etiã cẽſuimus obſeruationẽ viuæ plãtæ, ab Horti eiuſdẽ cuſtode miſsã cuius verba ſic latinè reddidimus. Martio mẽſe incipit tribus folijs erũpere, & circa Idus Aprilis florẽ edit in duobus alijs folijs, qui per totum Aprilis menſem vegetat, & ſaturato efficitur colore purpureo, atque deinde Maio menſe in plures ramulos ſcinditur, conſiſtitq; Flos hilaris etiam menſe Iunij, poſtea euaneſcente paulatim colore flaueſcit, atque hæc quatriennio obſeruaſſe Marinus Bonamicus ſupradicti Illuſtriſsimi Botanicus affirmauit in ſua Epiſtola. Nunc autem ſimilem plantam etiam in ditiſsimo Farneſiano horto floruiſſe relatum fuit, nec minori obſeruantia coli.

Flos

Flos ſolis Farneſianus, ſiue Aſter Peruanus tuberoſus. Cap. VI.

IN ditiſſimo rariorum ſtirpium horto Illuſtriſſimi Card. Farneſij ſumma diligentia colitur hæc, vt peculiari ſpectaculo peritioribus ſtudioſis eniteat; quibus humaniſsimus ille Princeps cōquiſitas vndique, & ab ipſis etiam Indijs aduectas, clariores plantas in eo pulchrè diſpoſitas exhibere ſolet, nec minus ipſe illarum contemplatione rerumq; naturalium omnium nobili ſtudio oblectatur. Huius plantæ radix tuberoſa, vegeta, facile ſe propagans, Chinæ radicis effigie non diſsimili, foris ruſeſcens, pari magnitudine, intus verò candicans, & fungoſa parum; ſapore dulci parum, non ingrato guſtui ita vt ſit edulis, & gratior cruda quam cocta; qua veſci incolas non minus, immo auidius, & frequentuis *Batate* dicta. folia Aprili menſe profert, ſimilia illis plantæ maximæ vulgaris, eodem modo hirſuta, & aſpera, minora verò, & anguſtiora, præſertim quæ caulem ambiunt ſemper ad ſummum decreſcentia, & anguſtiora, Caulis ab imo ex foliorum ſinibus alternatim hærentium, adeo ramis diuiditur frequentibus vndequaque, & non minus excelſus vulgari planta, vt pyramidem efficiat decreſcentibus ramulis ſummis paulatim, adeoque floribus oneratur, quatuor vel quinis in ſingulis ramis, vt obeliſcū, ſiue metam rotundam ſtellatam dicas; flores quidem lutei ſunt, & barbulis radiantes, verum adeo minores, vt vulgaris Chryſanthemi ſpeciem referre videantur, floret Autumni initio, & in fine perficitur. Caules verò plures magis, & minus proferre obſeruatum eſt, iuxta radicis incræmentum, & vetuſtatem; quæ poſt caulis, & ſeminis perfectionem marceſcit, relictis nouis tuberculis; vel ex ipſius extremo, vel ex fibris in ſummo craſſeſcentibus, vt in Arachidna, Aſtragalo, & ſimilibus. Præteritis annis videndi copiam fecit naturalium rerum ſtudioſus, & in Chymica præſtantiſsimus vir Tobias Aldinus è cubiculo ſupramemorati Illuſtriſsimi, ac etiam alias rariores, & exoticas plantas, de quibus alias Deo dante. Semen, & alia quædam obſeruare non licuit, vt exactiorem proferremus obſeruationem, & iconem.



Hyacinthus Sanneſius paniculosa coma.

Hyacinthus monstrosus, L

n. ccc. 126

Flos Solis Farneſianus, Aſter Peruan' tuberoſus.



Helianthus Tuberosus [illegible]

An Cyminum bulboſum Plinij, Cap. VII.

Lib. 19. c. 8. DIffert hoc à cōdimentario Cymino Plinij, cuius radicē ſummæ telluri vix hærere aſſerit, atque putridis, & calidis maximè locis medio ſerendum vere; hoc autem alio genere ab ipſo tantum Lib. 19. c. 10. Plinio memoratum eſſe videtur, cum inquit: *Et necatur Cyminum ab imo dorſo, niſi repurgetur: eſt autem vnicaule, radice bulbo ſimili, nonniſi gracili ſolo naſcens. Alias priuatim Cymini morbus* Lib. 4. c. 16 *ſcabies*. Scabiei verò cauſa, vt Theophraſtus ait, potiſsima eſt, cum parum aquæ poſt virgilias inceſſerit, quare cum locis oriatur gracilibus, montanis, & etiam ſaxoſis, quæ facile ſitire apta ſint, id vitium facile concipere poteſt. Plantam autem, quæ huic bulboſo Cymino aptari poſsit non aliam habemus meliorem, quam illam, quævulgò ab Herbarijs, *Bulbocaſtanum* vocatur, radice tuberoſa, nigra, intus candida, ſolida, ex qua folia valde tenuia & ſciſſa, ad Saſsifragiæ noſtratis Apij odore, quam Petroſelinum alias ſupplere diximus, accedentia, tenuiora, & in terram conuexa: caule ſeſquipedali, ſtriato, vnico, tenui, folijs in illo degeneribus, tenuioribus, vt in ſatiuo noſtrate Apio condimentario, vmbellis paruis, albidis floſculis, foliatam baſim habentibus, ſemine Cumini duplòminore, ſtriato, fuſco, & odore aromatico parum Sapor. Locus. acri. Campoclari in Mateſio ſaxoſis orienti oppoſitis locis, & alijs gracilibus montanis collegimus Iunio menſe: culta nobis erumpere cœpit initio Februarij annis pręteritis. Pro Oenanthe ſecunda depingitur, nihil cum Oenanthe Dioſcoridis habens commune.

Smir-

Smirnium Dioſcoridis & Hippoſelinum. Cap. VIII.

VArias adhuc Scriptorum de Smirnio opiniones, nec illas ſatis firmas, cum viderimus, quænam illarum nobis magis arrideat, in medium adducerè viſum fuit: atque illam quoad fieri poteſt comprobare, cùm veterum auctoritate, tùm etiam ex his, quæ nobis obſeruare licuit. copioſum eruimus vtrumque Smirnium à Matthiolo deſcriptum in ſylueſtribus, varijs in locis, vt vtrumque obſeruaremus, atque guſtu, & odore, atque facie cum hiſtorijs conferre poſſemus. At ſi vera fateri volumus, veriorem eſſe Smirnium Dioſcoridis plantam illam, *Macerone* vulgo dictam, & à rudibus, *Aleſſandrino*; & alijs; *Macedonico*; primo loco à Matthiolo depictam, & deſcriptam, quàm Creticum Smirnium putatum, & noſtro cælo copioſum. *Macerone* vulgi, Hippoſelinum ab alijs dicta; planta collibus, & montibus non frigidis copiosè oritur, Sole illuſtratis, ac etiam Romæ in ſquallidis editis locis non longè à mœnijs, vt Dioſcorides notat, φύεται δὲ ἐν πετρώδεσι τόποις, καὶ γεωλόφοις, Lib. 27. c. καὶ ἀνίκμοις, καὶ γωνίαις χερσευούσαις. *Naſcitur in petroſis locis, tumu-* 13. *liſq; ac angulis incultis.* Et Plinius, *Naſcitur & in ſaxoſis collibus, &* Locus. *in terrenis*, & nos Terracinæ iuxtà magnas illas ſaxorum rupes ſupra viam Romanam loco parum editiore nuper obſeruauimus copioſum. Radice pedali, foris nigra, intus candicante, ſed magis Deſcriptio. virente, quod obſeruauimus, & à Dioſcoride notatur, molli, ſuccoſa, odora, guſtu acri admodum, vt fauces mordeat, & ob id non ſit edulis, quod non euenit radici plantæ alterius Creticæ putatæ, nobis frequentiſſimæ, cuius quamplurimas radices eruimus, & comedimus cum amicis varijs in montibus vmbroſis, aquoſis, frigidioribus, & editioribus illis, in quo *Macerone* oritur, vt in Aequicolarum montibus, Valuenſium, & poſtremo Aſprenſium in Sabinis, albo colore, non nigro, nec fuſco, & breues admodum, vt vix triuncialem ſuperent longitudinem, nec admodum craſſas, guſtu aromaticas, dulces, atque grato ſapore eſculentas, & pauca præditas acrimonia, vt nec multis eſitatis cum recentibus caulibus moleſtiam vllam faucibus noſtris, & amicorum attulerint, imò gratiſsimas iudicauerimus. Contra verò in radice *Macerone* dictæ plantæ cuius guſtu ſtatim fauces exaſperantur fruſtulo deuorato: Ex radice Rhaphani magnitudine folij magni, in plures lobos latos diuiſa, primo exortu ex radice in nouenos lobos, ternos ſingulis

gulis petiolis, at quæ caulem imum ambiunt in lobos vigintiſeptem diuiduntur, vt ſinguli petioli nouenos habeant, & ſit ex plantis à nobis πλατυφύλλοις, ſiue, πολυπλατυχισόφυλλοις, vel propriè πολυπλατυχισολόβοις, quia folium, quod eſt illud totum ab radice incipiens in plures lobos latos, ſiue folia dicas diuiditur, Angelicæ dictæ ſimilibus ex viridi pallentibus, caule rotundo, craſſo, bicubitali, in ſummo alis diuiſo, & vmbellis flore ex herbaceo albicante refertis, ſemine deinde copioſo, nigro, craſſo, magnitudine Piſi, vel Orobi, ſtriato, rotundo antequam ſiccetur, poſtea verò diuiditur, duplex eſt, vt in omnibus vmbelliferis, & ſimile figura ſemini Libanotidis Canchryferæ, cuius ſemen *Canchrys* vocatur, quare ſimilitudo, quæ legitur in Dioſcoride, ſeminis *Braſſicæ*, perperam, vt conijcimus, à tranſcriptoribus corrupta fuit ex verbo κάγχρυος κράμβης mutata, vt *Braſſicæ* legant, pro *Canchrys*, cui, niſi nigro eſſet colore, ſimillimum eſſet, ſapore acri aromatico, odore medicato, quem Dio-
Lib. 27. c. 13. ſcorides Myrrhæ ſimilem dixit. Plinius, rotundo ſemine, & nigro eſſe dixit; addiditq. quod in hortis ſerebatur iiſdem, quibus & Libanotis, Myrrhamq; radice reſipere, vnde nomen habuit. Quem
Ethymon. etiam odorem Myrrhæ in Hippoſelino eſſe, quod etiam Smirnium appellari refert, Theophraſti notas exarando Hippoſelini, quem
Lib. 19. c. 1 Myrrha ſata natum aſſeruiſſe dicit: quod in Theophraſto non reperimus, ſed hoc, quod quidam cum ex Hippoſelino naſci Myrrham audiuiſſent, Hippoſelinum apud ſe prouenire putarunt. Seri quidem
Lib. 8 c. 6. ſua lacryma refert, quam Mirrhæ ſimilem eſſe ait. Theophraſtus verò Hippoſelini ſemen nigrum, & Orobo ampliorem proferre tradidit, noſtram adiuuans ſententiam: non enim Braſſicæ ſemen, quamuis rotundum, ad hanc Orobi manitudinem vnquam augetur, ſed Orobum craſsius ad Cãchrys ſeminis molem accedit. Quod autem idem ſit Smirnium Dioſcoridis, quod Petroſelinum in Cilicia dicebatur, & Hippoſelinum apud Theophraſtum, ſatis manifeſtum eſſe cenſemus, ex vtriuſque hiſtoria, & plantæ delineatione, radice, & toto habitu, &, quod intereſt, guſtu Myrrhæ, vt Theophraſtus dixerit de eius lacryma, & Dioſcorides de ſeminis guſtu myrrhaceo, vt Myrrham æmuletur, & ideo ſua lacryma, quæ Myrrham æmulatur ſeri tradidit; & Dioſcorides vt alterum pro altero vſur-
Lib. 19 c. 7 petur: omnia Smyrnio Dioſcoridis reſpondentia, & Plinius ex Theopraſto, ait, *Hippoſelinum Veteres praeceperunt in locis incultis, & lapidoſis iuxta maceriem ſeri*: & nos in macerijs ſaxorum Terracinæ obſeruauimus, & alijs locis ſiccis, & tenuibus. Hæc autem

tem minimè Dioſcoridis Hippoſelino conuenire notum eſt, immò Dioſcorides nos monuit, Hippoſelinum à ſe deſcriptum non eſſe Smyrnium, quamuis aliqui ſic illud appellant, ſed aliud eſſe Smyrnium verum, vt infra dicit, quod ab odore, & ſapore Myrrham æmulante nomen accepit, quod Theophraſtus Hippoſelinum appellauit, vt diximus, & alij. In Cilicia Petroſelinum appellari tradit Dioſcorides. Duas igitur plantas Hippoſelini nomine ab Antiquis deſcriptas reperimus, quarum altera Hippoſelinum eſt Dioſcoridis in Aquoſis locis, & vmbroſis oriens, altera eſt Hippoſelinum Theophraſti, Equapium dicta à Gaza, quod idem eſt cum Dioſcoridis Smyrnio, quia Myrrham reſipiat, & pro Myrrha vſurpari poteſt, locis ſaxoſis, & ſiccis, cui iam reſpondere plantam *Macerone*, vulgo dictam iam ſatis oſtenſum putamus. Addimus, quod cum ſemen amarum ſit, & Petroſelinum à Cilicibus dici aſſeratur, & Galenus Petroſelinum Macedonicum amarum eſſe admodum dicat, quem ſaporem non habet ſemen illud Officinarum, ſiue ſit Dauci ſpecies Selinioides à nobis dicta, ſiue vulgatum Apium, vtrumque ſubſtituunt in Theriaca, & ſemen Smyrnij huius, vt Dioſcorides tradit, præter vim alexipharmacam, hydropicos priuatim mederi, ſtomachi inflationes, vrinæ difficultates, & alios morbos curare; Galenus verò, Petroſelini ſemen Macedonici in Theriaca miſceri, non ad principalem Theriacæ compoſitionem, ait, *ſed vt debili ſtomacho, & hydropicis, & alijs eiuſmodi affectibus vtile, non iuxta principalem Theriacæ promiſſionem.* quare, qui plantæ illius à nobis propoſitæ odore Petroſelini tenui foliæ, pro Petroſelino Macedonico, vim, & effigiem non probauerit, licebit & huius ſemine vti, meliore Succedaneo aliorum Officinarum Petroſelini ſeminum, quod & Macedonicum vulgo etiam dicitur, niſi hoc etiam loco fallimur. Dioſcoridis verò Hippoſelinum, quod Myrrham non reſipiat, & ſit propriè Hippoſelinum genere ab alijs diuerſum, & etiam à Smyrnio facie, guſtu, atque natali, quid ſit, remanet nobis veſtigandum. Quod ſi natalibus, effigie, atque guſtu, eſculentiq. vſus aptitudine ſit venandum, niſi quia planta hæc ab alijs, & Matthiolo pro Cretico Smyrnio propoſita, ſemine non ſit oblongo, vt cuperemus, facilè pro Dioſcoridis Hippoſelino poſſet proponi. Folijs quidem Apij effigie ſatiui maioribus, craſſioribus, nec ita obſcurè virentibus, caule alto, cauo, tenero, ſtriato habente lineas, ſiue ſtrias limbos elatos, magnos, qui caulem in imo quinque angulis exaſperant, & in ſtrias diuidunt, ſuperius verò quadratum efficiunt, vt in icone

Succedaneum Petroſelinũ pro Theriaca.


inferius notatum, & in ſummo variantem etiam angulis,lineis illis, ſiue limbis maioribus effectis, quos limbos, & lineas cartilagineas in alijs vmbelliferis hoc modo elatas adhuc obſeruare non contigit, γραμμὰς ἔχων, ait Dioſcorides, Theophraſtus verò Cumini ſemen lineatum,ſiue ſtriatum per verbum γραμμώδη dixit, quod ſemen ſtrijs tenuibus elatis parum inſignitur; Dioſcorides *Canchry* ſemen, *angulos habens*, dixit; quia ſtriæ illæ plures angulos efficere videntur in illo, non vt alij dixerunt,*Canaliculatum*, interpretantes,quod de vno Canali intelligitur, præterea folia in ſummo latiora,quæ veluti Perfoliatæ hærent, ex quibus coma Libanotidis modo exit rotunda, florum luteorum plena, quamuis folia illa non ſubpunicea ſint, ſed ferè lutea, alio tamen colore ſunt in omnibus, quàm ima folia,quæ virent, fieri poſſet,vt ſiccare incipientia,vel alio modo rubentia parum à Dioſcoride ſint obſeruata, vt in Arborum folijs euenit, præſertim Vitis. Et idem Dioſcorides de Gentianæ folijs dixit,quæ luteſcere tantùm obſeruantur. Satis quidem huic priuata nota eſt, vt Dioſcorides notat, φύλλα πλατύτερα, & ἐν οἷς ἐστὶν, folia eſſe latiora in caule, quod alijs non euenit, niſi Perfoliatæ, & ex illis folijs comam prodire caulem etiam lineis diſtinctum, quæ minimè alijs plantis inſunt, vt in hac noſtrate Cretica putata. Radix quoque huic non craſſa,nec longa,ſed breuis admodum reſpectu plantæ, odorata eſui apta, tenera, candicans,non nigra, grata in cibo, ſicut & caulis qui tener & mollis eſt antequam flores pãdat; non acris radix vt fauces lancinet ſicut Smyrnium ſupradictum,immò grata,nec nigro colore foris,nec intus virente,aut luteſcente, vel pallida, vt Plinius vertit: non in ſiccis, & Sole illuſtratis, ſed frigidis,vmbroſis,montanis, editioribus, & aquoſis locis: non enim paluſtria loca in planis ſita ita vmbroſa eſſe ſolent vt montana,& Dioſcorides non in aquoſis paluſtribus,ſed iuxta aquoſa naſci dixit, παρ᾽ ἕλεσι, non in ſtagnantibus,vt in Hydropipere, στασίμοις ὕδασιν, & planta hæc in montibus vmbroſis iuxta fontes delabẽtes nos obſeruauimus, vt de Gẽtiana tradit Dioſcorides etiam; Huius radices, quoties montes illos aſcendebamus cum amicis, obſeruationis ergo, toties ob longum,& moleſtum accliue iter,& gratum eſum comedebamus;illasq. poſtremò in Sabinis inuentas eſitabamus cũ caulibus, nec ob copiam radicũ & caulium deuoratarum fauces afficiebãtur,ſed vires refocillari, & grato odore os commendari contingebat.Quare nos contrario modo quo alij facere ſolent his vteremur,loco ſcilicet Hippoſelini Dioſcoridis hac Cretica putata planta, & noſtra ſententia nihil habens,quod Smyr-

Sapor.

nio

nio conueniat, & pro veriore Smyrnio Dioſcoridis *Macerone*, ſiue vulgi Hippoſelino, vt diximus ſupra: quibus magis vires & delineatio accedunt; quanquam adhuc nos de Hippoſelino Dioſcoridis hæſitamus vt diximus, ob ſemen non longum, ſed fere rotundum nigrum aromaticum. Inuenimus hanc in montibus Aequicolorum, *Locus.* Valuenſium, & Aſprenſium in Sabinis humẽtibus locis, iuxta aquarum decurſus, & vmbroſis, nec in ſiccis, & calidis, & nudis vnquam montibus, aut Campeſtribus, & lapidoſis, vt Smyrnium. Hippoſelinum foliorum magnitudine, & natali eſſet planta illa Geoſelinum ex Eleoſelino facta, vulgò *Selino*, dicta, ſed quia exiguo ſit ſemine, nec nigro, & alijs non reſpondeat, & Eleoſelini ſit ſatiua ſpecies, aliam perquiramus. Anglicum, ſiue Turcicum, aut Catalonicum radice maxima eſt dura ſicuti caule, ſemine nec nigro; natalia ignoramus; quapropter adhuc nulla videtur magis accedere ſupradicta; Notandum denique cenſemus in nulla alia ex nomine Apiorum planta, ſiue Selinorum, niſi ex Anglico, ſiue Turcico *σελινοδά-* dicto in fictili culto, nos ſpontaneum gummi emiſſum ex radi- *κρυον* cis capite parum è terra emicante, obſeruaſſe, & eruiſſe, odore, & ſapore plantam referente, quod & ſeruamus: vtinamq. è Smyrnio aliquando liceat emiſſum videre, ſuamq. plantam Myrrhaceam reſipiens, vt Theophraſtus prodit.

Inuenitur congener alia planta à Lobellio, & alijs depicta, folijs maioribus, & multo ſciſſis, caule rotundo, leui, radicem non vidimus, ſicuti Matthiolus, quare amplius de ea referre nequimus. quam Romæ in horto S. Sylueſtri in Quirinali aſpeximus apud P. Blaſium huiuſmodi rerum ſtudioſiſſimum. Smyrnij vires ex Dioſcoride ſunt: *Vires.* Vim habet radix, herba, & ſemen calefaciendi. Folia olerum modo muria condita ſeruantur, & aluum ſiſtunt. Radix pota ad Serpentium morſus commoda eſt. lenit etiam tuſſes, & erectæ ceruicis ſpirationes, & vrinæ difficultates ſanat. Eadem impoſita recentes tumores, inflammationes, & durities diſcutit, & vulnera ad cicatricem perducit. Feruefacta verò & appoſita abortus efficit; ſed ſemen ipſius ad renes, & ſplenem, ac veſicam commodum eſt. Ducit etiam menſes, & ſecundas. ad Coxendicum morbum commodè cum vino bibitur. ſtomachi inflationes mitigat. Sudores item ac ructus mouet, & peculiariter contra hydropen, & febrium circuitus bibitur.


Cyminum bulbosum.



Smyrnium Dioscoridis

R. d. S. 6.497

Rapuntium vmbellatum. Cap. IX,

Effigies Lobell. T. 473

QVA ratione huic plantæ Telephij purpurei nomen à Recentioribus inditum fuerit incompertum eſt nobis, quiduè cum Telephio, vel folijs, flore, ſemine, aut viribus commune habeat ignoramus. Nos autem tota plantæ effigie, ſubſtantia, ſapore, viribusque, præter vmbellam, ad Rapuntij ſpeciem reuocandam duximus, in qua naturæ ſolertia, ac venuſtas, inq. florum varietate lepiditas eſt admiranda. *Deſcriptio* Huic radix, fibroſa, candicans, perennis, craſſiuſcula, lacteſcens; folia Ocimi per ambitum ſerrata magnis dentibus, vulgari Trachelio proximis, ſicut etiam poſitu & ramis, verum leuibus, nitidis, caule multis alis diuiſo, in quibus minora, & anguſtiora folia alternata, & in ſummo vmbellæ magnæ modo denſi ſunt florum Corymbi, dehiſcentes in oblongos, & tenues admodum tubulos, quorum extrema pars in quinque lacinias ſtellæ modo, purpurocæruleo colore micat, medium habentes oblongum ſtamen tubulo pari, Valerianæ, ſiue Nardo Montano non diſſimiles, minores & parum etiam odori, fructibus etiam inſidentes, qui quamuis rotundi trigoni ſunt; Iulio menſe incipientes, & *Tempus.* deinde per alas alij emicantes, etiam Octobri ſingulis menſibus; at prioris, & ſummæ vmbellæ ſemen Auguſto perficit, quod ex foraminibus tunc ima parte conceptaculi, vt in congeneribus ſponte decidit, minutum arenæ inſtar, obſcurè flauicans. Tota planta ad flores vſque lacte turget concreſcente, ſapore dulci vt congenerum. *Sapor.* Ex ſemine nobis miſſo ortam obſeruauimus: gaudet cultu, & humenti, vmbroſoq. parum loco, vt congeneres: cuius vires ſimiles non eſt dubitandum non habere, & cibo idoneam plantam. Iconem apud Lobellium videre poteris.

Ra-

Rapuntium, ſiue Erinus magno flore. Cap. X.

IN Aſprenſium Colle quodam Caſtro ſubiacenti, Decembri *Locus.*
menſe hanc Erini varietatem eruimus adhuc florentem, vt in *Tempus.*
Icone ad viuum expreſſimus. Radice craſſa, fibroſa, ex albo parum *Deſcriptio.*
rufeſcente, ſapore dulci vt Rapuntij vulgaris, lacteſcente, ac peren- *Sapor.*
ni, vt conijcere licet ex nouella ſobole, & radicis rugoſo capite. Folia cum caule promit primùm exigua, rotundiore cacnmine vulgaris Pepli magnitudine, deinde longiora, quæ vix vnciam æquant, vel ſuperant, ſemper longiora & anguſtiora, illaq. in extremo acutiora, quæ caulis medio hærent. caulis tenuis eſt, pedalis, ſtriatus, paucis folijs interceptus, in quibus deinde flores poſt diſcuſſos priores, qui ſupra caulium cacumen producuntur ex quinque foliata baſi anguſtifolia, vt in alijs, floris effigies campanulæ modo ad Trachelij anguſtifolij à nobis alias proditi florem accedens, vnciali longitudine, & ſemiunciali fere latitudine, in quinque lacinias oris margine inciſo, obſoletè cæruleo purpuraſcente, venulis purpurocæruleis per longum depictus flos eſt, lacinias habens colore magis ſaturo, apicem in medio trifidum, intorto cacumine quinis etiam ſtaminibus circumdatum. Fructus vt congenerum, & ſemen arenæ inſtar minutum decidit per foramina, tunc peruia, perfectum. Tota plancta cum floribus lacteſcit, dulci ſapore, edulis, grata in cibo magis, quàm vulgatum Rapuntium.

Rapuntium alterum anguſtifolium Alpinum. Cap. XI.

FRater Gregorius Regiēſis Franciſcani Ordinis Cappucinorum naturalium rerum perquam ſtudioſiſſimus, & peritiſſimus amicitiæ ergò, atque ſuæ humanitatis in me ſigno, multas ex Germanis *Locus.*
montibus ſtirpes exiccatas miſit ad me anno 1610. inter quas rariores, & hanc ad Rapuntij genus idem retulit, ſed hoc corniculatum etiam habet florem ſimilem illi à me depicti nomine Rapuntij montani corniculati, ſic enim ex ſicca planta excipitur, Radice eſt lon- *Deſcriptio*
ga craſſa, perenni, quæ multos habet in ſummo ceſpites annoſos, ex quibus noua ſemper germina proferuntur; folijs eſt longis pollices quatuor; anguſtiſſimis, caule tenui, vix ſupra folia emicantem, vnico latiuſculo intercepto foliolo, in cuius ſūmo flos eſt globoſus ſimilis altero à nobis deſcripto noſtrate corniculato; ex alijs germinibus caules etiam, & flores alios promit, fructu & ſemine, vt cenſemus, etiam ſimilibus, non enim ex ſicca planta obſeruare potuimus.

Amel-


Rapuntium ſiue Trinus magno flore
Rapuntium Vmbellatū

Amellus montanus Aequicolorum. *Cap. XII.*

AEquicolorum montium pratenſia, & Syluoſa loca diligit, cuius radix obliqua, parua, fibroſa, flauicans, ſapore dulci, ſed acri admodum quaſi piperis; caulem profert ſeſquipedalem, aut bipedalem ad ſummum, anguloſum, hirſutum, aſperiuſculum, folijs in imo in orbem: & caulem alternatim ambiunt ſingula, frequentia, oblonga anguſta Coclearum Cioniæ, vel clauicularum modo intorta, ſuperna parte leuiora, infernè atque per ambitum hirſuta, colore atrouirentia, ſapore acri aromatico, Citrij mali Corticis aut ferè piperis. Flores incipit proferre à ſummo calycibus oblongis Hieracij modo ſquamoſis incluſos, quamplurimis foliolis coronatos, ex albo circa eorum ora purpuraſcentibus, vmbone intus depreſſo, luteis ſtellatis exiguis floſculis compacto, atque inter vmbonem, & foliola externa, corona ineſt media, elata, pappis candidis emergentibus, vt tricolor flos videatur, ex purpureo, candido, & luteo. Auguſto menſe floret, deinde è caule medio alæ ad ſummum vſque alios flores paulatim ſingulæ proferunt, binos, aut ternos ſimul. Semen perfectum papoſum exiguum oblongum euolat vt in congeneribus. Virgilij Amello non parum reſpondere videtur aſpero ſapore, qui acris intelligitur; & natalibus pratenſibus, & humentibus montanis locis. Congener hæc eſt paluſtri Amello, quem alij Aſterem Conizöidem appellarunt, ſed hæc minor tota, folijs contortis, acriore & gratiore aromatico ſapore. *Tempus.*

D *Hic-*


Rapuntium angustifol.
Amellus montan



1. Tolpis barbata Spr. hist.

2. Hypochoeris glabra. L Sm. fl. 3. 335

Hieracium Calyce barbato. Cap. XIII.

HVic floris calyx oblongus ſquamulis,ſiue foliolis oblongis tenuibus, & incuruis, vt hirſutus, ſiue barbatus vndique videatur; Flos verò pallidus Maio menſe oblongus, nec ſatis hians, & latus. Folia parua triunciali longitudine anguſta admodum, raris denticulis ſerrata, mollia, nec leuia, nec hirſuta. Caulis tenuis eſt, pedalis, duobus tribusue foliolis hærentibus alternatim ornatus, & in ſummo florem, & ex illius latere ſoboles emittit; in quibus alij flores altius emergunt. Impiæ vulgaris modo;locis auſtralibus in maritimi ferè iuxta oppidum d ctum *Torre dell' Annunziata*, non longe à Stabij ruinis in Veſuuij radice.

Tempus. *Locus.*

Hieracium alterum leuius minimum. Cap. XIV.

NVdus ferè huic caulis eſt, pedalis ad ſummum, tenuis admodum, itemq; radice exigua parum fibroſa, foliola emittit Vere in terram ſtrata;circa radicis caput exigua, oblonga, nec vnciam longitudine ſuperantia, ſinuoſa, atque lanugine quadam hirſuta: locis verò pinguioribus triunciali longitudine, & ſemiunciam lata, cui plantæ (ob humoris abundantiam putamus) caulem in medio ſtipite extuberantem monſtroſum in multis obſeruauimus. Exiguis, ac vix conſpicuis alis alternatim veſtitur, vt nudus appareat ferè, ſingularisque plerumque; ſed aliquandò binos etiam caules deinde obſeruauimus. Florem in ſummo profert luteum Sonceo calyce ſquamoſo, leui, oblongo, quo ſeneſcente in globum papposum ſemen oblongum fulueſcens efformatur, atque perfectum, vt in congeneribus euolat. Maio menſe floret & perficit: cum ſuperiore inuenimus ibidem.

Deſcriptio. *Tempus.*

Hieracium Germanicum, 1. *F. Gregorij*. Cap. XV.

IN montibus Germaniæ oriri, atque à ſe collectum F. Gregorius, qui cum alijs multis rarioribus ad me ſiccis miſit, aſſeruit;atque propter pulchritudinem ſuam in hortis etiam ſeri. tota planta hirſuta, & ſerpit, florem habet deauratum: radice tenui, obliqua, fuſca, folijs vulgari Cynogloſſo, noſtro iudicio; potius ad Licopſidis folia accedentibus hirſutis, elatis, nec procumbentibus,

tibus, neruo rubeſcente, pedali longitudine, & bipollicari latitudine: caule hirſuto, tenero, herbaceo, nudo, in ſummo veluti corymboſum caput florum habente Piloſellæ montanæ modo à nobis deſcriptæ, quæ his etiam congener eſt.

Alterum Pumilum. II. Cap. XVI.

ALpinum alterum minimũ lanuginoſum etiam miſit flore luteo, radix illius carnoſa, ex qua longæ fibræ nigricantes, maiore radice, quàm ſuperius latifolium, folia piloſiora, & longiore hirſutie obducta tota planta: foliola longitudine pollicari, latitudine dimidij digiti; caule vnico quatuor vncias longo, parum ſuperat Iconem ipſa planta.

Hieracium III. fœtidum. Cap. XVII.

ALteram hanc varietatem leui folio, & profundè inciſo Dentis Leonis modo ſimul habuimus, magnis lobis Sonchi æmulis ſemipedali longitudine, radice carnoſa, quam tuberoſam ferè, & fœtidam retulit idem in Epiſtola, qui recentem obſeruauit, caule nudo, tenui, dodrantali, vnicum in ſummo florem pallentem poſerente vt congenerum, ſed paucis barbulis coronatum.

Alterum minus. IV. Cap. XVIII.

ALterum Alpinum minus appellauit, aureo flore, glabrum, plata triunciali cauliculo folijs ſeſqui pollicem longis, velligato, laciniato, Denti Leonis, dicto *Piſcialetto*, ſimilia flore aurato, differt exiguitate tota planta effigiei; radice carnoſa nigra ſicca, ex qua fibræ Longæ humum petunt.

Scorpio



1. Hieracium aurantiacum. Spec. hort. Sm. fl. 3. 358

2. H. alpinum. L. Sm. fl. 3. 358



3. Lapsana foetida Sp. ed.
4. Leontodon, [illegible], Lam. 3. 53

Scorpio Theophraſti Thelyphonon dictus, ſiue Doronicum Cyclaminifolio, nigra radice Campoclarenſe.
Cap. XVIIII.

NOn deſunt plantæ, quæ Scorpij nomine ſunt inſignitæ, tam à Dioſcori de, quam à Theophraſto, quæ vel ab aculeis foliorum, vel florum effigie, aut ſiliquarum alicui Scorpionis parti ſimiles nomen tale receperunt, de quibus alias. Sed quod ipſa radice ſcorpionem æmuletur; non alia niſi hæc dicta Scorpio fuit, vel etiam quia illi aduerſetur, quamuis illi ſimilis, ſicuti Dracõtium, quod vtile prædicatur ſerpentium ictibus. At quia fæminini ſexus quadrupedibus necem inferre traditur, Thelyphonon etiam appellata fuit, de qua nunc verba facturi ſumus. Huius delineatio ex Lib.9.c.19 Theophraſto hæc eſt, *Thelyphonon, quod alij Scorpionem vocant, eo quod radicem ſimilem habet Scorpioni, deſuper deraſam, Scorpionem necat. Si verò quis Elleborum album inſpergat, rurſus reuiuiſcere tradunt: Interimit & Boues, & iumenta, & oues, & in ſumma omnes quadrupedes eodem die, ſi radix, aut folia in pudenda ponatur: vtile verò eſt ad Scorpionis plagam potum. folium habet Cyclamino ſimile, radicem vero, vt dictum eſt, Scorpioni ſimilem. naſcitur velut gramen, & habet genicula. Amat loca vmbroſa.* Et Plinius de remedijs contra Scorpionem agens, inter alia recenſet & Lib 25.c. 10. hanc, cum inquit, *Thelyphonon herba, ab alijs Scorpion vocatur, propter ſimilitudinem radicis, cuius tactu moriuntur Scorpiones. Itaque contra eorum ictus bibitur Scorpionem mortuum, ſi quis helleboro candido linat, reuiuiſcerr aiunt. Thelyphonon omnem quadrupedem necat impoſita verendis radice: folio quidem intra eundem diem, quod eſt ſimile Cyclamino. ipſa geniculata, naſcitur in opacis.* Hæc de Thelyphono ſiue Scorpione, tamen ex Theophraſto, quàm ex Plinio, qui ab eo ſumpſit, referuntur. Nihil de Synonymis hoc loco à Plinio dictum, vt deinde Aconiti proſequens hiſtoriam fecit, vt Dioſcorides etiam, à quo forſan deſumpſit, qui eandem plantam Aconitum cum Thelyphono, ſiue Scorpione fecerunt. Inquit Pli-Lib.27.c.2 & 3. Loco cit. nius, *Torpeſcunt Scorpiones Aconiti tactu*, vt de Thelyphono dixit, *ſtupentq; pallentes, & vinci ſe confitentur: auxiliatur eis Helleborum album tactu reſoluente.* Et capite ſequenti, *Folia habet Cyclamini, aut Cucumeris, non plura quatuor, ab radice, leniter hirſuta; radicem modicam Cammaro ſimilem marino. Quare quidam Cam-*

maron

maron appellauere, alij Thelyphonon, ex qua diximus cauſa. Radix incuruatur paululum Scorpionis modo, quare & Scorpion aliqui appellauere. Nec defuere, qui Myoctonon appellare mallent, quoniam procul è longinquo odore mures necat. Naſitur in nudis cautibus, quas Aconas nominant. Et ideo Aconitum aliqui dixere, nullo iuxtà ne puluere quidem nutriente: hanc aliqui rationem nominis attulère. Alij quoniam vis eadem in morte eſſet, qua cotibus ad ferri aciem detergendam; ſtatimq. admota velocitas ſentiretur. Dioſcorides vero addit. *Folia aut Cucumeris caule dodrantis altitudine, radix ſimilis caudæ Scorpionis; & alabaſtri modo ſplendens.* Theophraſtus verò de Aconito loquens, nec Scorpioni ſimilem radicem eſſe, nec Thelyphonon appellari, nec etiam de nece animalium fæmininiſexus aliquid refert, immò illius vſus, & modus cōponendi paucis notus, & medicos componere neſcientes, pro corrodente vti, & ſi ad alia quædam bibatur, nullum ſui ſenſum inducere, neque in vino, neque in aqua mulſa: *Folium*, inquit, *habet Cichorio ſimile*; κικωριῶδες, legitur, *Radicem figura & colore ſimilem ſquillæ: & vim in hanc letalem. Folium autem & fructum nihil facere aiunt. Fructus herbæ non humilis materiæ. Breuis herbæ, & nihil ſuperuacui habens, ſed ſimilis frumento: ſemen autem non ſpiceum; naſcitur vbique, & non in Aconis ſolùm à quibus appellationem habet.* Et deinde; *Amat maximè locos petroſos, & neque pecus, neque vllum animal ipſo paſcitur.* Ex quibus apparet in aliquibus à ſupradicto Thelyphono differre Theophraſti Aconitum, quamuis Plinius eandem faciat Cammari ſimilitudinem, & Scorpionis, idemq. Aconitum, & Thelyphonon, & ſi Dioſcorides Aconiti radicem caudæ Scorpionis ſimilem faciat, id, quod Plinius dixit, *Radix incuruatur paulum Scorpionis modo.* Et alterius Anconiti Radicem nigram Dioſcorides fecit cirris ſquillarum ſimilem, quam Theophraſtus figura & colore ſquillæ ſimilem dixerit, quamuis aliqui putant corruptè legi ibi, καρύα, nuci, vertit Gaza, quod legi deberet καρίδι Squillæ, vt in Dioſcoride, quemadmodū ab alijs reponitur Et folium, *Cichorio*, ſimile; legunt, *Cyclamino*, quod in Dioſcoride, in planta, cui radix eſt ſimilis Squillæ, folium eſt Platani, & corruptio cum cenſeatur in dicto verbo, dubitandum ſit an Theophraſti Aconitum, ſit quod Ponticum eſt Dioſcoridi, quod alias eſt videndum. Sed quid nos lucis afferemus in tanta veterum hiſtoriæ varietate, immo vt ita dicamus, mixtione, corruptione, vel plantarum ipſarum forſan ignoratione, vt credamus potius ab alijs, tam Theophra-

Lib.4.c.de Aconito.
Lib.9.c.16

ſtum, quam Dioſcoridem excepiſſe, quàm ex ſe ipſis, & ab ipſis plantis delineationem, & vires deſumpſiſſe: nihil de Plinio dicimus, cum ipſemet fateatur omnem hiſtoriam ab alienis Auctoribus, quorum Elenchum addidit etiam, excepiſſe, & in ordinem digeſſiſſe. In Theophraſto quidem manifeſta ſunt quæ de Thelyphono ſiue Scorpione refert, quæ omnia Plinius & Dioſcorides ad Aconitum tranſtulerunt, ob quandam ſimilitudinem, quibus confirmari videtur ſuſpicio illa, vt Aconitum Theophraſti, ſit, quod Ponticum eſt Dioſcoridis, ob radicis ſimilitudinem, & corruptionem in notis foliorum. Et quæ de Aconito Theophraſti corruptè Leguntur, nihil ad Thelyphonon pertinere ſit cenſendum: ſed etiam ita dubitanter de eius viribus, & modo componendi ad officiendum diſſerit, vt inutile dicat, ſit illis, qui præparare illud ignorent: quare ex his poſtremis, ſi idem eſſet, quod Thelyphonon potius herba ſalutaris, quam noxia videreretur, cum niſi rectè quis illud componere calleat, nihil penitus nocere dicatur, & ad id inutile incompoſitum. Prodeſſe vero idem retulit ſine aliqua compoſitione, & ſcientia, Thelypho-
Lib.9.c.19 non contra Scorpionum ictus. Quod remedium Plinius magnificare cupiens, non niſi reperto intus veneno in homine profici, aliàs
Lib.27.c.2 nocere tradidit: An autem hoc verum, cogitandum, & experiendum eſt rectè. Theophraſtus verò illam tantùm conditionem appoſuit, vti candidior, ſcilicet, *Si vera ſint, quæ de Scorpionibus traduntur, iam & alia huiuſmodi non incredibilia exiſtunt &c.* quod ſcilicet torpeſcant puluere radicis, & reuiuiſcant inſperſo Elleboro albo. Notæ ſunt non paucæ plantæ recentioribus, quæ Scorpij ſiue Thelyphoni delineationi reſpondeant figura, ipſique Dioſcoridis Aconito, etiam Thelyphono appellato, & Pardalianche vulgato nomine *Doronici*, folijs potiùs cucumerinis paucis, hirſutis, & mollibus, quàm Cyclamino, vt hæc noſtra; radice Scorpionis corpori ſimili, quamuis etiam tota radice caudam quoque exprimere aliqua videatur, cum radice repat Graminis modo, & geniculata ſit. Et iam multa fuerunt controuerſiæ inter recentiores an etiam viribus reſponderent, præſertim inter Matthiolum, & Geſnerum, & alios, ac etiam de ipſa plantæ matthioli exiſtentia, quam adhuc nos & alij plures videre expectant. Sed alij Recentiores poſt Matthiolum, Demonicum illud nomen abſtulerunt, plantamque illam *Doronici* nomine non modo non noxiam homini, ſed admodum ſalutarem, & alexipharmacam homini affirmarunt, cuius rei teſtes vltra alios ſunt Lobellius, & Petrus Pena viri doctiſſimi, quique diſcere

ſcere

ſcere curioſiùs velit, eorum caput de Doronico in Aduerſarijs fol. 291. legat, & in obſeruationibus fol. 371. ac etiam doctiſſimum Carolum Cluſium fol. 19. lib. 4. rariorum ſtirpium hiſtoriæ, ac etiam alios Germanos doctos, qui congeneres plantas apud Incolas venatores Rupi Caprarum radicem appellant, atque aduerſus vertiginem non minus commendant, quam Auriculæ Vrſi flauo flore radicem, à nobis Aliſma Dioſcoridis putata, viribuſque firmandis adprimè vtilem eſſe ferunt, & nos in cap. de montana Paralytica Aliſmatis varietate, vires cordiales, vt aiunt, & alexipharmacas ex Hieronymo Trago viro doctiſsimo addidimus. Sed & Quattramium hoc loco addendum cenſuimus, qui in ſuo de Theriaca tractatu fol. 121. refert, ſi vera dixerit, ſe huiuſmodi radices *Doronicum* dictas, aromaticas eſſe, & dulces, atque in magna quantitate aliquoties eſitaſſe, vt ſitim ex itinere conceptam extingueret, nec aliquid nocumẽti attuliſſe, immò, nec vnquam canem aliquem illius eſu necare potuiſſe, etiam cum & trium vnciarum Doſem in eſcam illis præbuiſset. Sed periculum etiam faciendum erat an genitalibus impoſita fæminini ſexus, vel ſanguinem tacta radice aliquid efficeret. Poſtremò doctiſimus vir Gaſparus Bauhinus in ſuo de Bezaar libello cap. 13. etiam lapides Rupicaprarum calefaciendi ſiccandi, & cerebrum roborandi vim habere aſserit, nimirum propter Doronicum, (cui nonnulli falsò vim deleteriam tribuunt, Aconitum facientes) cuius vſus in vertigine eſt, &c. Atque etiam in dictis lapidibus, quos *Germanicum Bezaar appellat*, inuentũ refert aliquando ipſum Doronicum in illius medio, inter fibras herbarum depaſtarum, quæ etiam referuntur in horto ſuo medico à Camerario. Contrà vero legimus in Pharmacopeia Auguſtana Occonis dicta radice canem interemptum à Geſnero. Quapropter cautelam adhibere non obliuiſcantur, qui illas comedunt, & alias, vt à doctiſſimo Pena refertur: nam & alia, quæ minimè noxia cenſentur, immò vtilia vltra debitam Doſim accepta, & introſumpta nocere quotidie obſeruatur, medicamenta potius videri debent, quàm condimenta, aut olera. Sed plantam à nobis depictam aperiamus. Differt hæc ab alijs vulgatis radice primùm, quæ nigreſcente, & fuſco corticę exteriùs eſt, intus verò alba, odorata cupreſsi ligni deraſi modo, ſapore dulci, & aromatico cerebrum petente. In ſaxorum rimis, excelſium montium in Valle Campoclarenſium, longioribus fibris craſsioribus, & albicantibus, minimè nodoſis; ipſa verò radix obliqua, geniculata, & in globulos intumeſcens, oblique repens

In Phitobaſani volum. capit. de Aliſma.

Fol. 68.

Deſcriptio.

Sapor.


Doronicum nigra radice
Campoclarenſe

in ſumma tellure, vt etiam nuda reperiatur. Folijs differt etiam, quæ non Cucumeris modo, vt vulgarium mollia, & hirſutie incaua obſita, ſed Cyclamino proximiora, carnoſiora vulgaribus, & duriora (nec enim Dioſcorides piloſa, eſſe dixit, ſed ſubaſpera, verbo, ὑποτραχέα; quod apud ipſum ſemper aſperitatem, & duritiem ſignificat, vt in Elleboro nigro, & mollem hirſutiem notat per verbum; δασέα; vt alias notauimus in noſtro Phytobaſano in capite de ſemperuiuo tertio) maioribus dentibus circumſerrata; leuiora, minuſque piloſa, viridiore colore, ac nitidiore, venulis quibuſdam denſis, ac reticulatis vt cutis depicta, magiſque circa petiolum lunato ſinu coniuncta, caule pedali, & ſemipedali inuenimus ſtriato, cauo, tribus, aut quatuor alis foliorum abſque petiolo alternatim hærentium intercepto. Folia ab radice plura quatuor ex ſingulis germinibus, quæ plura edit. Florem in ſummo habet vnicum ex calyce folioſo virente, quatuor vnciarum diametro, quamplurimis barbulis radiantem luteis, Aſteri æmulum, medium continentibus vmbonem floſculis exiguis compactum vnciali diametro, qui Maio menſe emicat. Tota planta eſt maior vulgato Cucumerino rotundifolio Doronico, & pulchriore aſpectu reliquis alijs oritur in Mateſio monte locis borealibus. Quod autem radices plantarum aliquæ ſint homini ſalutares, atque quadrupedibus venenoſæ, non ſolum in hac planta referunt Antiquiores, ſed in alijs, vt Chamæleone albo, contra latas tineas, & quod ſit Theriaca aduerſus venenatas beſtias pota cum vino, occidit tamen canes, & ſues &c. ex Dioſcoride, & ſine doſi; quamuis pro expellendis, & necandis lumbricis acetabuli menſura, contrà hydropim drachmæ pondere præſcribitur ab eodem. A recentioribus, à quibus *Carlina* nomen accepit, contra peſtem prædicatur. Sic de Nerio idem Dioſcorides hominibus ſalutare contra ſerpentium morſus, Canibus tamen, & Aſinis, & ſimilibus venenum. Ita etiam de Apocyno cenſemus Nerio congenere, cuius apud Recentiores vſus frequens eſt, illud pro Aſclepiade Dioſcoridis accipientes, quod hyſtoria illi eſt adeo ſimile, atque facie, vt veram Aſclepiadem Dioſcoridis adhuc non nouiſſe, aut vidiſſe potiùs fateamur, vel eandem eſſe plantam cum Apocyno putemus ſub diuerſis nominibus quouſque veram agnoſcamus; nam & Recentiores alias lacteſcētes Apocyni plantas etiam pro Aſclepiade depinxerunt, & melino ſucco turgidam plantam pro Aſclepiade receperunt, quæ verum eſt Dioſcoridis Apocynum; cuius folia, canes, lupos, & vulpes, atque pantheras in cibo data ne-

Locus.

ta ne-

Aſlepias vulgò eſt Apocynum Dioſcor. ſucco luteo

ta necare aſſerit: & ſucco luteo turgere plantam folio hederæ molliore, & acutiore, graui odore, ſiliquis digiti longitudinem, nec aliquid ad humanum vſum pertinens refert, vt de Nerio fecit in ſequenti ſtatim capite. Aſclepiadis vero folia etiam hederacea dixit, viticulis longis; flori maleolentiam tribuit, & ſemen, vt Pelecini; addidit radices numeroſas odoratas, & contra ſerpentium ictus vtiles: nec aliquid de ſucco luteo, quod turget. At vulgaris planta Aſelepias putata numeroſis eſt radicibus ſiue fibris, & non bene olere nobis viſa olfacientibus: ſemine nigro lanuginem pro pappo habente candidam; folijs, flore, & ſiliquis nihil ab Apocyno ab ijſdem deſcripto differens, niſi quod illud lacteo ſucco, hæc vero luteo diluto turgeat, non ſecus ac viperinum venenum è gengiuis, quod & amicis oſtendi, vt ab opinione Aſclepiadis diſcederent, & cauti eſſent. Tamen ab omnibus herbarum ſtudioſis, & medicamentorum compoſitoribus recentioribus in vſu eſt, ac Alexipharmaca cenſetur, & eſſe videtur; quod nihil noſtræ opinioni refragatur; immò probant illam: quod quamuis à Dioſcoride taceatur, cum ſit ex genere Nerij flore, ſiliquis, & ſemine, quod etiam lacte turget, vt Apocina alia, idem facere nobis perſuadetur. Nec inter eandem ſpeciem plantas differre putamus, niſi magis, & minus iuxtà ſaporem, & odorem, tempus colligendi, vltra locum naturalem, in cultis quidem miteſcere, vt plurimum plantæ obſeruantur, non enim aluntur ab eorum matre, à qua naturalem, & proprium humorem accipiebant, ſed à nouerca, quæ longè alium habet humorem vt concoquere minus poſſit, nec mirum, quod ſatæ plantæ aliquando pereant, hoc nos ab halitu terræ diuerſo, præter humorem, euenire cenſemus; exemplum in mineralibus ſuccis infra terram, de quibus aliàs: ſed ad rem. Quædam venena ſunt, quæ niſi ſanguinem, vel ſanguineas partes attingant, non nocent, quædam verò intrò quomodolibet accepta in parua etiam doſi periculo non vacant, vt album Elleborum, Aconitum, Napellus, & ſimiles. Serpentium vero venenum niſi ſanguinē attingant nō nocere iam ſatis exploratum eſt, etiam introſumptum, niſi vlcere inteſtina ſint affecta, Plinius etiam teſtis eſt, de Aſpidum natura, & veneno, eiuſque remedijs loquens, ibi; *Sed & venenum earum ſi ſanguinem attingit, aut recens vulnus, ſtatim interimit, inueteratum vlcus tardius, de cætero potum quantalibet copia non nocet; non eſt tabifica vis. Itaque occiſa morſu earum animalia cibis innoxia ſunt*. Sunt præterea quæ non modo introſumpta nocent, debitam ſiquis doſim in ſumendo parum

Lib. 29. c. 4

exceſ-

exceſſerit, ſed etiam extrà poſitæ, vel ipſo tactu, vt quæ cauſtica natura polleant: exemplum in ranunculis quibuſdam, Sardonia, Ariſaro, Limeo, ſiue Phtora Valdenſium dicta, & ipſa ex genere Ranunculorum flore, ſemine, ac viribus, quam ab inſigni, & veloci efficacia ſtatim operante, Venatores Hiſpani, qui illa vtuntur, herbam *de los alabaſtrieros*, appellarunt, qua ſagittis linitis, & ſauciatis belluis tacto ſanguine paulo poſt interemptas inueniunt, quod forſitan non minus putandum ſi genitalibus immitti poſſet; teneræ illæ partes, ac ſanguineæ ſunt, vt facilè corrodi queant, & ad ſpiritales partes hepar, cor, & cerebrum maximè peruiæ, vt facilè afficiãtur etiam omnes. Nam Theophraſtus Telyphoni radicis exemplum in Bobus, Ouibus, & domeſticis quadrupedibus refert, in quibus facile immitti poteſt, non autem in feris belluis homines fugientibus. Et ſi tactis genitalibus à Cauſticis hoc efficitur, vehementius putandum eſt per os immiſſa radix: gulæ quidem partes & vuæ præſertim tenerrimæ ſunt, & lingua ſenſibilis admodum, quæ vix tacta qualitatem recipit rei, & impreſſionem: Quapropter aut radix illa, vel altera, quia cauſtica ſit, nocet, vt videmus in ſupradictis, & ab homine accepta, etiam quod intra corpus aliud venenum, vt Plinius refert, reperiat, noxam afferre putamus: potiùs quàm illum ſeruet, venenum extinguendo linguam, gulam, & inteſtina exulcerando. Aut minimè cauſticam habebit naturam nec homini noxia, ſed animalibus tantum erit ex propria, vt dicunt forma, vt Chamæleon albus, Nerium, & ſimiles, & Thelyphonon Theophraſti, quæ hominibus ſalutaria prædicantur, & animalibus noxia, & tunc nec reperto intra hominis corpus veneno, nec etiam nocebunt ſtatuta doſi: contra verò, vt ſupradiximus de Cauſticis, & ſepticis, vel alia facultate noxijs, vt ſerpentium ictus, quæ velociter afficiunt ob ſpiritum coniunctum in morſu vltrici, & ſuam imprimunt prauam naturam ſanguinem, vel ſanguineas, & ſpiritales præſertim partes attingentes, vel alias ad illas maximè peruias, vt de Phtora traditur exemplum, & de Ariſaro Plinius refert, quod contactu genitali cuiuſque fæminini ſexus animal in periciem agit, & Dioſcorides, indita radix corrumpere omnis animalis pudendum, vt etiam aliæ Ranunculorum ſpecies vim habentes vehementem, quod & nos teſtari poſſumus ex radicis bulbillo illius Ranunculi Leptophylli à nobis dicti in prima parte, cuius guſtatu vix dictu, loquelam ademit, & blaterare fecit, illum ex gula Turturis exempto à nobis interemptæ igniuomo tormento, putantes, cum

iam

iam eſſet calore rugoſus, & ferè excoctus, bulbillum eſſe *Traſi*, *Malinathalle* à nobis dictæ plantæ in noſtro Phytobaſano, & niſi foliorum eſu ſæpius iterato Sambuci, & Ebuli, in campeſtribus venabamur, vſi eſſemus, ſic vim acrimoniæ extinguentes, ignoramus an hæcſcribere fas fuiſſet: Maio menſe fuit. Ranunculi illius ferax eſt caſtellum illud, in colle prope Caſtrum frequentiſſimum. ſic efficere Sardonium Ranunculum, & aliæ ſimiles, & Ariſarum, & peius cenſendum putamus. Sed expendamus nunc Aconiti notas, quia locus eſt, & quid cum Thelyphono commune habere traditum ſit ab antiquioribus, vt iudicium ex his elici poſsit. Theophraſti igitur Aconitum folio, Legitur in græcis exemplaribus Aldinis, κιχωριῶδες, *Cichoriaceo*, & ſic ab Interpretibus M. Virgilio, Gaza, & Cornario redditum, nec ab aliquo, nec ab ipſo Cornario in dubium verſum; vt de verbo καρύα, vt infra dicetur, & Plinius legit *Ciclamino*, aut *Cucumeri*, ſicut etiam Dioſcorides: quia cum Thelyphono illum confuderunt. [Hic notandum inueniri quandam Plantam in monte Maiella folijs adeo ſimilibus Cichorio, vt interfecerit quendam qui ſimilitudine deceptus illum comediſſet, quod à multis accepimus, ſed adhuc plantam habere non potuimus.] Radice præterea, figura, & colore, ſquillæ ſimilem, quamuis græcè legatur καρύα, & Gaza verterit, *nuci*, latinè: ſed à Cornario, vt diximus, animaduertitur in ſuo emblemate in Dioſcoridis Aconito legendo, *ſquillæ*, latinè, quod græce eſt καρίδι, Plinius vertit, *Cammaro marino*, nam aliqua intercedit inter ſquillam, quæ marina eſt, cum fluuiatili, & marino Cammaro, ſiue Aſtaco ſimilitudo, quæ radix vim habet exitialem. *Fructum*, ait deinde, *eſt herbæ non humilis materiæ*, ſic Gaza, & Cornarius interpretati ſunt, græcè vero eſt, οὐχ ὑλήματος, & nos conuertimus, *Fructus eſt herbæ non fruticoſæ*, vel, *Syluoſæ*, ὕλη, *ſilua* eſt, & ὕλημα, *frutetum*, in modum ſyluæ, vt ſenſus ſit, quod fructus ſit herbæ ſimplicis, non ramoſæ, vel ab imo fruticoſæ: tanto magis, quia ſequitur, *breuis eſt herba*, nos, *humilis*, interpretamur illud βραχεῖα, *& nihil ſuperuacui habens*, Marcellus Virgilius *necquicquam egregium habens*; nos illud περιττόν, per circumlocutionem vertimus *non luxurians ramis*, vt reſpondeat verbo, ὑλήματος, compoſitum eſt enim ex περὶ & σόω, atticè περιττόν pro περισσόν, dictum, quaſi *circumabũdantiam ramorum* dixeris: iuuat quod ſequitur, *Sed ſimilis frumento, ſemen verò non ſpicæ modo diſpoſitum*. Hic notandum quod initio folijs dixerit ſimilem eſſe *Cichorio*, aut legatur *Cyclamino*, nunc autem *herbam*

eſſe

eſſe ſimilem tritico, cuius folia oblonga graminis modo anguſta, & è contrario diuerſa, cum humilem herbam ſupra dixerit, nunc, *ſimilem frumento*, ſed frumentum herba eſt non breuis, ſed longo caule, nec ſine adnatis, ſed fruticoſa, nec rotundi folia, nec minus Cichorio ſimilis, nec ſimilitudo frumenti ad ſemen ſiue fructum Aconiti referre poteſt, ſed ad verbum, *herba*, ποά, nam ſimilitudinis verbum παρόμια fœminini eſt ſexus, & καρπος, *fructus*, maſculini. Adde quod diſtinxit, *ſemen non eſſe in modum ſpicæ* quamobrem ſimilitudinem cum Tritico intelligendam, vt ſit ſimplici caule ſine ramis, recto calami frumenti modo, ſed breui, & ſemen non habeat in modum ſpicæ: & hæc circa plantæ effigiem Aconiti ſupradicti. Thelyphoni verò delineatio ſiue Scorpij, ſi vera eſſet in Aconito lectio vulgata, κιχωριῶδες, *Folio Cichoreaceo*, & καρύα, radice *Nuci ſimili*, folio differret, ac radice; ſin autem legatur alio modo, & folio Cyclamini ſimilis erit, ac radice quoque: Squillæ namque corporis effigies, & color, parum à Scorpione diſtat, tabellatum vtrumque, vt facilis ſit vtriuſque collatio figuræ, radicis prætcrea plantæ genicula vtrumque poteſt exprimere. Sed qui ſeuerius expendere vellet, magis nodoſam dicet graminis radicem, ac ſimiliorem caudę Scorpionis, vt Dioſcorides tradit eſſę Aconiti Thelyphonō dicti radicem, quę differentia non exigua eſt inter hiſtoriam Theophraſti, & Dioſcoridis, nam Theopraſtus colore & figura ſimilem radicem Squillæ, ſiue Scorpioni tradit, quorum cruſta nigreſcit. Dioſcorides vero caudæ tantum Scorpionis effigiem repræſentare, & ſplendentē vt Alabaſtrū, & quamuis colorem nō exprimat, quia Alabaſtrites lapis candicans eſt, candidā radicem, & nitidā eodem modo intellexiſſe eſt putandum, nec vnquam Scorpionem vidimus candidū, etſi cādidum reperiri aſſeratur ſed rarius: Squillam verò candicare & ſplendidiorem eſſe non eſt dubium vt plurimum, quamuis Vere nigro eſſe colore Ariſtoteles referat: ſed Dioſcorides nigram eſſe Squillam, cum dixerit in altero Pōtico Aconito, *radices nigras, vt Cirros Squillarum*. Ex his hæſitandum videtur, an propter hoc idem ſit Ponticum Aconitum Dioſcoridis, & Aconitum Theophraſti, & corruptio verbi, κιχωριῶδες, poſſit etiam pro alia plantæ ſimilitudine accipi: ſed quia tam breuem eſſe herbam tradit, vix congruere poteſt, ſicuti etiam quia toto corpori Squillæ, non Cirris tantum radicem ſimilem eſſe aſſerat Dioſcorides in ſuo Pontico Aconito. Sed nunc ad vires accedamus Aconito tributas, quamuis læthales Theophraſtus eſſe aſſerat, hoc non ſimpliciter, ſed

Lib. 8. ca. vltimo.

Vires.

 admo-

admodum perplexè, cum dicat, non niſi quodam modo compoſitam radicem aptam eſſe ad nocendum, alio autem modo potam, nihil penitus officere poſse: modumq́; componendi paucis notum; & medicos componere neſcientes pro ſeptico, ſiue putrefactorio vti. Thelyphoni verò radicis vires abſque vlla preparatione certas tradit, tam ad animalium necem, quam ad hominis præſidium contra Scorpionis ictus. Omnia tamen ex aliorum relatione, tam ille, quam Plinius, qui etiam ſeorſim de Thelyphoni viribus egit, poſtea verò omnia nomine, ac viribus confudiſse apparet, ſicuti etiam Dioſcorides, cum Aconito vidimus. Virium igitur Aconiti Theophraſti etiam ſine præparatione poteſtas eſt ſeptica, & exulceratrix, σηπτιχῷ, τεχρῆσθαι, *putrefactorio vti*, vertit Gaza, vnde Sepa Viperę ſpecies nomen habet: σήπειν, *putrefacere, corrumpere*, vertitur; nam puſtulas excitat, vt in capite de Lacerta Chalcidica retulimus; quam etiam vim eandem eſse cum illa Thelyphoni forſitan cenſendum, cum immiſsa radix in pudenda quadrupedum illas interimat: facilè quidem ſeptica vis, & exulceratrix partes illas ſenſibiles ſanguineas ac tenuiores cæteris ad ſpiritales, & principales partes maximè peruias inficere apta eſt, ſicuti videmus Ranunculorum, Ariſari, & ſimilium radices linguæ, & palato admotas ſtatim facere, quare ſi Thelyphonum ſepticum ſit, ignoramus quomodo homini minimè acceptum noceat, ſed vtile ſit contra Scorpionum ictus potum. A Dioſcoride non pro *putrefactorio*, ſiue *corrodente*, ſed pro *Anodyno* vti Medicos ad ocularia medicamenta traditur, quæ verba, ἀνώδυνοις ὀφθαλμικοῖς, verterunt Marcellus Virgilius, *medicamentis ocularibus, quæ ſomno dolores leuant*, & Cornarius, & alij, *ocularibus, dolorem eximentibus compoſitionibus*; Sed quæ dolorem mitigant, aut repercutiendo frigida, aut molliendo, & leniendo multo mitiora ſunt caliditate cauſticis, & putrefacientibus, quæ potius ſua acrimonia, & ſiccitate dolorem inferunt, id quod eſt ex aduerſo in Anodynis, quæ aliquo modo humectare, & mollire debent, quod temperato fit calore, immò antiquioribus opinio fuit, medicamenta dolorem eximentia potius refrigerare, vt Opium, Cicuta, Solani ſpecies, & ſimilia, quæ recentioribus calida ſunt, ſed non ſicca, & humectantia foris, interius verò vaporoſa, & ob id ſenſus occupantia, & dolorem eximentia, & ideo Cælius Aurelianus medicus ait talia ἀνώδυνα, *indoloria* dici latinè poſſe. Contra verò in his, quæ oculorum caliginem, non autem dolorem auferunt, quæ calidiora ſunt, vt Chelidonium, Fumaria, & ſimiles, quæ quam-

Chronion lib. 2. cap. 4

uis oculorũ claritatẽ abſtergendo,& exſiccando inducant, illam tamen non ſine dolore patientis,& collachrymatione,cũ qua etiã pars aliqua morbi eijcitur; ſecus quidem cenſendum putamus. Si minus Chelidonium à Dioſcoride appellatum quis inſcius accipiat, quod non ſolum non vtile oculis prædicatur ab eodẽ Dioſcoride id ſilentio prætereunte, ſed quia exulcerantẽ etiã illi vim tribuit, & Galenus quarto caliditatis ordine, & ſiccitatis eſſe,ac exulceratiuum refert, quæ vis cum dolore imprimitur; is potius oculos corrumpet, quam claritatem reſtituet, aut dolorem eximet, ideoque cauendum ne à nominis ſimilitudine, quam habet, quia etiam hirundinum aduentu floreat primo Vere, vt verum Chelidonium, quis obcæcatus aliquibus vtendum proponat: ex genere quidem non Chelidonij, ſed Ranunculi eſt, flore, ſemine, ac radice, quamuis folio vario, maior enim numerus congenerum, carnoſas, tuberoſasq; habet appendices radicum loco fibrarum,ſicuti & Phtora: Differunt inter ſe minore, maioreue bulbillorum craſſitie, & longitudine. Notandum etiam à Dioſcoride non eſſe præſcriptam doſim mixtionis Aconiti radicis cum alijs ingredientibus forſan corrigentibus, vt quis ſine periculo vti poſſet, ſi ita cauſtica eſſet Aconiti radix. Septica denique hæc vis in vulgato Doronico, ſiue Thelyphono putato hucuſque ignota eſt, nam à multis comeſa radix, non modo non fauces corrumpere, ſed nec exaſperare refertur, ſecus verò guſtata Ranunculi radice, & ſimilibus cauſticis, quare non poſſumus non mirari Theophraſtum dicentem Aconitum, quod ſeptica vi pollere ait, non officere homini, niſi quis compoſitionis modum ſciens ſic compoſitum exhibeat, cum ſimilia ſeptica abſque compoſitione vim ſuam ſtatim oſtendant,parum demanſa, vel impoſita carni, genitalibus præſertim, nocentq; introſumpta, vt de Sardonia, & Toxico Dioſcorides refert. Quare Thelyphonum non à qualitate, vt ſupradiximus, ſed à pròpria forma noxium erit quadrupedibus, vt Chamæleo, Nerium, & ſimiles; quæ non ſeptica homini ſalutaria, & animalibus noxia ſunt, vt de Thelyphono eſt cenſendum: ſed hæc medicis melius expendenda, immò curioſioribus φυτοφυσιόφιλοις experienda reliquemus.Et nos aliquando montes vbi ſpontaneum,adire in animo eſt,huius rei experiendi cauſa; vt veritatem ipſa experientia eruere poſſimus. Non prætereundum poſtremo putauimus hoc loco referre, quod cum à Theophraſto referatur, Aconitum herbam eſſe breuem, non ramoſam, ſed ſimilem frumento, non ob id ſemen habere inſpicam compoſitum

poſitum : & ab eodem Matthiolo de ſuo Pardalianche Dioſcorideo dicatur, quamuis non viderit florem, in opinione eſſe vt ſimilem ſequentibus proferat ab illo deſcriptis Chryſanthemo æmulum: Recentiores aliquot, qui, vt Matthiolum à calumnijs, vt dicunt, Geſneri, & aliorum liberare ſe velle oſtendant, nouam, florum ſeriem in ſpicam conflatorum proferentem, plantam illam Matthioli teſtentur, ab ipſis repertam in monte Certoſæ, *les Eſchelles*, appellato, & radice, & folijs in omnibus ſimilem figuræ Matthioli, eandemque affirment, ab alijs affabre delineatam radice putata: nec illos tales animaduertiſſe Theophraſti hiſtoriam ſupra memoratam cenſemus: & conceſſo quod vera ſit talis noua icon ſpicata, & eius hiſtoria, in generali Lugdunenſi hiſt. plantarum deſcripta, nihil cum Aconito habere commune, immò hac de cauſa quia ſpicata ſit, Aconitum eſſe non poſſe, Theophraſti auctoritate, quamuis à Dioſcoride taceatur floris, & fructus effigies, nam alias notiſſima fuiſſet, & tot controuerſiæ ſiluiſſent. Plantam iſtam multis ab hinc annis videre cupientes, non paucis perquirendam ex eodem loco commiſimus, vt vel ſiccam habere contenderent, nec adhuc in aliorum manus perueniſſe ſcimus, non aliter, quam euenit vnicæ illi mutilæ plantæ à Matthiolo pro Theſauro repoſitæ, cuius alteram nec idem, vel amicis, vel inimicis oſtendere poſſet, & in tanta controuerſia, nunquam habere alius potuit. Quapropter adhuc non minus fictam hanc ſecundam, quàm primam Matthioli, donec in aliorum, vel noſtras manus peruenerit, iſtam ſpicoſam plantam eſſe opinamur: Rogatum ex his volumus quemcumq. hæc viderit, & plantam illam ſiccam aut ſemina habuerit, vt ſua humanitate nobis communicet, vt veriora diſcere poſſimus, nec ingratos fore pollicemur in ſimilibus. Plantam hanc radicis odore non ingrato, aromatico, cerebrum petente flore, & ſemine Aſteribus ſimilibus, ex ipſa ſpecie ſupradictis non abſimilis, vix deleteriam habere poſſe facultatem cenſemus, accedente Recentiorum experimento, potiùs Bacchareas continere virtutes, quam toxicas: non ita de herba Phtora, ſiue *de los balleſteros* à Recentioribus etiam pro Pardalianche propoſita, cuius radix, ſi vt ab aliquibus aſſeritur, & depingitur, nodoſis appendicibus ſit graminis inſtar, ſic ſe propagans, caudam Scorpionis nodoſam imitando, facilius in eorum ſententias abiremus, cum cauſtica ſit, & tacto ſanguine officere ſit manifeſtum, vt experientia comprobatur, quod de genitalibus non eſt dubitandum, tam hominum, quam animalium. Non ita de Doronico

nico dicto aſſerere poſſumus, cum non tantùm ipſa radix ab hominibus comeſa non noceat, ſed vtilis ſit contra vertiginem, & alexipharmaca cenſeatur: & etiam à Rupicapris depaſta, quas non interficit, ſed alit, & lapilli in eorum ventriculo congeſti ob Doronici eſum, cuius radices, vt diximus, etiam integræ ferè inueniuntur intra lapillos, vt dignoſcantur ſimili prædicentur facultate præditi. Quare ſi introſumpta radix à feris illis, non nocet, nec appoſitam nocere poſse cenſendum, & ideo Doronicum dictum, nec Theophraſti Aconitum, nec Dioſcoridis erit. Nos autem in tanta controuerſia periculum facere voluimus, vt vera aſserere poſsemus, & aliquid certi referre: dedimusq; Cani Doronici radicis ſcrupulos quatuor in puluerem redactæ cum carne, & pane mixtæ, quæ auide comedit, & per horas decem non modo nullum ſyptoma illum affecit, ſed hilariter manſit; deinde incepit malè ſe habere, atque vomitum affectare, quod fruſtrà egit, cum nihil potuerit, & paulatim peſſimè ſe habens, latrando ſæpius, conuulſus deinde perierit in duodecima hora ab illius ſumptione. è Sicilia ſiccas radices robuſtas habuimus nobis miſsas à D.Carolo Vintimillia viro clariſſimo, & doctiſſimo, naturalium rerum ſtudioſiſsimo, non minus quam aliarum. Plantam hanc è Campoclarenſi Matheſio adductam, & à nobis in fictili ſatam degeneraſse obſeruauimus folijs, & in vulgarem ferè immutatam, omiſsis denticulis ita prominentibus, coloreq; ſaturiore: & minus lunata folia, illaq; hirſutiora protuliſse; an autem & florem ſit etiam immutatura, etiam ſuo tempore obſeruabimus: ſicuti & genitalibus immiſsa, vt Theophraſtus refert, an noceat: nunc autem minimè fieri potuit deficiente nobis radice.

Caryo-


Caryophyllus Meſsicanus flore fiſtuloſo ſimplex
Alter polyanthos

Caryophyllus Mexicanus fiſtuloſo flore ſimplex, Varietas Caryophyllorum vulgo, de Spagna, *dictorum. Cap. XX.*

INter alia pulcra ſemina, quæ nobis dono dedit doctiſsimus ac indefeſsæ obſeruationis vir Anatomicus præſtantiſsimus Theophilus Molitor Lynceus, è ſtudioſa peregrinatione Romam redux, & huius floris ſex varietates; quarum prima fuit flos maximus polyanthos latis petalis, & croceo ſaturo colore. Altera minor & luteo colore, quæ etiam in pallidum dilutiorem deficiebat. Tertia ſimplici flore, vmbonem habēte floſculis exiguis Chriſanthemi modo, & barbulis, ſiue petalis magnis, octonis vt plurimum, vel nouenis aliquando, & Croceis. Quarta ſimilis ſed pallente colore. Quinta, quę nunc proponitur; Sexta, quæ ſecundo loco deſcribetur. Prima florem habet triunciali diametro. Altera minorem. Tertia ſeſquidigitalis latitudine. Quarta maiorem. Quinta minorē, aut parem. Sexta duas vncias ęquat. Pręter has vulgatiſſima eſt ſeptima, omnium minima ſaturatiore Croceo quinis petalis, ſericea veluti hirſutie obſitis, Roſæ purpureæ modo. Eſt etiam Neapoli frequēs altera Polyanthos huiuſmodi flore, vt ſit octaua numero. Nona vero adhuc nobis inuiſa, folijs λεπτοχισόλοβοις, & rarior, depictam vidimus in Mexicanarum plantarum volumine, vt infra dicemus. Omnium radix tenuibus fibris mollibus, copioſis à ſummo ceſpite diuiditur, ſummæ telluri hærens: caulis aſsurgit tripedalis, vel amplior alimenti ratione: Folia læte virent pinnata Valerianæ noſtrati vulgari, ſiue Phu, à me deſcripti in Phytobaſano ſimiliora, quam Tanaceto; pediculo ſemipedali, & etiam pedali, lobis ſeptenis vtrimque, & vnico in ſummo, oblongis anguſtioribus Phu, magiſque ſerratis: cauli hærent ſtriato geniculato vtrimq. ex oppoſito, ſed adultæ plantæ relicto ordine bino alternantur ſingula: & ex illorum ſinibus, ſicuti etiam & ex alijs imis, alæ producuntur magnæ, quibus ampla fit coma, in ſummo caulis, & alarum capita prominent primo compreſſa, virentia & ſtriata, & inclinata, deinde cum perficiuntur oblonga ſatis fiunt, erecta, & craſſa, florem explicantia, qui huius plantæ tubuloſis barbulis octonis vt plurimum exornatur, aliquando pluribus, circa extrema ora latioribus, in bina labia hiantibus: vmbonem habet medium craſſum, ſtellatis floſculis refertum, vt in tertia ſpecie. His marceſcentibus ſubſiſtentia, & congenita illis ſemina perficiuntur, quæ nigra, leuia, ſemiunciam oblonga, & magis, & ni-

& nitida ſunt, & aliquando ob frequentiam calycem oblongum, in quo continentur etiam virentem diſrumpentia. Auguſto menſe, & Septembri perficitur, quamuis etiam deinde floreat nouis alis. Tota planta graui, ac acri odore medicato nares ferit, vt vim ſuam præ oculis offerat: ſapore Parthenio, & dulciore; Parthenium intelligimus plantam, quæ latis eſt folijs Coriandrinis, ſatiuo Abſynthio accedentibus, Romæ *Amarella* dictam, Neapoli *Matricaria*, & *Arcimeſe*, non enim Parthenium eſt, quæ cotula dicitur folijs Chamæmeli, vt quidam ſomniant.

Caryophyllus Mexicanus alter Polyanthos fiſtuloſo flore. Cap. XXI.

A Superiore, atque congeneribus non alio dignoſcitur diſcrimine adulta etiam planta, niſi expanſo Flore; folijs, ac reliquis omnino ſimilibus. Flos enim ſuperiore maior eſt, & ſpecioſior, vmbone carens, totuſque floſculis fiſtuloſis eſt in orbem concinnatus, vt orbicularem ferè fauum videre dicas. Non enim ora floſculorum in labia dehiſcunt, ſed paulatim tantum latiora fiunt, nec rotundo hiatu, ſed oblongo, vario, compreſſo, ſinuoſo, & pluribus ſinibus contorta, varijſque figuris conſpiciuntur iuxtà frequentiam, & eorum arctiorem compactionem, oculis ſpectantium admodum gratam; colore ſuperiore ſaturiore; eodem tempore perficitur. Harum congeneres recentiores quidam Tanacetum faciunt, omittimus ineptam illam Othonnæ denominationem, & folijs ſimilibus deſcribunt, nobis longè aliena folia, & flores etiam videntur, quamuis vires aliquo modo affines videri poſsint: potius plantam ſui generis facimus, quæ tot elegantiſsimis varietatibus diſtinguitur, mediamq. inter Chryſanthemum Parthenium, & Anthemides, quibus magis viribus accedere videtur, effigie verò potius ad Chryſanthemum. His omnibus Mexicani tertio ordine calidas, vires, atque ſiccantes tribuunt, & diſcuſſorias, Anthemidibus affines, de quibus priuatim propediem certior eris ex Maximo volumine forma folij, quod ſub prælo eſt Mexicarum plantarum, ſiue rerum medicarum nouæ Hiſpaniæ, multis ab hinc annis iuſsu bonæ mem. felicis recordationis Philippi ſecũdi Regis Hiſpaniarũ à doctiſsimo viro Nardo Antonio Reccho eiuſdem Regis medico elaborato, quod nũc ſtudio, impenſa & liberalitate Illuſtriſsimi & excell.[mi] Principis Lynceorum lucem videbit, in quo inter mille ferè icones Mexicarum rerum,

Vires.

rum, huius ſeptem varietates deſcribuntur, adiectis viribus, ſicuti in omnibus, Incolarum vſu & experimento notis. Caryophylli nomen tanquam vulgatiſſimum, & notiſſimum omnibus regionibus, adiecto cognomine, *de Spagna*, vel, *de India*, relinquimus libenter, non adhuc priuato, & peculiari nomine inuento; quamuis nulla ratione ſic fuerit appellatum. Mexicani à flore multiplici, & ſemine veluti papposo *Cempoalxochitl* appellant, & *Macuilxochitl*, & ſimilibus nominibus, & *Xochitl*, quod eſt *Flos* dicunt aliquibus mutatis iuxta floris varietatem, vt latius in Mexicana plantarum hiſtoria, vt diximus, videre quamprimùm licebit.

Anonyma F. Greg. radice Dentariæ. Cap. XXII.

IGnotam ſibi plantam aſſeruit F. Gregorius in finibus Bauariæ, & Tiroli poſt Schefelt, in quibuſdam altiſſimis montibus, in quorum medio Vallis extat, à Germanis incolis Hebeiel, dicta, in qua hoſpes fuit quorundam ibi manentium Bubulcorum menſe Iulio 1608. inter alias rariores repertam, inde per Vallem deſcendens Schefelt verſus, torrens quidem reperitur è montibus illis ortum ducens, in cuius margine inter ſaxa, & aquoſo, vmbroſo loco, in quo vix ſolem aliquando quis videre poteſt, vbi planta hæc natali gaudet. Fruticoſa eſt, vt fumaria, tenera etiam vt illa, ramos rotundos habens, in quorum geniculis bina abſque petiolo hærent folia, & ex alarum cauis alij ramuli, in quorum ſummo flores habet luteos paruos in ſpicæ modum, vel ſylueſtris Milij Tabernæ montani, folia Alſineshederaceæ modo ferè, binis dentibus ſerrata craſſis. Radicem ſimilem Dentariæ maioris primæ à Matthiolo deſcriptæ: ſemen ſiue fructum rotundum Fumariæ ſimilem, ſed longè minus Milio compreſſo ſimilem in ſicca reperimus planta. Guſtu inſipido tota planta. Hæc ille in ſua Epiſtola, quam eo tempore cum planta miſit. Ex ſicca planta binos etiam vt flores habere fructus ex foliorum alis prodeuntes, ex breuiſſimo, & exili petiolo comperimus, & flore geniculatos eſſe.

Mo. Bot. Garden,
1893



Iozzia alpina spe. hort



Euphorbia epithymoides Spec. plant.

Tithymalus Epithymi fructu. An Alypum Dioſcoridis, & de Epithymo. Cap. XXIII.

SAxorum rimas,montium,& vallium incolit planta hæc, perenni fruticans radice, pluribus tenuibus ramulis,pedalibus, in imo lignoſis, rubentibus amplam comam efformans: Folia alternatim exigua lino æmula, in imo minora hærent, & circa ſummum ſemper maiora, latioraque, vt propè capitula ſint ferè rotunda Helioſcopij modo, ſed minora. Comam profert ex baſi quinque foliata Tithymalorum ritu, & flores non ex peluiculis cauis, ſed ex binis oppoſitis foliolis diſtinctis breui petiolo producuntur, quinis ruffeſcentibus foliolis compoſiti, ex quibus longo petiolo fructus eriguntur, criniti, orbiculati, ciceris vegetioris magnitudine,aut magis;craſſa,& longa hirſutie obducti,pilulis Cynorrhodi,aut potius pares pilulis Cuſcutę,& vulgaris Epythimi:quibus hiantibus ob ſiccitatem terna ſemina inueniuntur cellulis diſtincta, vt in congeneribus. Ramuli è medio ad ſummum vireſcunt, teneriore ſq; ſunt, & folia mollia ex cinereo virentia. Tota planta acri lacte turget, Maio menſe floret,& Æſtate perficitur. Huius criniti fructus effigies, atque magnitudo, ſatis Epythimi vulgaris orbiculatos fructus,& flores referens in ſuſpicionem nos adduxit,an Alypum eſſet Dioſcoridis, qui plantam eſſe Alypum dixit ſurculoſam tenuibus ramulis,acri refertam ſucco, ſemine Epythimi, quo ſumpto interanea exulcerentur. Et Actuarius ex recentioribus Græcis Alypum,& Pityuſam in Turpetum album, & nigrum diſtinxerit, plantaſque haſce genere coniunxiſſe videatur, vt Alypum ex Tithymalorum familia ſit putandum. Quare ſi Epithymum vulgare Dioſcoridis ſit Epithymum, facile Alypum eſſet propoſita planta, ex ſupradictis; Nunc videndum quid ſit Epithymum. Et vt ex etymo noſtro more initium ſumamus,facile quidem compoſitum eſſe nomen quiſque iudicabit ex ἐπὶ, & θύμον, vocibus; ἐπὶ, in compoſitione additionem plerumque ſignificare videtur, quapropter non alia de cauſa Epithymon appellata planta hæc cenſeri poteſt, niſi quia ſuperaddita, vel innaſcens ſuper Thymum ſit. Quod quamuis aliqui minimè concedant, & ſui generis plantam eſſe exiſtiment,facile eorum opinionem ex ſequentibus corruere putamus, nec aſſentire poſſumus donec in hominum manus vulgaris inueniatur planta, quæ caudata capitula florida ipſius plantæ, & non ſuper

Tempus.

per adnaſcentia habere conſpiciatur. Dioſcoridis igitur textum interpretantur hoc modo: *Epithymum eſt flos Thymi durioris, & Thymbræ ſimilis: habet verò capitula parua, leuia, habentia caudicellas quemadmodum capillos.* Græce legitur, Ἐπίθυμον, (θύμου δέ ἐστιν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου, καὶ θυμβρειοειδοῦς) ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ, κοῦφα, οὐραγοὺς ἔχοντα ὡς τρίχας. Quorum ſenſus erit, vt Epithymon flos dictus illius Thymi, (ſuperadnatus, intellige) qui ſimilis Thymbrę, quia, ſtrigoſior vulgato, habeat parua capitula non ponderoſa, illud κοῦφα, quæ ſcilicet capitula habeant tenues caudas inſtar capillorum: ita enim vnumquodque capitulum vulgaris Epithymi profert vtrimque viticulas: non enim flores habent caudicellas, ſed ipſa capitula florida: nec enim Epithymum habet florem, qui habeat capitula caudata, ſed idem Epithymum eſt flos, qui eſt ſupra Thymum, intellige, ſuperadnatus: non flos ipſius Thymi: Iccirco flos Epithymum dictus, habet capitula habentia caudicellas, prima vox, ἔχει, refertur nominatiuo *Epithymon*, & ἔχοντα, *capitulis*, κεφάλια. Et verba illa; *eſt flos Thymi durioris, & Thymbræ ſimilis*: ſunt declaratoria, *Epithymon*, vocis, quaſi per parentheſin diſtinctè appoſita; quare ſi leges; ἐπίθυμον, & ἔχει, verbum ſtatim relictis intermedijs declaratorijs addes, ſenſum habebis, duaſque notas excipies, primam, vt Epithymon dicatur flos illius Thymi ſtrigoſioris, qui eſt ſimilis Thymbrę; alteram, vt Epithymon habeat capitula parua, leuia, paruas caudas, vt capillos habentia. Diximus Epithymon eſſe florem adnatum, & ſuperadditum Thymo ratione etymi, & compoſiti nominis: probatur id eſse præter Dioſcoridis hiſtoriam, ex Meſuei textu, qui ait, Epithymon eſse ex herbis ſuper creſcentibus alijs herbis, & eſse ſimile Cuſcutæ, & quod plantæ, ſuper quibus creſcit, ſunt Alkil, & Alhaſce, & quædam Origani ſpecies. Et Aetius ex Græcis habet; ſimiliter velut Epithymum purgat flos in Stoebe naſcens, & qui in Thymbra naſcitur, atque Epiſtoebin, & Epithymon appellatur, & nos addimus Epiacten, nam in Ebulo copioſam naſci Campoclari obſeruauimus; quam, cum purganti plantæ innaſcatur, ſimili facultate præditam eſse cenſemus: maior vero eſt, & craſſior omni ſui parte officinarum extero Epithymo, quia forſan humidiori plantæ obuoluatur, & etiam loco, oriatur. Intrudendam etiam hoc loco eſse Plinij verſionem duximus, qui, *Epithymon flos è Thymo*, dixit, non, *flos Thymi*, quaſi è Thymo ablatus, quia ſuperadnatus, non genitus, & plantæ proprius, ideo ablatiuo, non genitiuo vſus. Et inferius

Lib.3.c.19

Lib.26.c.8

ſerius idem refert, *Epithymon ſine radice naſci tenuis ſimilitudine pallioli*, alij legunt, *pili, rubens*. Et ex planta ipſa cognoſcitur, quæ quamuis ex radice ſua proueniat, cum tamen alteri adhæſerit plantæ ſine radice viuit, & creſcit ſuo nexu ſe aduoluens. Item Capitula Epithymi herbacea ſunt florentia, Thymi verò purpuraſcentes flores. Poſset etiam addi alia interpretatio, vt verbum illud, ἄνθος, non ſolum pro ipſo flore, ſed pro qualibet ſuperexcreſcente re accipiatur, & ſicut quælibet efflorescentia maris, ſalis, putridæ rei dicitur etiam, ἄνθος, quia ſuperna ſcitur floris modo, ita Epithymum dictum ἄνθος, *flos*, quia ſuperefflореſcat, & non ex ipſa proueniat eadem planta, cui ſupercreſcit; & ſi liceret vti auctoritate nomenclaturarum, quæ Dioſcoridi notatæ leguntur, dictum eſt Epithymum à Romanis *inuolucrum*, quia inuoluatur. Quapropter ſatis oſtenſum videtur Epithyon vulgare, ſi ex Thymo illo Satureiæ ſimili ſit ablatum, verum eſse Dioſcoridis Epithymon ex accurata interpretatione. Quam ſententiam, & græcam noſtram interpretationem amicitiæ ergo amico communicauimus, annis præteritis, vt quid præ alijs obſeruaſse videretur. Reſpondendum tandem duximus, quod quamuis, Alypi ſemina Epithymo ſimilia fecerit Dioſcorides, verbo σπέρμα, & huius plantæ à nobis propoſitæ pro Alypo, capitula non Epithymi ſemini, ſed capitulis, ſiue globulis Epithymi ſint ſimilia, non ideo prorſus reijciendam eſse plantam; nam Epithymi ſemen in capitulis ineſt eodem modo: & Dioſcorides, vt alias diximus, vocem καρπὸν, & σπέρμα confundere ſolet, improprie partem pro toto accipiendo; vt in *Agrimonia* ſiue, *Eupatorio*, cuius fructus veſtibus hærens hirſutus, σπέρμα, ſemen, appellauit; ſicuti Capitula, & Corymbos Heracleotici Origani, & Onitidis: cuius ſemina exigua copioſa in illis continentur. σπέρμα, *ſemen*, pro voce, καρπὸν, *fructum*, vtroque loco vſurpans, & tamen his locis adductis non ſemina, ſed fructus, capitula ſcilicet, & corymbi in ſimilitudinem referuntur. Addere non omittemus, verba illa in Alypo, ἄνθει μαλακοῦ, καὶ κούφῳ μεστή, *Flore molli, & leui plena*; potius fructus noſtræ plantæ hirſutiem putaſſe florem, quàm alium florem deſcripſiſſe: molles quidem, & ſine pondere fere omnes flores ſunt, huius generis præſertim, ob exiguitatem, quare abſurda fuiſſet hæc obſeruatio notata in floris qualitate, niſi primo aſpectu flores graues, & aſperi viderentur, & exiſtimarentur, ſicuti in noſtræ plantæ verrucoſo, & hirſuto frutu virente cenſeri poteſt, ob craſſitiem orbiculatam, in craſſam hirſu-

tiem

tiem efflorescentem deſinentem. Atque ita accepta interpretatione, valdè referri poſſet hæc obſeruatio Epithymi capitulis, quæ etiam cum ſint eodem modo craſſa,& orbiculata, & primo aſpectu grauia cenſenda, ob leuitatem tamen Dioſcorides notauit eſſe, κεφάλια λεπτὰ κοῦφα, *capitula parua non ponderoſa*, & verbum illud, κοῦφα non eſset proprium, niſi quiſque grauia putaſset reſpectu quantitatis, ſuperficiei,& Diametri. Plinius molli capite dixit Alypium eſse, Lib.27.c.4 quia ſorſan fructus erant ob hirſutiem molles,& Dioſcorides Tithymalorum comas capitatas eſse retulit in Paralio, & Helioſcopio. His igitur non parum in hiſtoriæ collatione cum effigie, tum etiam viribus præferri poterit noſtra planta cæteris recentiorum, quæ neque effigie, neque capitulis, neque lactis copia acris, vel alijs ita reſpondere videntur. Hæc nunc de Alypo, & Epithymo referre potuimus meliorem non habentes reſpondentem plantam, quam in maritimis ſi legiſsemus, aut naſci ſciremus etiam, quod fieri poteſt, magis reſpondentem aſſereremus.



Tithy-

Tithymalus Lunato flore. Cap. XXIV.

COpioſæ Tithymalorum familiæ ab alijs deſcriptæ, & hanc rariorem addendam in ſtudioſorum gratiam cenſuimus, quam in Valle ſupra D. Mariæ Sanitatis Neapoli reperimus copioſam Martio menſe vbi oritur. loca diligit parum vmbroſa; edita, atque humentia. Huius radix exigua reſpectu planctæ, foris nigra, plures edit caules, aut propagines ab imo rubentes, & leues, à medio caule, qui pedalis aſſurgit, in quo plura folia ſimul hærentia in rotæ ferè ſpeciem, ad ſummum vſque vireſcit, & hirſutie obducitur, circa imum denudatus folijs, Characiæ ritu: à medio ad ſummum foliola breuia rotundiora hærent alternatim, diſpoſita, exquibus ſūmis alæ aliquot, caua folia rotunda in cacumine gerentes, ex quibus bina alia petiolis iunceis inſidentia exeunt caua, peluicularum modo, vt etiam Dioſcorides ait de Characia, in quibus flores ex herbaceo lutei quaternis foliolis conſtructi; Lunæ effigiem exprimentibus nuper creſcentis, cornicula in exteriorem partem conuerſa, dorſoque ad inuicem decuſſatim hærentia, ſtaminibus intus quatuor luteis, ex quorum vmbilico breui adnectitur petiolo deorſum nutans fructus trigonus, vt congenerum, apicibus aliquot, villoſus in ſummo. Folia mollia, hirſuta, cinerea ex viridi, latitudine ferè vnciali, & longitudine quadruplò maiora, reliqua vero minora eadem proportione. Comæ baſis quinquefoliata eſt, vt Congenerum, quinque etiam petiolis cacumen diuiſum, in quo flores, & fructus comam effigiant, vt in alijs. Copioſo turget lacte acri tota planta, quam Herbarius quidam amicus Chymiſtis pro efficaciori Lunaria ab ijſdem ſic dicta, & expetita Romæ ſæpius vendebat. In Aſprenſibus Sabinorum Vallibus etiam florentem Martio menſe eruiſſe meminimus.

Leuco-



H

Euphorbia sylvatica, L

Spec. plant.

Sm. fl. 4.68

= E. amygdaloides, in vulg.

Leucoium Peltatum Romanum minus. *Cap. XXV.*

COpioſè circa Vrbem vndique in incultis fruticat planta hæc, ab radice tenui, longa, lignoſa, parum acri ſapore, foris pallida, intus candida, perenni, paucis lateralibus fibris exiguis diuiſa, cuius folia in terram primùm iacent triuncialia, aut quatuor vncias longa, per ambitum leniter ſinuoſa, ſemiunciam lata, candicantia ex viridi cinereo, aſperiuſcula tactu, hirſuta, & inferna parte magis aſpera, cum ferè bullata ſint, vt in Anchuſæ cuiuſdam folijs ſuperna parte, atque in plures propagines diuiſa ex vna radice. Caulibus fruticat tenuibus, ſupinis ferè, in multas deinde alas diuiſis, in quibus tenuiora, anguſtioraq́; folia hærent alternatim aſperiruſcula etiam, ſicut & caulis, & alæ. Flores æſtate incipit in ſummis caulibus deinde per alas emittere coaceruatos velut in vmbellas, virentibus calycibus incluſos, quorum primi externi hiant longo petiolo prominentes, in quatuor foliola cordis effigiem referentia decuſſatim oppoſita, multa intus ſtaminula lutea includentia, quibus fructus ſuccedunt oblongi, anguſti in acutum deſinentes, deinde latitudinem aſſequentes, oualemq́; figuram clypei accipientes foris hirſuti, aſperi, ſemina intus compreſsa etiam octona, quaterna ſingulis valuulis diaphragmate diſtinctis, quę dehiſcente ob ſiccitatem folliculo pellucida remanent, decidentibus vtrimq́; valuulis: ſemina ruffa ſunt, rotunda, compreſsa, tenuia, quæ Octobri menſe, & etiam Nouembri inueniuntur, iterumq́; regerminante planta: locis vero tenuioribus incana magis folia reperiuntur, molliora q́; minusq́; ſinuata circa radicem. folia radice minus acria, ſiccante ſapore. Huic Congener à Doct. Dodonæo pro Alyſſo fuit depicta, longe à Dioſcoridis Alyſso aliena noſtra ſententia, quam nos lunatum, ſiue clypeatum Leucoium denominauimus, Leucoio facie, ac viribus magis affinis. Differt hæc ab illa natalibus calidioribus, minoribus folijs, mollioribusq́; & flore maiore, candido, in cordis figuram petalis diſsectis, peltisq́; duplo minoribus. Ab imo flores, & fructus Vere incipit proferre.

Leucoium Montanum flore pedato. Cap. XXVI.

MEdium proculdubio genus inter Leucoium, & Thlaſpi conſtituere videtur planta hæc, ſicut & congeneres, recentiorum ſententia: magis vero ad Leucoiorum ſpecies accedens noſtra ſententia, quamuis fructu longè ab illis diſtare videatur, non autem ſemine. Huic folia ſunt Napi modo circa caulem, ac etiam ab radice prodeuntia, quæ hirſuta, profundè inciſa, candicantia ex viridi, parum carnoſa, mollia, guſtu acriuſcula, linguam manſa diu vellicantia: flores in ſummo caulis hirſuti, craſsi, albicantis, & cohærentium alarum denſos profert, quorum externi primum dehiſcunt Leucoij ritu, colore luteo, minus ſaturo, quatuor foliolis conſtructi, apice inter breuia ſtaminula in medio prominente; vtriculos habentes hirſutos, vt in Leucoio, ſed his accedit quod binas appendices rotundas inanes demittunt inferna parte, qua petiolo hærent. His ſuccedunt exigui clypeoli effigie fructus in apicem deſinentes lenticulæ magnitudine. radix carnoſa, longa pedem, candicans, lignoſa, ex dulci parum acris, minimi digiti craſſitudine. Maio floridam habuimus ex oppido vulgo *Filettino* dicto in montibus ortam Romanæ ditionis, cuius flores, & fructus acres eſse percepimus guſtu, ſemen exiguum intra folliculos adhuc immaturum obſeruare nequiuimus, nec deinde in manus altera peruenit, vt exactiorem obſeruationem tradere poſsemus, & veriori familiæ adſcribere.


Leucoium minus peltatum Romanum



Biscutella auriculata, L.
H. Elt. 329
Spr. hist.

Leucoium luteum Aizooides montanum. Cap. XXVII.

ACris foliorum ſapor, & ingratus, florum, & ſiliquarum effigies, atque ſeminis huius plantulæ rarioris Leucoium potius quam Semperuiuum Aizoon dictum referre putamus. foliorum adeo denſa eſt congeries, vt Semperuiuum vulgare à caudice repreſentet, illaq; lateribus hirſuta, pilis rigidis, vt Aloes folia quadan tenus imitari videatur, veluti denticulata, è radice tenui ſeſquipollicem longa prodeuntia, anguſta, & vix ſemipollicem ſuperantia: caulem ex ſingulis foliorum globulis è centro emittit, tripollicatem ad ſummum, tenuem, nudum, ſed in cacumine multis fructuum, & florum petiolis diuiſum, flores luteos, quaternis foliolis ex baſi foliata prodeuntes, longis petiolis ſuffultos, quibus ſiliquæ ſuccedunt oblongæ, parum compreſsæ, hirſutæ, & in apicem deſinentes, ſeminula intus multa habentes flauicantia, compreſſa:

Tempus. Aprili menſe floret, & Maio perficitur. Oritur in altiſſimis mon-
Locus. tium iugis Villæ lacus, & Cuculli Apenninis montibus vltra lacum Fucinum. Hanc doctiſſimus Carolus Cluſius videtur ſub nomine Aizoi xii. deſcripſiſſe ob quandam foliorum cum Aizoo ſimilitudinem, quorum effigiem in conferendis generibus parui facimus, tam in hac, quam in alijs plantis, non enim ex folijs, ſed ex flore, ſeminisq; conceptaculo, & ipſo potius ſemine, plantarum affinitatem dijudicamus, reſpondente præſertim ſapore in reliqua plantæ parte, quamuis etiam & congeneres plantæ reperiantur, nec vllo modo in dubium reuocari poteſt, quin eiuſdem ſint generis, ſapore tamen differre clarum eſt, vt Cucurbitæ, quæ dulces, & amaræ inueniuntur vltra Colocynthidem; relinquimus pomorum ſapores non ſolum ante maturitatem, ſed etiam poſt perfectionem, ſed non foliorum Hydropiperis maculoſi cuius mitis eſt ſapor, alterius verò ſine maculis acris admodum, vt nomen inde acceperit: & Marrubij albi amaritudinem, & odorem, congeneres verò ſine ſapore, & inodoræ, vt quæ Hiſpanicum Marrubium dicitur incanum, Campoclarenſibus frequentiſſimum in colle prope Caſtrum, & ſimiles: in reliquis magis, & minus differentibus ſapore vix dubitandum, vt de Rapaceis. Sed quia locus eſt, alias recitabimus plantas ſuis generibus reponendas, ab alijs minimè animaduerſas, cum folijs longè differant, ac alijs partibus, flore verò & fructu ſpeciem retineant, vt quæ ab alijs Saginæ ſpergula, alijs Polygonon fœmina putatur, folijs ſenis ſingulis geniculis, capillaribus

bus carnoſis, Alſinæ familiæ eſt reponenda, flore, fructu, & ſemine, & viribus, ſicuti quæ Cymbalaria, & Elatinen à Matthiolo dicitur, Linarias hæderæ folijs dicimus, flore, fructu, & ſemine nihil à Linaria vera differentes. Et quæ dicitur à Lobellio Helxine Ciſſampelos Atriplicis effigie, Polygonum etiam Hederaceum appellamus, flore, & fructu inter folia ſingulis geniculis trigono, ſicuti etiam quod Saracenicum frumentum ab Herbarijs dicitur, Atriplicis nomine multæ plantę depinguntur, ſed quę fructũ non habent foliaceum, vt Halimus frutex maritimus, qui Atriplex eſt etiam noſtra ſententia, omnes ad Bliti genus referendæ ſunt, quibus flore, & fructu reſpondent. Anchuſis referendæ ſunt Pulmonaria, Symphytum maius, Cerinthe, Lithoſpermatum varietates, Coronopi genera, & Holoſtium Salamanticum Cluſij, & ſimiles ad Arnogloſſæ genus, ſicuti & reliquæ plantæ, quæ floris, fructus, & ſeminis modum retinent, reliquis variare obſeruantur, quas nunc quiſque addere poterit, & inueſtigare, longum eſſet omnes enumerare. Præſcripſit Dominus Deus Optimus Maximus plantis, vt fructum, & ſemen perficerent iuxta genus ſuum, quod præteriri non poteſt, & hucuſque ab Herbarijs ſtudioſis non animaduerſum, nec ab ipſo Dioſcoride, & antiquioribus. Qui non crediderit Ranunculorum varietates tam inter ſe diſſimiles folijs, & radice, obſeruet, quibus Adonis flos eſt reddendus etiam, & *Caltha* paluſtris appellata à recentioribus, ab alijs *Farfugio*. ac etiam Geraniorum, aliorumq; ab illis optimè perpenſis, veriſſimam eſſe hanc obſeruationem affirmabit. Ex his recta fieri poterit ſubſtitutio medicamentorum, tam noſtratium, quam exoticorum ſi flore, & fructu reſpondebunt, eoq; magis odore, & ſapore.

Sedum Alpinum F. Gregorij Regienſis. I. Cap. XXVIII.

PLantulam hanc ſub nomine Alpini Sedi incogniti accipiebam anno 1610. ab eodem amico, quam ex extima effigie quodam, modo vermiculatarum ſpeciem referre quiſque iudicaret: nos autem interius perquirentes, quamuis ex ſicca planta nihil commune cum Sedis habere putamus. Radicem habet tenuem admodum, æqualem, ex fuſco rubentem, quinque vncias longam; ex cuius ceſpite, qui prius nouellæ plantæ caput fuit, ramos duos vel tres edit, tenues canabini fili craſſitie ex fuluo rubentes, raris exiguis foliolis anguſtis alternatim interceptos, & in ſummo in denſum foliorum

rum capitulum deſinentes, quod dimidiam vnciam diametro æquat: quibus vetuſtis alios ex illis producit ramos eodem ordine regerminantem, vt plantulam cenſeamus eſſe multorum annorum, ex ramis veró in terram procumbentibus iterum radicem fundit ſimilem ſed hirſutam, quod non in prima obſeruatur radice: florem non habebat, ſed inter ramulos ſuperiores, binos petiolos obſeruauimus, fructum habere, ex calyce prodeuntem quinque foliato, oblongum, cartilaginoſum, nec abſimilem nimis à fructu Lychnidis, & Armeriarum, ſed ſemine longe ab omnibus differens, quod binum intus, oblongum ouali figura continet, colore ex fuſco rubeſcens, cauum intus ſed antequam diuidatur, veluti paruum, & nigrum Tritici granum. Sapor foliorum exſiccatarum, & euanidarum triennium iam præterijt, acris parum apparuit, nec admodum carnoſa foliola, aut vermiculata fuiſſe, immò parum, aut vix dijudicamus. Atque hæc ex planta ſicca obſeruare potuimus, ſuiq; & alterius generis plantam facimus.

Alpinum alterum eiuſdem II. Cap. XXIX.

SVb eodem nomine & hanc accepimus parum maiorem, eiuſdem effigiei, niſi quod noua germina foliorum ſupra vetuſtiora emicant immediatè, longosq; caulicolos tenues, atque paleares ſeſquiunciam longos, duos, vel tres in ſingulis foliorum ceſpitibus exerit, in quorum cacumine florem ex calyce virēte apicibus quinque diuiſo promit, foliorū quinque in ſummo fiſſorū cordis figura: intercipitur aliquando etiam cauliculus in ſummo, & in duos petiolos flores in ſingulis ſuſtinentes diuiditur: ſemen aut fructum non potuimus obſeruare, nam florentem decerpſit. Radix tenuior, & breuior ex ceſpite cinereo, fuſca, & etiam ex procumbēte ramulo exit. folia eodem modo quo ſuperioris denſa in caput conglobata ſunt, ſupra cauliculos elata, qui an infra, vel ſupra terram emicent ignoramus, in ramulo quidem lateri iconis proximiori, quid carnoſius obſeruatur, & veluti ceſpes infra terram ortus videtur. Hanc ad Leucoium Aizooides ſuperius à nobis deſcriptum parum accedere ex his putamus, quamuis in multis etiam differt notis.



Androsace Carnea. L. 204 Sp. [illegible]

I

1. Aretia vitaliana Sp. [illegible]

Sedum eiuſdem Alpinum III. Cap. XXX.

EOdem nomine Sedi, & an eſſet Sedum minus x. Alpinum iiij. Cluſij, quod non eſt, accepimus & hanc non deſcriptam ab eodem: illud quidem breuius, & flores roſei in vmbella ex baſi ferè cruciata, huic radix multa fibroſa ex fuſco ruffeſcente; folia non denſa, & in caput efformata, ſed diuaricata; foliola etiam ex pediculo tenui in latitudinem ampliantur, linguæ effigiem imitantur, & maiora ſunt duplo, ſicut caules etiam, in quorum ſummo vnicus, vel bini ſunt flores, cuius color ob ſiccitatem palleſcit. Alteram habuimus ſimilem quodammodo, ſed folijs in ſummo binis inciſuris, radice tenuiore, caulibus ſimilibus, & floribus deiectis, in quorum loco vaſculum ſucceſſit, non Cardaminæ, non Sedi, ſiue Aizoi, ſed bulboſæ Saxifragiæ à nobis deſcriptæ in prima parte, & congeneris à Lobellio pro Paronychia rutaceo folio depicta, cui folijs, fructu, & ſemine accedere non magis poteſt, vtinamq; virentem habuiſſemus, vt quid amplius de illa tradere poſſemus.

Sedum eiuſdem Alpinum IV. Cap. XXXI.

HVic congener eſt antedicta, quamuis facie non parum differat, quæ muſci modo humum operit, capitibus folioſis, admodum compactis, & exigui muſci modo, & colore, cuius caules non amplius ſeſquipollice à folijs emicant, craſſitie tenuis fili, duobus, vel tribus foliolis intercepti, in quorum ſummo reperimus eundem calycis modum; fructum, & ſemen idem exiguum, quibus & flores etiam ſimiles inſediſſe cenſemus. Plantam hanc F. Gregor. Sedum Alpinum muſcoſum appellauit.



I 2

4. Saxifraga bryoides
3. S. androsacea
Spr. Inst.

Alpina Cardamine inſipida. Cap. XXXII.

ALpinæ Cardaminæ inſipidæ nomine hanc inſigniuit idem F. Gregorius, qui eam inter Roſennahim iter habens Abling verſus, ſupra pontem quendam reperiſſe nunciauit, arenoſo aliquantulum loco, quam recentem ſuo guſtui inſipidam, & inodoram cognouit: radice admodum tenui, breui, nullis prædita fibris, foliola pollicari longitudine, inciſuris Chondrillæ, aut agreſtis Sinapi dicti fructu echinato, & anguloſo, quod Campoclarenſes pro Lampſana in cibo vti diximus in Capitulo de Lampſana Apula veriore, parum aſpera & hirſuta, ſicuti caulis qui tenuis, dodrantalis in ſummo ramis aliquot diuiſus, & alternatim ſiliquas in longis petiolis elatas profert, & exiles admodum digitali longitudine, & magnas reſpectu plantæ, in quibus exiguum ſemen minutum, vt punctum inſcriptum. Flores in ſummo plures parui Napacei albi, foliolis quatuor conſtructi, qui ſuccreſcente caule alternatim abeunt in ſiliquas.

Eufragia Linifolia. Cap. XXXIII.

EVfragiam hanc linifoliam à nemine figuratam miſit etiam, quam pro Alſine verna in hiſtoria vniuerſali, & HoloſtioCaryiophylleo viuente Tabernæmontani, ſed verius eſt, Eufragiæ familiæ, & ſpeciei reddendam eſſe, quam & ſi lini folio dicatur, longe tamen exiliora, & anguſtiora lino ſunt. Tota planta non excedit cum radice dodrantem, nec vulgarem, cui flore, fructu, & ſemine, ac ſapore ſimilis eſt, ideoq; congener, vt aliæ à nobis deſcriptæ.


Cardamine inſipida F.Greg:
Eufragia linifolia

Alſine maritima Neapolitana, & terreſtris altera τριχόφυλλον. Cap. XXXIV.

CLarum eſt non ſolum locis montanis, & terrenis foliorum varietates in plantarum generibus reperiri, ſed etiam in maritimis locis, nam & Alſines genus idem quod montanum rotundi foliium eodem loco, & quæ propriè ſua ſpecie eſt maritima, ſed eiuſdem generis, folijs verò longè diuerſis, anguſtiſſimis, nec latitudine viticulas ipſas, in quibus hærent geniculatim bina ſuperantia, ipſaq; cruciato ordine ex foliato geniculo prodeuntia, longitudine pollicari, & maiore: flores habet in ſummo è longis petiolis prodeuntes cum calyce foliato, vt in congeneribus, colore ſuaue rubente, fructu oblongo, & ſemine ſimilibus. Radice admodum tenui fibrillis diuiſa candicante, ex qua in orbem repunt viticuli fruticantes humi iacentes; ſed cum florent reſupini. Habent viticuli medium ſtamen, vt in congeneribus. Oritur in maritimis auſtro expoſitis, ſimul cum Coronopo illo tenui folio Neapolitano à nobis in prima parte deſcripto, cuius folia etiam magis laciniata obſeruauimus, vt in Icone ſunt depicta, ideoq; hoc loco illam addere viſum fuit, tunc enim plantam delineare non potuimus. Alſinæ familiæ reddenda etiam videtur planta illa à Lobellio, & Pena depicta nomine Saginæ Spergulæ, ab alijs Polygonon fœmina, quamuis folijs ſit capillaribus, & ſenis in ſingulis geniculis Oſyridis modo, rotundis, carnoſis, quia flore, fructu, & ſemine, ac etiam viribus affinitatis notam præ ſeferat.

Alſine tenuifol. altera.


Alsine maritima
Coronopus lac.

Kali floridum repens Aizooides Neapolitanum. *Cap. XXXV.*

MAritima & hæc eſt etiam noua planta noſtro mari frequens occidentalibus expoſita, quæ ex minuto admodum arenæ inſtar ſemine facile oritur non modo in ſalſuginoſis maritimis, ſed etiam in mediterraneis. Radiculam promit ſtaminis craſſitie in initio parum ſupernè rubeſcentem, & ex illa bina craſsa carnoſa veluti vermiculata,ſed latiuſcula foliola profert ſupra humum expanſa, aut parum elata, ex quorum ſinu bina alia digitali Longitudine, parum canaliculata,& rotundiora Aizoo ſecundo Dioſcoridis æmula emittit in ſummo parum craſſiora, deinde ex aduerſo alia bina, & ſic deinde in viticulos producta geniculatim alia, vt in ramos diuidatur, & in terra procumbat; ſed adulta reſupinis aſſurgit parum viticulis, in quibus alternatim folia erumpunt, & ex illis ſingulæ alæ,in quibus flores in craſſis petiolis,medio die ſole illuſtrato præſertim dehiſcunt, candidis barbulis tenuibus radiantibus, viginti numero, vt plurimum, medium exiguum vmbilicum luteum habentes exiguis luteis ſtaminibus compoſitum, qui facilè mane, & ſero occultatur clauſo flore, recedente præſertim ſolis aſpectu: his fructus ſuccedit quinque angulis definitus, totidemq; apicibus carnoſis vallatus, in quo ſemen copioſum ex nigro fulueſcens continetur exiguum, & fructus ſtellata quinque partita linea dehiſcit,vt ſemen decidere poſſit perfectum, atque in hoc non parum Aizoo ſimilis. Auguſto menſe floret,& Septembri perficitur. Tota ſalſo admodum ſapore eſt guſto, vt ſal guſtare cenſeas,ſuccoſa carnoſa eſt planta,& aſpergine quadam ſplendida hirſuties viticulorum, & foliorum eſt depicta, vt argenteum quid, vel potius chriſtallinam micam habere videatur. Radix tenuis eſt etiam adulta planta, parum flauicans, tenuibus, & longis fibris humum petens. In terrenis editis locis maritimis, non arenoſis oritur, vt non niſi maris æſtus aſpergat,& ſata in hortis letè prouenit,verùm gracilior. Huic ſimilem quodammodo ſecundo loco depinxiſſe videtur Doctiſſimus Proſper Alpinus ſub nomine *Kalli*, & pro Anthyllide Dioſcoridis ſupponere ex mente Guillandini in ſuo de Plantis Ægypti volumine;ſed qua ratione Anthyllis dici poſsit ignorare nos fatemur. Non enim putamus ſufficere quod folijs ſit vermiculatis,cum deſint propriores notæ floris purpurei, ſed grauis odoris, & radix Cichorij, & il-

Tempus. *Locus.*


Kali floridum repens Neapolitanum

& illius ramuli,& folia non ſint hirſutiora,nec aſperiora folijs Chamæpytidis, & ramulis etiam, nam florum colorem quamuis alienum admitteremus: non enim in plantis floris colorem proprium quid, vel ſpecificum illis tribuere cenſemus: Paucæ ſunt, & rariores plantæ, quæ flores varijs coloribus, iuxta regionis naturam, in qua ſpontè oriuntur,non producere ſit obſeruatum: non ideo plantæ illæ viribus ratione coloris florum, vt phytognomicis placet, niſi forſan ipſo flore, differre putamus: verius quidem ratione loci, & cæli magis minusq; efficaces eſſe conſtat: ſecus verò reliquis partibus, vt folijs, & radice, quibus variare credimus, & alias dicemus. Huius plantæ cinis facilè ignita coit,& congenerum more in vitrum tranſit vehementiore paulisper igne.



Abſinthium latifolium rarius Artemiſiæ folio.
Cap. XXXVI.

ADhuc incognita & inuiſa videtur rarior hæc Abſinthij ſpecies, quæ ſi legitima ſit vulgaris Artemiſia latifolia ab omnibus iamdiu recepta, & delineata, nihil erit quin minus Abſinthij planta hæc rarior ab omnibus pro Dioſcoridis Abſinthio vſurpari poſsit. nam Artemiſiam Dioſcorides Abſinthij folijs maioribus, & pinguioribus deſcripſit, & eodem modo fruticoſa, his verbis; πόα θαμνώδης παρόμοιος ἀψινθίῳ, μείζω δὲ καὶ λιπαρώτερα τὰ φύλλα ἔχουσα. *Herba eſt fruticoſa ſimilis Abſinthio, maiora vero, & pinguiora folia habens.* Hæc autem, vt ex ipſius folijs patet, magis effigie & diuiſura accedere videtur ad maioris Artemiſiæ folia, quam vulgare Abſinthium hortorum latifolium, cuius folia magis inſecta ſunt, & pluribus tenuioribus lobis, marini Abſinthij modo, quamuis illo latiora, ad Parthenij, vel potius Ambroſiæ marinæ. nam in maritimis oritur diuiſuram accedentia: Artemiſiæ verò vulgaris, folia lata paucis vtrimque lobis diuiditur, vt in hac planta, quæ ita illi ſimilia ſunt, vt alteri plantæ ſimiliora eſſe nequeant. Caulibus pluribus ſiue ramis ab radice fruticat, lignoſa, & fibroſa, in orbem ſe diffundens, illisq; cubitalibus, & maioribus tenuibus aliquando ſupinis, qui facilè radices agunt ſati, folia incana proferunt anguſta primùm, deinde lacinijs vtrimque diſſecta magnis, & latiora per ſurculos alternatim hærentia, & à medio ad ſummum ramulorum iterum minus laciniata, & anguſtiora, vt circa flores ſint tenuia; flores in ſummo veluti in panniculæ modum conformati Santonico dicto tenui folio ſimiles ex ſquamoſis calycibus oblongis, emicantes lutei, parui Auguſto, & Septembri, deinde in ſemen abeuntes vt in congeneribus, quare cum Aromatica ſit planta ex gratiore amarore intus, aſſumi facilius poteſt, nec minus viribus efficax eſt vulgata. *Tempus.*



Artemisia coerulescens. L.
Sp. pl.
Sm. fl. 3. 410



2. Chironia maritima
1. Cistus guttatus, L.

Centaurium luteum nouum. Cap. XXXVII.

HAnc à nemine hucuſque obſeruatam, aut depictam in maritimis Oppidi, dicti vulgò *Torre della Nuntiata*, non longè à Stabij ruinis in Veſuuij montis radice primùm inuenimus. Dodrantalis eſt, radice perquam exigua, lignoſa, pallente: folijs imo ſtratis vt congeneris, & vulgaris, flore purpureo, ſed minoribus: caule anguloſo binis oblongis foliolis alternatim per interualla hærentibus vt in vulgari, ſed duplò minoribus Rutæ proximis: in ſummo verò flores binos aut vnicum, longis calycibus pro baſi inſidentes, colore luteo, Maio menſe hiantes, ſemine vt congeneris. Sapor amarus plantæ admodum, ſed non tam intenſus, vt vulgaris purpurei. Oritur ſimul cum Helianthemo à doctiſſimo Cluſio deſcripto, ſed non figurato, nigro fulueſcentibus, quinis maculis circa floris vnguem lutei, cuius iconem non exhibuit, & nos in ſtudioſorum gratiam addere non pigebit, & notas addemus.

Locus. *Tempus.* *Sapor.*

Helianthemon flore maculoſo. Cap. XXXVIII.

HElianthemon dicuntur etiam Congeneres plantæ, quia Solis gaudent aſpectu, & ad Ciſti genus referuntur, ob conceptaculi ſimilitudinem; folia in terram ſtrata promit, tribus neruis diſtincta, hirſuta, oblonga, Centaurij minoris vulgaris modo, ſed acutiora, ex radice lignoſa pauca, candicante: Vnico caule plantam obſeruauimus, nec ramoſo, folijs per genicula binis alterno ſitu, paruis, hirſutis, ſicuti & caulis etiam eſt: in ſummo ex petiolis longis flores plures quinque foliatos ſtellatos, luteos aureos emittit, antequam pandantur nutantes, ſicuti & fructum habentes, & hiantes eriguntur paulatim, & ſingillatim, in medio florum apex eſt medius craſſus, quem pleraque ſtamina circumdant, & macula ineſt ſingulis florum foliolis circa vnguem ex nigro ruffeſcens parua: Maio menſe inter Baccarem plantã Aſteris effigie florentem reperimus, ſimul cum alijs ſimilibus plantis omni ſui parte, vt eandem dicas plantam, ſed ſine maculis, quibus variare obſeruantur, nec vna, ſed quamplures maculoſæ, & non maculoſæ ſimul reperiuntur eodem loco, & propinquæ. Huius ſimilem Iconem idem Cluſius in calce libri, ex Io: Ponæ Baldo habet, nomine Ciſti annui guttato flore, ſed imis carente folijs, & gutta ſanguinea tincto flore, in noſtra planta obſcura vt diximus.

Linum

Linum luteum ſylueſtre latifolium. Cap. XXXIX.

HYemali gaudet tempore Planta hæc, ex pratenſibus argilloſa, humentiq; tellure eruta Decembri menſe. Radice nitebatur lignoſa parua intorta, ramis pluribus ex caudice in ſummo trifidis, & duorum digitorum interſtitio, ex geniculis prodeuntibus folijs, ac in ſingulis geniculis florem habet luteum, & poſtea fructum acinoſum, vt Lini ſatiui vulgaris, cui etiam ſemen compreſſum ſimile, nitidum fuſcum, amaro parum ſapore. Flos & fructus inſident quinquefoliatæ baſi, exiguis anguſtis foliolis conſtructa: ſemen ex Aſprenſibus lecto, Romæ ſata planta exijt, quæ flores & ſemen æſtate perfecit. Folia in imo exigua, & per caulem ſemper maiora, & Lino latiora duplò, & in ramis poſtea ſemper ad cacumen vſque decreſcentia, & anguſtiora.

Circæa minima. Cap. XL.

HAnc autem F. Gregorius Circæam montanam pumilam appellauit; adeo ſimilis eſt Circææ Lutetianæ Lobellij, non illi, quæ Amaradulcis dicitur, & Solanum repens, omni ſui parte, ſed adeo puſilla, vt vix iconem ſuperet, perfecta quidem eſt, & Symmetria reſpondente in omnibus, radice, folijs, flore, & fructu ſiccam accepimus.



C minima = C. alpina, L
Spec. hist.
Lam. 2.12 · Sm. fl. 1.16

Verbaſci Braſſicæ folio ſub nomine Marù Cretici accepto. Cap. XLI.

INter Verbaſci genera plura à recẽtioribus exhibita,ſi huius plãtæ effigies,& natura expendatur Verbaſci fœminæ hiſtoriã referre videri poterit, cui Dioſcorides Braſſicæ folia habere tradidit, & piloſiora,nec nobis vulgatũ Verbaſcũ fœminã ita Braſſicæ folia referre videtur,vt huic plãtæ præferri poſſit, quæ lõga,& pedalia ferè profert alternatim ex caule exeuntia,appendicibus,ſiue lobis circa petiolũ,vt in Braſſicæ folijs obſeruatur,quæ ſummũ folij habẽt magnũ & latũ vncias 4. longitudine 5.vnciarum,& amplius ratione vbertatis loci; & in medio pediculo lobos digitales,& reliquũ nudũ, & ex viridi incana lanugine craſſa sũt obducta,dura tactu,& piloſa ſicuti caulis,qui rotũdus bipedalis, & alis multis ex foliorũ ſinibus prodeũtibus diuiſus:flores in ſummo caulis,& alarum profert,ſed in caule prius,deinde in alis,ita vt diutius floreat, & ab imo incipiunt flores,qui magni ſunt,& pollicari diametro,colore auri hilari,quinquepartiti, Verbaſci vulgaris figura,purpuraſcentẽ habẽtes vmbilicũ, & capitata ſtamina lutea,ſed totũ ſtamẽ hirſutie magna tenuiſſima,vt bõbycina purpuraſcẽte,& pilis illis hirſutiei capitatis:apicẽ etiã habent mediũ, cui flore exciſo,& integrè deciduo,vt in Sãbuci flore obſeruatur,& alijs;fructus ſubeſt rotundus in acutũ deſinens,vt in vulgaribus Verbaſcis,in quo ſemẽ exiguũ nõ diſſimile cõtinetur, & ſatum exit: ex quo nobis planta Maio menſe floruit.Dioſcorides fęminæ Verbaſco folia Braſſicæ latiora tribuit,ſed ſi Braſſica ſit ſylueſtris,& inculta,breuia habebit,& minora,ſed ſi hortenſis maiora, quãuis & Braſſica ſit,etiã culta,paruisfolijs;ſed nobis ſufficiet ſimilitudinẽ foliorum Braſſicæ, & quod cõparari illis poſſint ex aliqua Braſsicarũ ſpecie deſumptis,& quod lobis, & figura ita Braſsicæ folia exprimat,vt ipſa Braſsica non magis,exprimere videatur:flores pręterea,fructus,& ſemẽ ita Verbaſcũ referũt,vt nemo ſit,qui negare collatione vtriuſque pòſsit nõ eſſe Verbaſcũ:quod quidẽ non ita poſſe dici putamus de Saluifolio Verbaſco verticillato , quod nihil generis, neq; ſpeciei,ſed viribus forſan Verbaſcũ æquat:potius Stachidis ſpecies eſſet iudicandũ.Plãta ſata eſt perẽnis,noua ſemper ex imo germina proferẽs, & propter hilares flores,& diu emicãtes hilaris,& venuſta. Hãc Doct. Honorius Bellus in Creta oriri tradit,& quia vulgari nomine careret,ArcturũCreticũvocauit,habereq;folia ſerrata Betonicæ , aut Verbaſco ſimilia ſicuti flores, & fructus etiã, aut Blattarię.Quare Verbaſcũ ab alijs referre etiã aſſeritur,cũ verè Verbaſcũ ſit,non alia planta,nec Arcturus eſſe poteſt, vt idẽ cenſet.

Tempus [right margin]

In Rariorum Stirp. Carol.Clusii volumi nis calce in epiſt. 1. [right margin]


Verbaſcum braſſicæ folio


Dendrobryon geniculatum
Lithobryon Coralloides

Lythobryon Coralloides. Cap. XLII.

Nomen. Deſcriptio. HVmentibus ſaxis, atque muſcoſis cum oriatur non deſcriptum hoc Bryon, *Lithobryon*, appellauimus, & Coralloiden, ab effigie ramoſa Corallij modo, nam ex breui caudice ſtatim in plures ramos diuiditur, illosq; rotundos, breues, inanes, & in ſummo ſingulis apicibus bifidos, Cerui cornua imitantes: colore virente, interna caua parte candida: Odor. odore terreo putido. Variat iiſdem locis tenuitate, quia minus; colore cinereo, eodemq; menſe, Tempus. Decembris ſcilicet obſeruauimus in ſaxoſo colle quodam Caſperienſium in Sabinis.

Dendrobryon geniculatum, ſiue nodoſum. Cap. XLIII.

Locus. CAſperienſium montibus, ſiue Aſprenſium Italicè, frequens nota hæc Briy ſpecies ex arboribus prolixè dependens, quam ad Nomen. differentiam, & à natali *Dendrobryon*, denominauimus, & geniculatum, quia copioſius eſt illud, quod nodoſum præcarijs globulis ſimile in lineas compoſitis, *Coronas*, vulgò dictas, dependet. oblongos quidem, ac etiam breues habet inanes quamplures tuberculos, neruulo traiectos inter ſe cohærentes. Candicans eſt, prolixum, ramoſum, ex craſſo caudice in ramos ſeſe diffundens, vt latam prolixamq; barbam, ſeu comam pedalem, aut ſemipedalem; in extremo verò tenuitate capillarem efficiat, illamq; ex ramis dependentem.

Fabij Columnæ Lyncei

Erucæ Rutaceæ, eiuſque Chryſalidis, & Papilionis

Obſeruatio.

ERVCARVM generationem ſpontaneam, & ex coitu fieri, iam clarum eſſe teſtatur Ariſtot. & nos oculati ſumus teſtes: coire namque Papiliones, & oua parere non eſt dubium: ex quorum ouis vermes, ex verme Erucam, ex Eruca Chryſalides, & denique ex Chryſalidibus iterum Papiliones prodire, qui prolem iterum facere poſſint, vt & Bombyces faciunt. Sponte verò oriri ex ſuis herbis, arboribus, & fruticibus Theophraſtus aſſerit, cauſamq; aſsignat morbos in plantis ex flatibus obortos, præſertim Auſtrinis naſcuntur tepore, & humore lento. Natura quippe vbique animal gignit, modò calor cum humiditate debita ratione coeat. Naſcuntur etiam vermes ex nimia putreſcente in planta humiditate, ceu materia calori ad concoctionem ſubiacente, vel etiam cum humor concluſus effundi nequit ob aeris circumfuſi ſiccitatem, generatur tunc tabes, & uredo; tunc enim calor concluſus confecta putredine animal generat, & pabulum ei eadem materia ſubminiſtrat; nam ijſdem ex ijſdem rebus generationem, & alimentum Natura præſcripſit, qui modus poſterior in lignoſis & fructibus proprior eſt. Plinius ex rore naſci putat. Inſidet, ait, Ros Rhaphani folio primo vere, & ſpiſſatus ſole in magnitudinem Milij cogitur, inde porrigitur vermiculus paruus, & triduo mox Eruca, quæ adiectis diebus accreſcit immobilis, duro cortice ad tactum tantum mouetur Aranei. Hæc Eruca, quam Chryſalidem appellant, rupto deinde cortice volat Papilio. *Rhaphanum*, vertit Plinius, pro, *Braſſicam*, non diſtinguens, quod Ariſtoteles animaduertit, ſe Braſſicam intelligere, & ibi Erucarum hiſtoriam complectitur. Vermiculorum, ſiue Erucarum multæ ſunt ſpecies, & inter ſe ſpecie differentes, ſuas ſeruantes

Lib. 11. c. 32

Lib. 5. c. 19 hiſt. anim.

uantes


Eruca Rutacea
Chryſalis eiuſdem
Papilio eiuſdem

nantes ſpecies, prout ex proprio herbarum genere, aut arborum naſci ſolitæ ſint: ex quibus ex eadem materia alimentum capiunt, nec aliunde viuere obſeruauimus. Eruca nãque ex vno plantarum genere enata, non depaſcitur aliud genus, ſed proprium, vt ſi in vna Rutæ planta ſit nata Eruca, aliarum Rutæ ſimilium folia depaſcetur, non autem aliarum nomine Rutæ, vt Caprariæ, & Caninæ dictæ à recentioribus, vel alterius plantæ folia, niſi eiuſdem ſit qualitatis. Quæ verò naſcuntur in Rhaphano, Rhaphani folia, non alterius generis folia erodunt, niſi forte eiuſdem generis ſit planta, vt putamus erodere poſſe, veluti Braſsicæ, Rapæ, Napi, & ſimilium. ex qua etiam obſeruatione pabuli Erucarum, ſimilitudinem qualitatum plantarum eroſarum quemuis aſſequi poſſe cenſemus. Bombyces quidem, ex quibus Sericum, Rubi, & Mori folia depaſci ſcimus, noſtrates quidem cum adhuc exigui ſunt vermiculi, Rubi folia depaſcenda imponunt, deinde grandiores effecti, nigri Mori folia, quæ eiuſdem naturæ cum Rubi folijs eſſe non ambigitur, adſtringunt, & tingunt ambo, vt etiã Dioſcorides teſtatur: quare non ab re diximus poſſe quemuis ex huiuſmodi Erucarum pabulo plantarum vires cognatas elicere. Scimus innumera eſſe Erucarum genera, ſicuti Papilionum, & ex proprijs herbis ortum ducere ſpontaneum, & ex fœtu, ſiue ouis milio tenuioribus in folijs forſan illarum plantarum relictis etiam: atque eſſe denique multas Erucas cornu præditas in poſterioribus, ſicuti qnam Bucampen appellauimus in Apulia obſeruatam, & alias, de quibus Doctiſſimus Aldrouandus in volumine inſectorum. Obſeruauimus quoque in Tatulæ, ſiue Daturæ planta nobis ſatiua, quam Strychnon manicum fecimus in noſtro Phytobaſano etiam corniculatam viridem Erucam, pœnitetq; tunc illius obſeruationem neglexiſſe: nam & Indici Papilionis varietatem, aut ſimilitudinem vidiſſemus, planta Indica nati quamuis noſtro cælo; vtinamq; iterum occaſio venerit obſeruationis. Sed ad rem propoſitam. Auguſto menſe anni 1611. Rutæ plantam in fictilibus, floris, & ſeminis obſeruationis cauſa alebamus, (medium quidem fructum, qui recto ſurculo emicat, & primus, non cruciata diuiſione, ſed quinquepartitum edere obſeruatur) morbo corripi, & ab imo tabeſcere eius folia inceperunt, & candida lanugine operiri, exſiccari, & decidere paulatim, quod curioſiùs expendentes, paruas Erucas tres in folijs adeſſe reperimus, partemq; illarum eroſam: quæ exemptæ, & ſub vitreo vaſe reconditæ cum folijs eiuſdem Rutæ per aliquot dies quotidie *Tempus.*

noua

noua folia pro eorum cibo intulimus, in bipollicarē longitudinem excreuerunt, & craſsitiem anſerinæ pennæ, vel tertiæ partis vnciæ: illarum color eiuſdem Rutæ ſubcæruleus, & æquis portionibus per obliquum lineis nigris cinctæ, alijs intermedijs, & alternatis lineis etiam nigris, ſed minij colore punctis rubris, ſiue maculis variegatis, quæ in pictura candidæ apparent maculæ. Capite ſunt craſſo, duro, ſtriato, nigris per longum lineis ſtriatæ Conchæ repræſentantes effigiem, pedibus præditæ ſunt circa poſteriora quaternis vtrinq; & craſſioribus, in anteriore parte alios ternos duplò minores habent: poſtquam autem magnitudinem aſſecutæ fuerunt, in ſublimi vaſis aſcenderunt, atque lanugine quadam araneoſa tenui vitrum infecerunt circa eas, paulatimq; color rubens, & niger linearum exoleuit, & in cinereum vergebant, motu carentes, alienam effigiem iuduentes, dorſum circa caput prominens, & etiam in lateribus emittentes, & circa reliqua vſque ad poſteriora ſingulis ſegmentis, alias extuberantias acutas, & Cartilagineæ apparebant, in ſuperna verò parte ferè diaphanæ, vt quodammodo futuros papiliones incluſos exprimi viderentur, alarum ſigna vtrinque ſuboſcura in lateribus apparuerunt, vt omnia ex Chryſalidarum Iconibus expreſſis videre licet: circa ſextam tabellam ex ventre tenui aranea etiam dependebant, à vitro recedentes capite, & reliquis, caudæ cacumine, & ventris filo tantùm adhærentes. Poſt dies quindecim ferè diſrupta Chryſalide circa ceruicem exierunt Papiliones, vnus poſt alium ſingulis diebus, ſicuti, qui priores fuerunt in verſione in Chryſalidem, & ita omni eorum parte, & colore ſimiles, vt nullam differentiam obſeruare potuerimus inter illos: magnitudine eadem, qua depicti ſunt fuerunt. Omnium alæ pallido colore ad luteum vergebant, nigris maculis circa oculatas notas, nigriſq; punctis, vel arenulis ſuper pallidum colorem aſperſæ: inferiores alæ circa poſteriora, lunatis ſinibus, & longis prominentijs veluti caudatæ ſunt, & nigris lineis priores maculæ oculatæ, & colore ſunt cæruleo aſperſæ, in extremo verò circa podicem animalis, poſt parum cærulei, maculæ ſunt rubræ. Septembri menſis initio prodiere, vt in menſe perfici videantur. Animal verò capite, & corpore exiguo reſpectu alarum magnitudinis, oculis magnis nigris prominentibus, nigra linea ceruicem, & dorſum decurrente, dorſo piloſo, & alis circa illud pallida lanugine obſitis: cornibus nigris longis, in ſummo reflexis, & craſſioribus: poſt dies non viſa copula; oua ni fallimur tria reperimus in folijs pro eſcà depoſitis,

ſitis, Milij magnitudine, pallida, lucida. Roſtrum habebant longum admodum, nigrum, tenuem, quo non poſſunt niſi pro proboſſide vti, vt in alijs poſtea obſeruauimus ad ſugendos florum ſuccos, rorem, & melleum in illis ſuccum, in intimis illorum incluſum. Hæc nunc obſeruaſſe meminimus, ex noſtris aduerſarijs excerpta. Erucæ olerum ait Dioſcorides ſi cum oleo oblinantur, à venenatis beſtijs intactos conſeruare dicuntur perunctos; Huius Papiliones exurentis eſſe facultatis non minus quàm Cantharides, Blattæ, & Pinorum Erucæ, ortum ex Ruta ducunt, quæ contra venena vtiliſſima, & facultate vrente prædicatur. At huius Erucæ occaſione meminimus Ariſtotelem ex Erucis quibuſdam piloſis fieri etiàm Cicindelas, ſiue Noctilucas clunium fulgore, non volucres, de quibus in prima parte cap. de terreſtri Noctiluca iconem, & obſeruationem tradidimus, non autem ex Eruca naſci adhuc obſeruaſſe contingit, ſed ex illis non fieri mutationem in animal pennigerum, vt ab Ariſtotele traditur, verũ eſſe Lampyridis fœmininũ genus; ſic certiores nos fecit clariſſimus & doctiſſimus vir D. Carolus Vintimillia Panormitanus in Sicilia obſeruaſſe, cuius epiſtolæ verba inſerenda operæpretium duximus, & addenda illius hiſtoriæ. De Noctilucis tuis ſcias hic alatas Cicindelas à tuis Noctilucis non differre, ſed eas eſſe mares, tuas fœminas, idque ego bis deprehendi. Habebam in vitro plurimas ex nudis, animi cauſa forté acceptas, gaudebamq; noctu ſpectare, ac alebam pane madido, Cœnanti mihi alata ad lumen circumuolitans ſeſe obtulit: hæc capta, & in vitro cum alijs adiecta, continuò me ſpectante vnam ſubegit, eiq; adhæſit, vt bombyx ſolet, ab ea deinde diuulſa, aliam atque aliam, ac vt poſtea intellexi, omnes compreſſit; ſequenti die parere cœperunt, ſeminaq; dabant forma, & colore Milij ſeminis minora tamen Bombycum ſeminibus; poſt paucos dies vna omnes interiere. Semina ſiue oua ſeruaui quidem, ſed corrupta, & per medium ſciſſa reperi, forte quoniam locum humidum requirebant. Ex hac obſeruatione naturæ miraculum deprehendi, quæ fœminibus quoniam alas denegauit, vegetius lumen tribuit; mareſque noctu lumine aduocarẽt. Mares verò exiguo lumine lucere, ac corporis mole multo minores eſſe, vt quãplurimis huius generis cõtingit. Hęc Vintimillia. Nos alias quare dicatur ab Ariſtot. Βόστρυχος, animal pennatum huiuſmodi, & an mutatione in illud fiat ex non pennato animali, vel vt diximus generatione ex eodem Vintimillia relata, Deo dante obſeruatione prius à nobis acta dicemus.

Virtu.

M *Addi-*

Additiones, & Annotationes reponendæ in prima parte.

PAg. 89. poſt finem capitis Panacis Aſclepij Apuli, *Adde*. In Sicilia congenerum naſci tradidit doctiſſimus vir Petrus Sanmartinus, & adeo ſimilem, vt difficile ſit alteram ab altera planta dignoſci, folijs tenuioribus ſtratis hirſutis, caule nude, vmbella magna, floribus luteis, & fructu alato Cartilagineo, ſed ſemen medium nigreſcit, & gummi, & odore, ac ſapore admodum ſimilibus; differt verò Sicula, quod caulem emittit ante foliorum eruptionem menſe Septembris, & illo marceſcente poſt ſeminum perfectionem, menſe Decembris folijs exornatur, radicem vidi ſeſquipedalem, craſſam duas vncias, foris cortice tenui nigreſcente, intus candicante, gummoſa, odorata, & etiam flauicante; folia vero craſſiora, & longiora, nec in ſeptem coſtas diuiſa, ſed aliarum fæniculacearum ritu vtrinq; pennata quam plantam cum Romæ ſatam in Horto Hoſpitalis Sancti Iacobi tunc vidiſſemus non diuerſam, ſed degenerantem putauimus, vt aliæ ſolent: nunc è ſylueſtribus miſſam plantam illius varietatem eſſe dignouims.

Pag. 114. *poſt* verba, quam Arbores radicat, *Adde*. & lib. 5. de cauſis plantarum cap. 6. in fine, & lib. 7. hiſt. Plant. cap. 3. idem tradit, Apij radicem paxilli in terram ad libitum defixi locum implere, quod Geoſelinum nouum iſtud efficere non poteſt.

Pag. 115. *poſt.* verba obſeruatum reperimus, *Adde*, Geoſelinum iſtud Eleoſelini ſpeciem eſſe variantem magnitudine nemo inficere poteſt, & nos ita cenſemus, radicis folij, floris, & ſemini ſimilitudine ipſaq; ſubſtantia.

Pag. 235. in fine, *Adde*, Leuis efficitur cultu hirſutiem deponens, lacinias profundiores habens Cichorio proximiores.

Pag. XVIII. aquatil. in fine Cap. 7. *Adde*, Huius apud Indos nomen ſicuti congeneris, *Aiotochtli*, eſt ſcilicet *Cuniculus cucurbitæ*, quia in Orbem rotundatur Cucurbitæ modo, gaudemusq; diuinaſſe animalis effigiem internam, de qua vide D. Carolum Cluſium in Exoticorum volum. fol. 109. lib. 5. ſed corticis tabellas minus rectè expreſſas cenſeo, ſi idem ſit animal, collatione cum noſtra icone, quæ exactior eſt, ex ipſa teſta exarata, quam ſeruamus ſtudioſe.

Anno-

Annotationes, & Additiones reponendæ in Phytobaſano.

PAg. 3. *poſt verba* florum elegantiam. *Adde*, Campoclari, Aſpræ in Sabinis, & alijs montibus frigidis frequens locis auſtro auerſis, *& in fine pag.* 4. in Bibliotheca Sancti Ioannis Carbonariæ Neapoli librorum copia refertiſſima, manuſcriptus adeſt codex græcis litteris maioribus, membranacea pagina vetuſtiſſimus, herbarum hiſtorijs Dioſcorideis, & iconibus coloratis ornatus, in quo pro Iſopyro depingitur planta Aniſi folijs latis, caule alto, capitulis oblongis multis, breuibus petiolis inſidentibus veluti denſis corymbis, aut vmbellis abſque floribus, quæ magis noſtræ quàm aliorum iconibus, & ſententijs conuenire videtur: ſicuti annis præteritis non ſine gaudio obſeruauimus non modo hanc, ſed alias plantas cum illis quodammodo conuenire.

Pag. 24. *poſt* Ocimo ſimili paruo, *Adde*, albo, in inferiore lacinia purpuraſcente, ſicuti ſtamina, quæ luteum caput habent quatuor, & quintum bifurcatum quinis lacinijs reſpondentia *& pag.* 26. *poſt*, nares ferientur *Adde*, guſtu ocimo acriore cerebrũ confortante, & magis exiccante percipitur ore: ſemine in vtriculis ſimili: perficitur Septembri & Octobri menſe. *Et in fine adde.* Ocimo ſimilem plantam pro Acino depingitur in vetuſtiſſimo Sancti Ioannis Carbonariæ Codice.

Pag. 31. *in fine cap. Adde*, Alyſſum depingitur in vetuſto codice Sancti Ioannis, vt diximus, planta binis cauli hærentibus folijs, flore cæruleo, verum galericulato inter folia.

Pag. 62. *poſt*, Imperato habuimus, *Adde*, Copioſam deinde Cirinolæ in Hortis nomine *Rhaphanelli*, colunt olitores, quam ſpeciem Romani, vt Plinius refert, Syriacum appellabant, Rapi figura ſuauiſsimum, ac tenerrimum, hiemiſque patientem. Lib. 19. c. 5

Pag. 66. *in fine*, poſt, *Spinoſa, acuta* interpretari poteſt verbum ἀκανθώδη hoc loco, nam idem Plinius de Alexandrina Lauro, quam Hypogloſſum dici refert, *folio acutiore, quàm myrti*, dixit; De his vide quæ diximus folio 165. & 166. in huius vol. prima parte. Lib. 15. cap. vlt.

Pag. 67. in principio in verbo, *& in ſummo*, ἐπ' ἄκρῳ, non in ſummo caulis, quē non habet, ſed in ſummo comæ, ſcilicet parte sũma foliorum, quæ eſt ſupina, in qua foliolũ, ſiue ligula, ex quo fructus.

Pag. 97. In fine. *Adde*, planta hæc folijs flore ſemine, & viribus non minus Seſamoidem paruum refert, cuius hiſtoria, & vires ſi-

 miles

miles ferè ſunt. nam Hieronymus Tragus vir doctiſsimus in ſuo Herbario, ſub vulgari appellatione Baptiſculæ, plantæ huic purgatrices vires experimento adeſſe tradidit, vt ſeminis dimidia drachma in puluerem redacti ſumpta bilem per aluum detrahat, item flos & ſemen decoctum cum vino, & potum contra Araneorum, & Scorpionum ictus auxiliatur.

In vetuſtiſsimo herbario membranaceo Sancti Ioannis Carbonariæ, vt diximus; planta pro ſpumeo Papauere depingitur ſimilis toto habitu, & capitulis, ſed folijs minimè inciſis.

Pag. 103. poſt. colore albicantes, Candidos flores & niueos obſeruauimus in Valle, qua fluuius decurrit è montibus ſupra ædiculam D. Nicolai, Anuerſæ Sulmonenſ. Diœceſis, & Zagarolæ in Vinea Franciſcanorum.

Pag. 116. poſt, legendum ſit. *Adde,* niſi potius νάρδῳ pro ναρκίσσῳ, *Nardo* pro, *Narciſſo* ſit reponendum, *& in fine* de hac vide Apologeticã epiſtolã in prima huius voluminis parte minus cognit. ſtirp.

Pag. 14. Piſcium hiſtoria. Adde. Vide quæ de hac ſtella diximus in prima huius volum: minus cognit. ſtirp. parte in obſeruationibus aquatilium, & terreſtrium pag. 5.

Fol. 19. in fine in cap. de Conchis Anateferis Adde, Sed quia poſt noſtram hanc editionem vidimus, quæ fuerunt in volumine de Auib. dicta a doctiſsimo Aldrouando Bonon. facere non potuimus, ne veritatis ſtudioſiſsimi, & doctiſsimi Caroli Cluſij verba in Auctario Exoticorum ab ipſo editorum fol. 368. ad hanc veritatem facientia reponeremus. Eius verba ſunt *Klaiks*, ſiue *Claikgees* Scotis, *Bernacles* Anglis, *Rodgees* Hietlandis, Auis eſt per Autumnum, Hyemenq; dumtaxat conſpicua, forma Anati vicina. Huius natalia cum ignorarentur, factum eſt, vt Vulgus primum eius protoplaſma, ſiue rudimentum cenſuerit eſſe teſtas quaſdam albicantes, adnatas truncis, ſiue fragmentis ligneis, quæ maris fluctibus in arenam, littusvè propelli hic ſolent, vbi ligna aliàs non creſcunt, & formam Aniculæ iſtius quodãmodo æmulantur. Viuam tamen, & omnibus modis abſolutam Auem ex maſſa illa teſtacea euaſiſſe, aut prodijſſe, nemo eſt inuentus, qui ſe vidiſſe aſſerere fuerit auſus. Hactenus Hoierus. Auiculæ porrò non ſunt, quas in Orcadum arboribus mari vicinis naſci vulgò putant, & *Bernacles*, ſiue *Rodgãs* appellant, ſed Aues Anate fera nõ minores, vt ego aliquoties vidi, imo ipſarũ carnem etiã guſtaui. Meras autem fabulas eſſe quęcũque dę earũ natalibus hactenus fuere tradita à Batauis,

qui

qui ante paucos annos ad nouam Zemblam nauigarunt, & fretum Naſſouicum, vulgò *VVeygaz*, appellatum ſuperarunt, eſt deprehenſum. Eas etenim Aues in aliquot ſcopulis incubantes, ſuis ouis obſeruarunt, quarum nonnullas, & multa illarum oua in Nauim retulerunt, quibus famem propulſarunt. Hæc Cluſius.

Pag. 22. *Plant. nouar. hiſt. poſt*, τραγοπώγον, quare in Dioſcoride ex his potius legendum iudicaremus καρπὸς μέγας, quam μέλας, *fructum magnum*, non, *nigrum*, prolixum ſcilicet, vt Theophraſtus habet, & viua planta *& pag.* 23. *poſt*, *ſed ſtriatum*, *adde*, leue, in imo craſsius, candidius lineis depictum reliquum cinereum, pappo admodum molle, *& in fine*; ſed & Æquicolorum montibus, & alijs frigidis frequens, & ſemine ſata prima folia ſine laciniis anguſta, & longa profert.

Pag. 29. *in fine cap. Alſines*, *Adde*, vide quæ in hoc volumine in prima parte, diximus cap. de Cynocrambe in fine.



Errata præuidenda, & ſic Corrigenda.

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 3	flores, &tribus,	flores ex tribus.
Ibid.	Bocellum,	Borrellum
5	quatuor ponit.	Quatuor promit
16	Cachyferæ.	Calchryferæ
28	maritimi.	Maritimis
Ibid.	Gregoriij.	Gregorij
29	plata	Planta
32	reuiuiſcerr	reuiuiſcere
33	Naſitur	Naſcitur
34	iam multa	iam multæ
35	Doſem.	Doſim
37	hyſtoria	hiſtoria
38	Luteo, quod	Luteo, quo
Ibid.	Aſelepias.	Aſclepias.
Ibid.	gengiuis	gingiuis
Ibid.	quod etiam Lacte	quod etiam ſucco Luteo
40	τιργατέν,	περιαθέν
41	referre.	referri
Ibid.	calami.	calamo
Pag. 41	quia toto	quia non toto
Ibid	ſquillæ, non Cirris	ſquillæ, ſed Cirris
Ibid.	Dioſcoredes	Dioſcorides
42	σηπτιχῶ	σηπτικῶ
43	eycitur; ſecus	Eijcitur. Secus
Ibid.	putamus. Si	putamus, ſi
45	miſta	miſtæ
Ibid.	Syptoma;	Symptoma
47	pulcra,	pulchra
48	& dulciore.	eſt dulciore
Ibid.	contorta.	contorto.
49	geniculatos.	galericulatos
53	θύμον	θύμου
Ibid.	Epiſtoebin	Epiſtoeben
64	caulicolos	cauliculos
68	viuente	aruenſe
72	lete	læte
84	Briy	Bryi

Errata reliqua, comarum vel punctuum, alieni tranſpoſitione loci, vel qualiacunque, candidi, doctique Lectoris ingenio corrigenda remittuntur.

INDEX EORVM

quæ hoc volumine continentur.

A

ABSYNTHIVM latifolium Artemiſiæ folio quod, deſcriptio. 75. icon. 76
Aconiti hiſtoria & Theliphoni, atque Scorpionis Theophr. & Dioſcor. perpenditur & examinatur 33. & inde.
Aconitum Pardalianche Matthiolus florem ſimilem congeneribus aſſerit habere. 44
Aconitum Pardalian. Matthioli in hiſtor. lugdun. flore ſpicato, eſt etiam fictitium 44. & ſi vera eſſet icon, non eſſet Aconitum, ibid.
Aconitum Theliphonum & Scorpio Synonyma, & eadem planta Dioſcoridi & Plinio 32. & 33
Affinitatem plantarum ex quibus diiudicet Auctor. 62
Aizoi ſecundi Dioſcor. ſimilitudo. 72
Aizoon 12. Carol. Cluſ. eſt Leuitij ſpecies Auctori. 62
Aliſma Dioſcoridis, Auctori eſt Auricula vrſi. 35
Alſine maritima Neapolitana quæ, Deſcript. 70. icon. 71
Alſine Verna hiſtor. lugd. ex Eufragiæ ſpecies Auctori. 68
Alypum Dioſcoridis, an ſit Tithymalus Epithymi fructu. 52. icon. 51
Alyſſon Dodonæi eſt Leucoij ſpecies Auctori. 58
Amellus montanus qui, deſcriptio, 25. icon. 26. paluſtris pro Aſtere Conizoide a recentioribus. 25
Anonyma planta radice dentariæ F. Gregorij, quæ, deſcriptio, 49. icon. 50
Anthyllis Dioſcoridis non eſt Kalli Alpini 72. Arbos pro omni efflorefcentia. 54
Apocynum Dioſcoridis accipitur pro Aſclepiade eiuſdem. 37
Artemiſia folio eſt Abſynthij pontici. 75
Arum Aegyptium quod hiſtoria, nõ eſt idem cum Colocaſia ſiue faba Aegyptia fol. 1. icon. e contra,
An ſit illud Plinij 4. hodie ab Alexandrinis dicitur Culcas. 2. eius radix alexandr. pro cibo etiam hoc æuo. 2. & 4.
Aſclepies ſiue Vicetoxicum Vulgare eſt Apocynũ Dioſcoridis 37. & quare ibid. & 38
Aſter conizoides recentiorum Amellus paluſtris. 25
Aſter Peruanus tuberoſa radice qui, & deſcrip. ij. icon. 13
Atriplicis Varietates non habentes fructus foliaceos ad Bliti genus refert Auctor. 63
Auricula Vrſi eſt Aliſma Dioſcoridis. 35

B

BVlbo caſtanum vulgare, an Cyminum bulboſum Plinij 14 icon. 20

C

CAltha paluſtris ex genere Ranunculi. 63
Cardamine inſipida F. Gregorij, quæ, deſcript. 68. icon. 69
Carolus Cluſius depinxit fructus Fabæ Egyptiæ. 4
Carolus Vintimillia Panormitanus vir docliſſ. 45
Caſperies olim, nunc Aſpra Caſtellum in Sabinis. 5
Caryophyllus mexicanus Polyanthos fiſtuloſo flore, qui deſcriptio, 48. icon. 46. non eſt Orbonna ibid.
Caryophylus mexicanus fiſtuloſo flore ſimplex & nouem varietates. 47. icon. 46
Cempoalxochitl. nomen Caryophylli mexicani. 49

Cen-

Centaurium minus luteum nouum, quod deſcriptio. 78 icon. 77
Cerinthe Anchuſe ſpecies eſt auctori. 63
Chelidonium minus dioſcoridis eſt Ranunculi ſpecies 43. nequis vtatur pro remedio oculorum, ibid.
Chryſalis, & Papilio Erucæ Rutaceæ. 85. icon. 86
Ciborium eſt nomen fructus Fabæ Aegyptiæ 2. & quid 4. icon. vbi 4. ſimilis eſt fauo Veſparum, ibid.
Cichorium venenoſum. 40
Cilicium Petroſelinum, alias Smirnium. 17
Cinis Kali in vitrum tranſit. 74
Circea minima quæ, deſcriptio. 79. icon. 80
Colocaſia eſt nomen radicis Fabæ Aegyptiæ 1. & 2
Color in floribus non probat plantæ identitatem. 74
Cognitio herbarum virtutum ex quibus intelligi poſſit abſque doctore. 8
Coronopus tenui fol. laciniatus Neapolit. qui 70. icon. 71
Cretici Smirnij vulgaris varietas. 19
Creticum Smirnium Matthioli non eſt Smirnium Dioſcoridis 17. potius Hipposelinum eiuſdem ibid. & 18
Crocodilus refugit radicem Fabæ Aegyptiæ. 4. & 5
Cucumeris foliorum & Cyclamini differentia. 34
Culcas hodie dicitur Arum Aegyptium apud Alexandr. 2
Cyclamini folior. & Cucumeris differentia. 34
Cymbalaria Matthioli eſt linaria hederacea auctori 63
Cyminum bulboſum Plinij quod, deſcriptio 14. icon. 20. eſt bulbo caſtanum vulgare, ibid.
Cymini morbus ſcabies. 14
Cyprij olim Arum dicebant Colocaſion. 2. & 3

D

Dendrobryon geniculatum ſiue nodoſum quod, deſcriptio 84. icon. 83
Dioſcoridis tex. de Epithymo declaratus 53. & latinè redditus ab Auctore. ibid.
Doronicum Cyclamini folio, radice nigra Camporlarenſe, quod, deſcriptio. 32. icon. 36. vires 45. varietas cultu. ibid.
Doronicum vulgare non eſt ſepticum recentiorum experimento 43. debet cum cautela exerceri vſus illius, tamquam medicamentum non alimentũ 35. Salutare affirmatur à Recentioribus poſt Mat thiolum 34. & 35. Interimere canem aſſeritur a Pharmacopeia Auguſtana 35. & ab Auctore radice è Sicilia ſibi miſſa idem effici 45

E

Ebuli folia & Sambuci aduerſus cauſtica vtilia 40
Elatine Matthioli, eſt Linaria hederacea Auctori. 63
Epithymum Dioſcoridis quod. & illius textus declaratio, & verſio genuina 53. vnde dictum 52. eſt flos adnatus Thymo. ibid. à Romanis Inuolucrum dictum & quare. 54
Epithymo ſimilis herba adnaſcitur in Stæbe, Thymbra, & Ebulo. 43
Epiacten, Epiſloeben, Epithymbra, ibid quid
Euſragia linifolia, quæ, deſcriptio 68. icõ. 69
Erinus magno flore 23 icon. 24
Eruca Rutacea eiusque chryſalidis & Papilionis obſeruatio 85. icon. 86
Erucarum generatio ex quibus quomodo & quando 85. multæ ſunt ſpecies, ibid. & inde.

F

Faba Aegyptia Matthioli fictitia icone, 4. vera vbi, ibid.
Fabæ Aegyptiæ radix nõ bulboſa ſed arundinacea, eius fructus dicitur Ciborium 2. quid Ciborium. 4. radix ſpinoſa. 4
Flos Papaueris dupla magn. 5. Eius ſemine pro pondere vtebantur. 2
Flos Adonis, & ſimiles Ranunculorum generi aſſignantur ab Auctore. 63
Flos Solis Peruanus radice bulboſa, qui, deſcriptio, ij. icon. 13
Floris color in plantis non deſignat proprietatem

ſtatem 74. variat iuxta regionis & terreni naturam. 72
Flores Orchidis humanam imaginem referunt. 8
Foliorum effigies non ſufficit pro plantæ ſpecie conferenda. 62
F. Donatus de Eremita laudatur. 3
F. Gregorius Regienſis Cappuccinus Peritiſſimus & plantarum ſtudioſiſſ. dono miſit multas rariores. 23. quæ in hoc volumine depinguntur.
Fructus & ſemen confunduntur a Dioſcoride. 54

G

GArofoli de Spagna dictæ plantæ nouem varietates deſcribuntur. 47. icones. 46
Gaſparus Bauhinus librum edidit de Bezaar germanico. 35
Genitalia facilè à Cauſticis afficiuntur. 39
Geraniorum familia multiplex, folijs variat atque radice. 63
Gethioides Syluestre quod, deſcriptio.6.icon.7

H

HAlimus frutex maritimus, eſt Atriplicis fruticoſi ſpecies Auctori. 63
Helianthemon maculoſo flore quod, deſcriptio 78 icon 77. varietas. ibid.
Helxine ciſſampelos lobellij eſt Polygonum hederaceum Auctori. 63
Hyacynthus Sanneſius coma paniculoſa, qui deſcriptio. 10. icon. 12
Hieracium calyce barbato quod, deſcriptio, 28. icon. 27. Alterum leuius minimum. quod, ibid icon. ibid.
Hieracium Germanicum F. Gregorij primum, quod, deſcript. 28. icon. 29. Alterum pumilum, quod ibid
Hieracium fœtidum 111. quod, Deſcriptio 29. icon. 31. Alterum punilum. 1111. quod, deſcriptio 16. id. icon. ibid.
Hippoſelinum Dioſcoridis differt ab illo Theophraſti, & quæ. 17. 18 icon. 21
Hippoſelinum vulgare eſt ſmirnium Dioſcoridis verius 15. & 19
Holoſtium cariophyllium Tabernæ montani eſt Eufragia. 68
Holoſtium ſalmaticenſe Cluſij & ſimiles ſpicoſæ ad Arnogloſſæ genus refert Auct. 63
Hominis imagine flores Orchidis. 8

I

INuolucrum dicitur Epithymum, quia ſupernaſcitur. 54

K

KAli floridum repens aizoides Neapol. quod, deſcript. 72. icon. 73
Καρπὸν & σπέρμα cōfundūtur a Dioſcor. 54
Κοῦφα verbi conſideratio 55

L

LImeum & Phtora ex genere Ranunculorum. 39
Linum Syueſtre luteum latifolium quod deſcriptio 79. icon. 80
Lithobryon coralloides, quod, deſcript. 84. icon. 83
Lithoſperonum varietates Anchuſis refert Auctor. 63
Leucoium clypeatum Auctoris eſt Alyſſon Dodonæi. 58
Leucoium luteum aizoides quod, deſcriptio, 62. icon apud Cluſium.
Leucoium montanum flore pedato quod, deſcriptio 59. icon. 61
Leucoium peltatum Romanum, quod, deſcriptio. 58. icon. 60
Lugdunens. hiſtoria notatur. 5. & 44
Lunaria chymiſtarum. 56

M

MAcuilxochitl. nomen Gariophylli. mexicani. 49
Medicamentorum ſubſtitutio qua ratione fieri poſſit. 63
Mexicanæ plantæ ferè mille latine deſcriptæ a Nardo Antonio Recco, Montecoruinenſi iuſſu Philippi 2. Regis Catholici,

nunc

nūc Romæ cum eorūiconibus impimuntur, & eduntur liberalitate Principis Lynceorum Federici Ceſij Principis Sancti Angeli.

O

OCulis nocet chelidonium minus. 43
Oenanthe Matthioli & Bulbocaſtanum Tralliani idem 14
Orchidis flores humana effigie. 8. & 9
Orchis Anthropophora quæ deſcriptio icon. 9
Ornithogli radix in plures bulbillos Soluitur, ſicuti Gethioidijs 9
Officinarum Petroſelinum è Venetijs, eſt Dauci ſpecies. 17

P

PApilio, & Chryſalis ex Eruca Rutacea 85. icon. 86
Parthenium quæ verior. 48. non eſt quæ chamameli folijs depingitur, ibid.
Partes ſauguineæ facile veneno afficiuntur. 39
Petroſelinum Cilicij appellant quod Smirnium eſt 17
Petroſolinum Galeni eſt ſemine amariſſimo. 17. pro Theriaca aptius ibid.
Petroſelium Officinarum eſt Dauci ſelinioides ſpecies. 17
Phtora ex genere Ranunculorum 39
Phytegnomicus vſus ad quid. 8
Planta Cichorij effigie venenata 40 Plantarum affinitatem ex quibus diiudicat Auctor. 62
Plata infrigiferæ quare 10. Plantarum ſubſtitutio quaratione fieri poſſit. 63
Plantæ congeneres variant folijs & radice. 63. non ſemine ibid.
Plantæ animalibus noxia, homini ſalutaria quæ. 37
Plantæ omnes iuxta genus ſuum fructum vel ſemen proferunt. 63
Polygonum fœmina Tragi eſt Alſines ſpecies Auctori 62. 63. & 70
πολυπλατυσχιςὸφυλλα quæ 16. πολυπλατυσχιςολὸβοι quid 16. Ponderis meta erat ſemen Fabæ Aegyptiæ. 2
Prolem fœcundantia quæ. 8
Pulmonaria eſt Anchuſæ ſpecies Auctori 63

R

RAdix Febæ Aegyptiæ ſpinoſa 4
Ranunculi leptophylli radicis vis. 39. & remedium ibid.
Ranunculorum ſpecies variant folijs radice longè diſſimilibus; 63
Rapuntium vmbellatum quod, deſcriptio. 22. icon. 24. & apud Lobell.
Rapuntium Anguſtifolium alpinum quod deſcriptio 23. icon. 26
Rapuntium ſiue Erinus magno flore quod deſcriptio 23. icon. 24
Rupicaprarum lapides alexipharmacæ. 35. ex doronici radicibus ibid.

S

SAgine ſpergula herbarior. eſt Alſines ſpecies Auctori 62. 63. & 70
Sambuci & Ebuli folia aduerſus cauſtica efficaciſſ. 40
Saracenicum frumentum herbarior, eſt Polygonum hederaceum Auctori 63
Saſſifragiæ bulboſæ congeneres plantæ. 66
Scabies in plantis & cauſa. 14
Scorpij nomine plantæ quæ. 32
Scorpio Theophraſti & Plinij 32. & inde vires. 41
Scorpio animal candidus aliquando. 41
Sedum I. Alpinum F. Gregorij Regienſ. deſcriptio 63. icon. 65. Alterum eiuſdem quod, deſcriptio 64. icon. 65
Sedum III. eiuſdem quod, deſcriptio 66. ſaſſifragiæ ſpecies Auctori, icon. 67
Sedum 4. eiuſdem quod, deſcriptio, ibidem icon. 67
Semen & fructus confunduntur a Dioſcor. 54
Sepa Viperæ ſpecies. 42
Septicum quid. 42
Serpentium venenum non nocet introſumptum. 38
Smirnium Dioſcoridis quod, eius hiſt. 15. vulgo dicitur Macerone, Alexandrino, & macedonico ibid. differt a Cretico putato,

tato, ibid idem eſt cum Theophraſti Hippoſelino ibid. icon. 21. ita dictum quia Myrrham reſipiat, 16. in Cilicia appellatur Petroſelinum. 17. Huius vires Dioſcoridis, ſimiles Petroſelino Galeni per Theriaca ibid.

σπέρμα & καρπὸν *confundi a Dioſcor.* 54

Squilla & Scorpio in quibus ſimiles. 41

Squilla nigro colore veris tempore. 41

Stabij ruinæ in Veſuuis radice. 28

Symphytum maius eſt Anchuſæ ſpecies Auctori. 63

Syſirinchium Aſprenſium quod, deſcriptio 5. *icon.* 7

T

TElephium purpureum Recentiorum eſt Rapuntij ſpecies Auctori 22. & *quarè, ibid.*

Thelipbonum Theophraſtri. 32. & *inde*

Theophylus Molitor lynceus Anatomicus præſtantiſſ. & naturalium rerum peritiſſ. 47

Theophractus candidus in deſcribendis rebus incertis. 34

Tibymalus Epithymi fructu an Alypum Dioſcoridis qui & deſcriptio. 52. *icon.* 51

Tithymalus lunato flore, qui, deſcriptio, 56. *icon.* 57

Thobias Aldinus botanicus & chymicus Præſtantiſſ. 11

V


VEnenorum differentia, & quare noceant introſumpta, vel ſanguinem tangentia 38. & *inde.* 39

Verbaſcum Braſſicæ folio Dioſcor. quod, deſcriptio, 81 *icon.* 82

Veſparum fauo ſimilis eſt fructus Fabæ Aegyptiæ. 4

X

XOchitl, idem quod flos, vox Mexicana. 49



Bot. Garden,
1893

1046

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

Minus Cognitarum ſtirpium partem alteram unà cum Purpura excellentiſſimè, ac diligentiſſimè à D. Fabio Columna conſcriptam, iuſſu Reuerendiſs. P. F. Hyacinti Petronij Mag. Sacri Pal. Apoſt. vidi, cumq; in ea nihil compererim, quod pietatem, vel mores offendat: immo cunctis Medicinæ, ac rei herbariæ ſtudioſis vtilem, ac iucundam fore cognouerim, eamdem typis digniſſimam iudicaui. Romæ die 20. Octobris 1615.

Antonius Butius Fauentinus Ciuis Romanus,
Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctor.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Romanus, Mag. & Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri Socius, Ord. Præd.

ILL.MO ET REV.MO D.
IACOBO SANNESIO
S. R. E. CARDINALI
SVA OMNIVMQ; OBSERVATIONE DIGNISSIMO.

Fabius Columna Lynceus Perpetuam Fœlicitatem precatur.

QVANTI olim & vſus & precij Purpura fuerit, Ampliſs. Cardinalis, vel ſolus Plinius Hiſtoriæ ſuæ naturalis libro nono nos docere poterit, cuius hæc concepta ſunt verba: *Nepos Cornelius, qui diui Auguſti principatu obijt, Me, inquit, iuuene violacea Purpura vigebat, cuius libra denarijs centum vænibat, nec multo poſt rubra Tarentina.* Rectè ſanè, Nam & hodiè non ſolum magni Romæ æſtimatur, ſed & in veſtro ampliſſimo Senatu Purpuratorum, vtraquè Purpura tam violacea, quam rubra ſibi locum inuenit indumentis veſtris ſeruiens. Et rubra quidem quam Tyrium olim Tarentinamq; appellabant in quotidiano amictu iucunditatis vti, ſic maieſtatis profectò plurimum præſefert, In violacea vero quam Conchylium veteres dicebant, mœroris & grauitatis itidem ſigna eluceſcunt. Et quid mirum, cum antiquitus Romanorum quoque Procerum, Imperatorumq; veſtes purpureus color decoraret, vnde & leges extant ne Murileguli, ſic Infectores illi denominabantur, purpureo illo colore, ſacri muricis nomine indigitato, alias veſtes aut tingerent, aut Imperiales adulterarent.

Atque ſic quidem antiqui Conchylijs Purpuris, ſiue Buccinis

colorem hunc præſtantiſſimum effingebant, quibus poſtera ætas relictis, vel propter inſcitiam, vel maiorem impenſam, ignoro equidem, Cocco, & marino Bryo veſtes tingit purpureas, ſicut Tranſalpinam Galliam feciſſe Plinius refert: *Herbis*, inquit, *Tyrium, atque Conchylium tingit, omnesq. alios colores, nec quærit in profundo Murices.*

Verum cum ego ſtudiosè admodum rimarer quodnam eſſet Conchylium hocce ad Purpuræ tincturam aptum, illud tandem perquirendo inueni, innentum autem vt lucem aſpiceret commentariolo quodam meo enixè elaboraui. Eſt autem hoc Conchylium duorum planè generum ad Purpuram violaceam exprimendam aptiſſimum, quod ſub cuius nomine prodiret non diu hæſitaui; Tu enim, Cardinalis Ampliſſime, vnicus occurriſti, tum quia ſacra purpura veſtiris, tum quia in fulgentiſſimo illo Purpuratorum conſeſſu magni momenti negotia ſumma cum laude, omniumq. admiratione ſæpenumero tractas, tum etiam quando à grauioribus ſemotus aliquantulum curis animum refocillare intendis, naturalibus ſtudijs adeò delectaris, vt inſtructiſsimum nunc hortum tam exoticis, quam noſtratibus plantis habeas, ex quo cum purpureum illum elegantiſsimum, atque rariſsimum Hyacinthum nactus fuerim, quem tua humanitate fretus, quod tu ſolus illo Romæ potireris SANNESIVM nuncupaui, non abs re erit, ſi & hic cum Cochlea mea purpurea ad te confugiat, quam vel ſola vmbra purpuræ tuæ Cardinalitiæ fouere, & illuſtrare poteris. Quod vbi à tua benignitate impetrauero, neque Zoilorum mordacem dentem, neque inuidorum ſiniſtram mentem pertimeſcam; Quod ſi vero etiam gratum hoc meum ſtudium intellexero, gratiorem, ac feſtiuiorem alteram, ac rubram illam purpuram, quam indagare non deſino quamprimum ſub eodem tuo ampliſsimo nomine in ſtudioſorum gratiam proferre elaborabo. Interim te Deus Opt. Max. diutiſsimè incolumem præſtet, altioribus te honoribus reſeruans. Vale.

AV-

AVCTOR AD LECTOREM OSTRACOPTAM.

TESTACEORVM tractatio multiplici varietate periucunda, & vel ſola ipſa Purpura nobilis paucos quidem cum ex antiquioribus, tum ex recentioribus phyſicos detinuit, ex omnibus tamen qui de illis verba fecerint, neminem ipſa teſtis inhabitantia animalia conſideraſſe, variasq; eorum effigies tradidiſſe mirum ſanè videri poteſt; vt enim animaduertere incipimus, minimè paruifacienda eſt animalis ipſius imago & natura, ex cuius differentia etiam teſtæ differentiam prouenire eſt neceſſe. Obſeruauimus diuerſum in Cochlea, ac in Purpura animal variaq; varijs in teſtis, nec etiam ſimilia eſſe quæ in Cochleæ modo formatis teſtis, licet ſola magnitudine, vel colore tantum inter ſe eædem teſtæ differant, vt in Ianthina Cochlea, & alijs. Commune quidem habent turbinata omnia, quod limbo ſint prædita quodammodo ſimili quo gradiuntur, ſiue repunt, ceruice verò & alijs non ſolum à terreſtribus Cochleis differunt, ſed inter ſe etiam colore variare, manifeſtum eſt. Exponere igitur hic voluimus Purpuram rarioribus nonnullis teſtaceis adiunctis, teſtas ſimul, ipſaq; animalia in Phyſicam contemplationem adducentes, vnde illorum differentia innoteſcere poſſit. In his interim eam inſpice, & perpulchra fruere varietate, poſtmodum enim Deo dante in aliorum teſtaceorum obſeruationibus, quæ exhibituri ſumus, plenius quid videre licebit. Vale.

ELENCHVS.

DE Purpurateſtaceo purpuram fundente. Cap. I. pag. 1
Cochlea Ianthina cum Animali exactior icon, & hiſtoria. Cap. II. 12
Turbo exoticus vmbilicatus. Cap. III. 14
Buccinum paruum noſtras cum animali. Cap. IV. 14
Buccinum exoticum paruum. Cap. V. 15
Lepas exotica variegata, & Lepas noua Myrti morbus. Cap. VI. pag. 17
Turbo terreſtris non deſcriptus. Cap. VII. 17
Turbo alter minor. Cap. VIII. 18
Cochlea terreſtris turbinata, & ſtriata. Cap. IX. 18
Cochlea marina exotica marmorea. Cap. X. 18
Concha πολυλεπτογίγγλυμος. Cap. XI. 21
Concha rarior Anomia vertice roſtrato. Cap. XII. 23
Altera Neptunia maior III. imbricata. Cap. XIII. 24
Concha Anomia IV. margine vndoſa. Cap. XIV. 24
Concha altera Anomia ſtriata τρίλοβος rarior. I. Cap. XV. 24
Concha faſciata gemmea concretione repleta. Cap. XVI. 25
Concha exotica margine in mucronem emiſſa. Cap. XVII, 26
Concha natatilis νηριτώδης minima. Cap. XVIII. 28
Concha exotica vertice muricatim intorto. Cap. XIX. 29
Concha vtroque latere ſe colligens exotica. Cap. XX. 29
De Gloſſopetris Diſſertatio. 31

FA-


Purpura noſtras uiolacea
Cochlea Ianthina

FABII COLVMNAE LYNCEI

DE PVRPVRA, ALIISQ; TESTACEIS RARIORIBVS.

De Purpura teſtaceo, purpuram fundente, & eius animali. Cap. I.

PVRPVRÆ vox, ſiue nomen, ab Antiquioribus, non tam generis loco prolata, quàm ſpeciei, quin animal etiam teſtaceum genere diſtinctum, ex quo purpureus ille color eximebatur, eundemq́; colorem extractum pallore variantem complectens; Muricis etiam Conchylijsq́; denominatio, rerum atque vocum confuſionem apud recentiores peperiſſe videtur. Verum id Latinorum cauſa potius, quam Græcorum lectione contigiſſe patebit. Vt autem differentia vocum atque rerum innoteſcat, confuſio etiam diſtinguatur, Veterum Auctorum aliquot loca prius examinanda, & præponenda eſſe operæ prætium viſum fuit. Purpura igitur color, & Purpura teſtaceum animal, quod ſub nomine Conchylij, & Muricis ab antiquis acceptæ ſint apparebit: eaq́; nomina quando propriè, vel impropriè, aut in genere, vel ſpecie illi comprehenderint prius diſtinguere conabimur.

Conchylium tanquam ſummum genus Concharum, & Teſtaceo-

rum à Plinio vſurpatum, cenſemus, de Purpura loquente, cum ait:
Lib.9.c.36 *Lingua Purpuræ digitali longitudine, qua paſcitur perforando reli-*
Lib.2.c.99 *Li.2.Sat 4* *qua Conchylia.* Et de lunę poteſtate verba faciens, ait, *ideo cum incre-*
mento eius augeri Conchylia. Quod Horatius metro expreſſit, cũ ait.

Lubrica naſcentes implent Conchylia lunæ.

Et alibi, *Simul aſſis*

Miſcueris elixa ſimul Conchylia Turdis.

Lib.9.c 29 Plinius de Polypi natura, *Veſcuntur Conchyliorum carnes, quo-*
Lib.9.c.10 *rum conchas complexu erinium frangunt.* Idem de Teſtudinibus lo-
quens, *In mari Conchylijs viuunt, tanta oris duritie, vt lapides com-*
Lib 9.c.17 *minuant.* Et alibi, de Mullis inquit: *Laudatiſſimi Conchylium ſa-*
Lib.6.c.21 *piunt.* Et alibi, de Indiæ Inſulis: *Bibaga oſtreis & Conchylijs referta.*
Quamquam & hæc inferiora loca pro turbinatis tantùm accipien-
da ſi quis eſſe dixerit, medium genus conſtituere viderentur. Nos
verò pro inferiori genere Turbinatorum, ſiue Concharum purpu-
Lib.8 c.48 ram fundentium, ab eodem Plinio Conchylium acceptum puta-
mus, cum inquit, de lanarum generibus, & tinctura diſſerens. *De*
Lib. 6. *reliquarum infectu ſuis locis dicemus, in Conchylijs marinis, &*
herbarum natura. Apud Lucretium de rerum natura:

Purpureuſque color Conchylij iungitur vnà,
Corpore cum lana.

Et Catullus de nuptijs Pelei, & Tetidos:

Tincta tegit roſeo Conchylis purpura fuco.

Lib.7.c.13 Sic etiam Vitruuius antiquior Plinio, Conchas, ex quibus oſtrum
præſtantiſſimum omnium purpureorum colorum arte conficieba-
tur appellauit; cum inquit: *Id autem excipitur ex Conchylio ma-*
rino, quo purpura inficitur &c. additque modum præparationis, &
in fine nominis rationem afferens, inquit: *Et quod ex Concharum*
marinarum teſtis eximitur, ideo oſtrum eſt vocitatum. Apod Poe-
tas etiam Oſtrum color eſt purpureus, vt apud Iuuenalem:

Sat. ij. *Et Princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.*

Eundem colorem Virgilius ſerranum dixit;

Et gemma bibat, & ſerrano dormiat oſtro.

Sed Vitruuius tamquam Latinus omiſit verum Oſtri etymon, quod
non eſt latina deriuatione factum, ſed græca: teſtas quidem ſiue
Cõchas marinas generis appellatione Græci dicunt, ὄστρεα, & ὄστρεια,
ex quibus *Oſtrum* latini purpureum colorem, & oſtracium ex Oſtrea
dicunt. Græcos verò, ex ὀστέον, quod eſt, *os*, quia oſſium ſit duri-
tie marina Concha etymon ſumpſiſſe putat Euſtathius; ſicuti Lati-
nos

nos à teſtarum duritie, teſtas. Athæneus lib. 3. cap. 12. tanquam generaliſſimum acceptum refert, cum ait, Soleniſtræ dicebantur, qui huiuſmodi oſtrea colligebant, vt inferius narrat ſcilicet Soleniſtrum captura. Conchylium pręterea infecturæ genus propriè dici, & à Plinio ſic etiam vſurpatum ſatis eſt manifeſtum, vt nos exiſtimamus; de infectura quidem coloris Amethyſtini, & Cocci loquens ait: *Et cum confecere Conchylia, tranſire melius in Tyrium putant. Amethyſtinus quidem color fiebat eodem auctore, permixtis Pelagio, & Buccino ſimul, aitq; ſumma medicaminum in libras Vellerum Buccini. cc. Pelagij cxi. ita fit Amethyſtinus color eximius ille.* & alibi ait: *Concharum ad Purpuras, & Conchylia eadem quidem eſt materia, ſed diſtat temperamento, Duo ſunt genera &c.* Temperamenti differentiam idem docuiſſe videtur inferius, cum ait: In *Conchyliata veſte cætera eadem ſine Buccino, præterq; ius temperatur aqua pro indiuiſo humani potus excremento, dimidia & medicamina addũtur ſic gignitur laudatus ille pallor, ſaturitate fraudata, tantoq; dilucidior, quanto magis vellera eſuriunt.* Conchylium etiam pro colore intellexiſſe putamus ſupra de purpuræ differentia, teſtaceo ſcilicet animali ad tincturam apto, ibi: *Calculoſæ appellantur à Calculo maris, mire apto Conchylijs.* Et ſuperius: *ſed vnde Conchylijs pretia, quis virus graue in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari?* Et antea dixerat: *Sed quota eſt portio hæc repu-tantibus purpuras, Conchylia, margaritas? parum ſcilicet fuerat in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore à fœminis iuxta viriſque geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? Quid undis fluctibuſque cum Vellere? &c.* Et de Carthagine loquens alibi: *nunc omnis eius nobilitas Conchylio, atq; Purpura conſtat.* Et alibi, de coloribus ex herbis loquens *Tranſalpina Gallia herbis Tyrium, atq; Conchylium tingit, omneſq; alios colores, nec quærit in profundo Murices.* Quod autem non ſit aliqua Conchæ, ſiue turbinati ſpecies ad purpuram inficiendam apta, quæ proprio nomine Conchylium ſpecialiter, diuerſumq; à Purpura, & Buccino dicatur; iam ſatis ex ſupra recitatis locis conſtare cenſemus: veluti & hoc manifeſtum eſt, quod Conchylium nomen ſit genericum Teſtatorum, ſcilicet Purpurarum, aut proprium coloris illius purpurei dilutioris Conchylium appellati, vt ex capite trigeſimoſeptimo, ac etiam præcedenti patet, in quo Plinius clare docuit duo tantum eſſe genera Teſtaceorum ad purpuras, & Conchylia colores, vtilia, Buccinum ſcilicet, & Purpuram, illorum notas afferens; atque eandem

Lib. 9. c. 41
Lib. 9. c. 38
Lib. 9. c. 36
Lib. 9. c. 39
Lib. 9. c. 36
Lib. 9. c. 34
Lib. 5. c. 19
Lib. 22. c. 2

dem eſſe materiam. At purpureum à Conchylij colore, temperamento tantum differre: & quod ex Purpura ſolum, abſque Buccino conficiatur: nec non Pelagiam Purpuram ad hunc colorem optimum conficiendum præferri, quæ calculoſa dicebatur; nam tenienſe leuius, atque dilutius erat nimis. Præterea pro quouis genere colorum, nulla alia materia recenſetur à Plinio, niſi Purpuræ, & Buccini Concharum ex marinis, nec vnquam Conchylij animalis ſiue teſtacei ſua ſpecie diſtincti notas, vel hiſtoriam apud aliquem Antiquorũ hucuſque deſcriptam reperimus. Conchylij vero proprius color, qui cæruleus erat, dilutior, vel plenior ab eodem Plinio deſcribitur ſimul cum alijs purpureis colore ſaturatiore variantibus,
Lib. 21. c. 8 cum de veſtium æmulatione cum floribus hiſtoriam recitat; ibi: *In quibus vnguento viciſſe naturam gaudens luxuria, veſtibus quoque prouocauit, eos flores, qui colore commendantur, hos animaduerto tres eſſe principales. Vnum in Cocco, qui in Roſis micat. Gratius nihil traditur aſpectu, & in Purpuras Tyrias, dibaſaſque, ac Laconicas. Alium in Amethyſto, qui in Viola: & ipſe in Purpureum, quem Ianthynum appellauimus. Genera enim tractamus, in ſpecies multas ſe ſe ſpargentia. Tertius eſt, qui propriè Conchylij intelligitur multis modis: Vnus in Heliotropio, & in aliquo ex his plerumq; ſaturatior, Alius in malua, ad Purpuram inclinans, Alius in Viola ſerotina, Conchyliorum vegetiſſima.* Ex qua deſcriptione purpureum colorem eſſe dicimus, qui magis
Lib. 9. c. 36 ad rubedinem tendit, ſaturo ſatis colore, vt Roſæ Purpureæ: quem alibi nigricantis roſæ colore ſublucentem dixit. alium dilutiorem, vt Violæ marinæ præcocis, quæ Ἴον dicitur à Græcis. Altera verò ſpecies pu rpuræ illa videtur, quæ ex rubro magis ad caruleum tendit dilutum, & dicitur propriè Conchylium, vt Heliotropij color, vel purpureæ maluæ, aut magis obſcurum, vt Violæ ſerotinæ, quod
Li. 4. Geor. eſt Violæ purpureæ montanæ, de quo Virgilius:

—— *Violæ ſublucet purpura nigræ.*

Qui alibi à Plinio Auſterus color in Glauco, & iraſcenti ſimilis mari dicitur. Colorem hunc Conchylij ſine Buccino fieri tradit idem Plinius, ea ratione, quia Buccinum ad rubedinem Roſæ, aut Cocco ſimilem ferè tendit: Purpura verò magis Violaceam emittit ſaniem; ideo leguntur verba illa in Plinio: *rubens color nigricante deterior,* deinde Pelagio alligari Buccinus, vt ruborem inducat, ea ratione, quia nimiæ eius nigritiæ dat auſteritatem illam, nitoremq; qui quæritur Cocci, vt ſanguinis concreti ſpeciem referat. Color

iſte

iſtè Tyrius dicebatur, qui vt melior eſſet, prius conchylia conficiebantur, Pelagio ſatiatis velleribus immatura, viridiq; cortina, non ſatis cocta, ne nimis euaderet nigricans Conchylium, deinde in Buccini cortinam permutabatur, vt ruborem ſuperacciperet, atque ita permixtis viribus vtriuſque, alter altero excitaretur colore, aut adſtringeretur, vt idem refert. Conchylium poſtremò dictum fuiſſe colorem hunc, ea ratione videri poteſt, vt ſicut oſtrum, ab oſtraceis deriuatum eſſe exiſtimatur, ſic Conchylium à Conchis, vel Conculis marinis, quod Etymon Iſidorus habet. Et apud *Libr. 19. Orig. c. 28.* Græcos κογχύλιον etiam pro omni teſtaceorum genere, maxime eſco, apud Pallucem dictum inuenitur Sed Clarius apud Athæneum lib. 3. ex Epicharmo, ibi, ἄγε δή, παντοδαπὰ κογχύλια λεπάδας &c. *Lib. 6. c. 19* *affer omnigena Conchylia lepades &c.* & inferius ex Diocle κράτιστα φησὶν εἶναι τῶν κογχυλίων πρὸς διαχώρησιν καὶ οὔρησιν, μύας, ὄστρεα, κτένας &c. *Ex Conchylijs excellere ait aluo mouendo, & lotio ciendo, mytulos oſtrea, pectines &c.* & inferius: *Conchyliorum firmiſſima Conchas purpuras, & Buccinum.* Ex his denique reijcienda eſt eorum opinio, qui Dioſcoridis teſtimonio vti volunt ex Onychis hiſtoria decerpto, vbi, *Crematum*, inquit, *Conchylium idem efficit, quod purpura & Buccinum.* Et ſic eſſe ab illis animal ſiue Teſtaceum diſtinctum; ſed nos à Purpura & Buccino diſtinctum Conchylium hoc eſſe Dioſcoridis putamus, non quia ſpecie differat, cum ſit genus Concharum, ſiue Turbinatorum: ſed quia ſit *genus Paluſtre*, non marinum, ſitque *aromaticum*, vt idem refert: *depaſcentibus illis Conchylijs nardum herbam*: quod Purpuram, & Buccinum haud facere quiſquam refert. Nec minus quam alij hoc loco Dioſcoridem Conchylium pro genere Concharum, ſiue Turbanatorum vſurpaſſe cenſemus, vt ex ipſius hiſtoria liquet, & alibi etiam, cum inquit, καὶ πάντα τὰ κογχύλια ὠμὰ καὶ ὀπτὰ ἐσθιόμενα, καὶ τὰ ἔφθα. Et omnia Conchylia, cruda, quàm toſta comeſa &c. *Lib. 6. de Dorycnio* Adde, Lacuſtres Conchas ſiue Turbines ad tincturam aptas nemo antiquorum prodidit, quare differre à marinis infectorijs patet, ſicut generis eſſe nomen: non mirum igitur ſi *Onychen* eandem à Plinio *oſtracium* dictam inuenimus, græco forſan more, ex verbo, *oſtracea*, quod vniuerſa teſtacea complectitur, ἀπὸ τοῦ ὀστρακοῦ deductum: ſicuti *oſtrum* dici purpureum colorem, à Teſtis marinis latinè, ex Vitruuio iam retulimus: eaſdem vires crematis operculis paluſtris Conchylij indici Dioſcorides reliquis Marinis Purpuris tribuit. ſic etiam male intellectus Plinij ſenſus in textu adducto ab ijſdem dici poteſt, ibi, *& perſe Conchylio infecta*

lana

Lib.2.c.83 *lana magnopere prodeſt*, aurium ſcilicet malis, vt etiam apud Galenum κατὰ τρόπους κροκίδα τῆς πορφύρας, ſiue κογχυλίν & apud Dioſcoridem, τὸν δὲ αὐτὸν τρόπον, καὶ κροκύδες καίονται θαλάσσιας πορφύρας. *Eodem*, ſcilicet, *modo vruntur lanæ marina Purpura infectæ*, ſiue, *lanæ flocci*. illud κροκίδες, idem cum lana Conchylio infecta Plinij. Nec etiam Conchylium à Plinio Buccini loco acceptum putamus, vt alij: ſed potius pro ipſa Purpura, ex qua tingitur, cum purpura ſine Buccino non rubeſcat, & ad Cæruleum tendat, vt ſupradiximus de Pelagijs,

Lib.9.c.37 calculoſis dictis ab eodem Plinio, qui varias Purpurarum ſpecies recitat ibi; à loco nomine deſumpto. Quare de Conchylio iam ſatis dictum cenſemus. Sed non minor in Muricis nomine obſeruatio facienda eſt, vt quid ſit propriè, quomodo ſit a Plinio aliiſque acceptum, & quid differat à Purpura, vel Buccino innoteſcat. Murex no-

Lib.9.c.25 men pro communi genere teſtatorum omnium à Plinio vſurpatum, ex Mutiani verbis liquet, de Remora loquens, ibi: *Mutianus Muricem eſſe latiorem Purpura, neque aſpero, neq; rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice concha, vtroq; latere ſe col-*

Lib.9.c.33 *ligente*. Et alibi pro Turbinatorum genere, *Firmiores iam teſtæ murices, & concharum genera*. Et pro turbinatis ad infecturam

Lib.22.c.2 idoneis, ibi, *nec quærit in profundo Murices*. Et alibi, dixit, Muri-

Lib.32.c.7 cum, vel Cōchyliorum teſtæ cinis, &c. quo loco Murex pro Buccino, atque Conchylium pro Purpura, vel Murex pro Turbinatis, & Conchylium pro vniuerſis Conchis acceptum videri poteſt. Et paulo inferius, Muricum generis ſunt, quæ vocant Græci, Colycia, vel Co-

Lib.9.c.37 rythya, nos Corycia legeremus à verbo κορύκια. Quod autem Muricem Plinius pro Buccino dixerit, ſatis manifeſte apparet, cum de Purpuris loquutus eſt, *latent ſicut Murices*, qui locus ex Ariſtote-

Lib.5.c.51 de nat. Animal. le tranſcriptus habet pro verbo; *muricis*; κήρυκες, ibi, τὰ μὲν γὰρ ὀστρα- κόδερμα πάντα φωλεῖ, οἷον τά τε ἐν τῇ θαλάττῃ πορφύραι, καὶ κήρυκες. vt etiam inferius habetur, *mutuoque attritu lentorem cuiuſdam Ceræ ſaliuãt*,

Lib.9.c.51 *ſimili modo & Murices*. Ariſtoteles habet, κηριάζουσι γὰρ καὶ οἱ κήρυκες, & idem Plinius de ortu Teſtaceorum habet: *Quæ durioris teſtæ ſunt, vt Murices, Purpuræ, ſaliuarum lentore* & inferius *Purpuræ & Murices eiuſdemque generis vere pariunt*. Apud Poetas pro qualibet acuminata re acceptum reperimus Muricis nomen. Virgil.

—— *& acuto in murice remi*

Obnixi crepuere

Lib. 21. c. 83. Inde muricatum nomen Plinius tribuit Syluestrium Carduorum cacuminibus, cum dixit; *Vtrique folia pauca ſpinoſa, muricatis cacu-*

mini-

minibus. Quare impropriè Buccino Muricis nomen impoſitum videtur, cum propter aculeatos ſiue muricatos orbes, & extuberantes, quos habet Purpurarum genus, qui non ſunt in Buccino, vt idem Plinius ait, potius Purpuræ conuenire ſit dicendum, etiamq; Muricis epitheta omnia ab Auctoribus tributa Purpuris conuenire pateat, ſicuti Purpura Tyria apud Poetas; vt Ouidium:

Nec qua de Tyrio Murice lana rubet.

Et Horatius.

Muricibus Tyrijs iteratæ; vellera lanæ.

Et alibi.

Te bis Afro Murice tinctæ veſtiunt lanæ.

Tyrius color Purpureus à Plinio diphaba purpura dictus eſt, quia bis tingebatur, & Pelagio primum vellus mergebatur, quo nomine Purpura intelligitur, alio nomine Pelagia, vt diximus ex eodem Lib. 9. c. 37
Plinio, vnde Tyrius Murex eſt Purpura in Tyro tincta ex Tyrijs & 38.
Muricibus, ſcilicet Purpuris. Sed & Murex Tyrius pro colore ipſo acceptum fuiſſe patet, vt etiam apud Virgil.

Tyrioque ardebat Murice lana

Nomenclator Latinus in verbo, Murex, Muricem à græcis Conchylium dici putat, eſſeque Purpuræ ſpeciem menſis expetitam, ad id Martialem citat, qui ait:

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non eſt hoc ſatis eſca ſumus.

Et Iſidorus refert; Murex Cochlea eſt maris, dicta ab acumine & Libr. 12.
aſperitate, quæ alio nomine Conchylium nominatur, propter quod orig. cap. 6.
circumciſa ferro, lacrymas coloris purpurei emittat, ex quibus purpura tingitur & inde Oſtrum appellatum, quod hæc tinctura ex teſtæ humore elicitur. His igitur iam ſatis aperte oſtenſum fuiſſe arbitramur, Conchylium & Muricem eſſe Purpuræ ſynonima, quorum alterum à Conchis nomen, alterum ab aculeis, qui alio nomine Murices dicũtur, ſumpſiſſe apparet. Purpurę verò appellatio non ſolũ pro ipſo teſtaceo animali aliquando accipi, ſed etiam pro ipſa tinctura, & colore vt à Plinio, ibi. *Sed quota hæc portio eſt reputãtibus* Lib. 9. c. 35
Purpuras, Conchylia, & Margaritas? & alibi *Conchylia, & Purpu-* ibid.
ras omnis ora atterit, & de Cartagine, *Nũc omnis eius nobilitas Con-* Lib. 5. c. 19
chylio, atque purpura conſtat. Et alibi, de purpureo colore pingen- Lib. 35. c. 6
do verba faciens: *Si Purpuram facere malunt, Cæruleum ſublinunt, mox purpuriſſum ex ouo inducunt*. Purpuriſſum verò eodem auctore, fit ex creta argentaria, & purpuræ ſanie, quod idem cum

oſtro

Lib.9.c.36 Oſtro Vitruuii eſſe videtur. Et alibi manifeſtius: *Concharum ad Purpuras, & Conchylia eadem eſt materia, ſed diſtat temperamento*, vt ſupra retulimus. Quid autem diſtet Purpura à Conchylio nunc videndum, nam etiam obiicitur, Plinium diſtinxiſſe Purpuram à Conchylio, cum inquit; *Sed quota hæc Portio eſt reputantibus Purpuras, Conchylia, & margaritas?* & alibi: *Conchylia, & Purpuras omnis ora atterit*, & ſimilia aliis locis. Quibus reſponſum iam eſſet ex ſupra memoratis obſeruationibus, ſed diſtinctius, vt omnia ſint clara, addimus: Purpuram his locis à Conchylio eſſe diſtinctam, non materia, quæ eadem eſt, [vt idem Plinius, retulit, cùm dixit: *Concharum ad Purpuras, & Conchylia eadem eſt materia*.] Sed colore, nam, vt diximus, Purpura rubeſcit, Conchylium ſimile violæ cæruleæ: Adde, Purpureo colori admixtum eſt Buccinum, quo carere aſſeritur Conchylium; ſed aliis locis à Conchylio diſtinguitur tanquam ſpecies à genere, vt cum idem Plinius dixit: *Lingua Purpuræ longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua Conchylia*; & ſimilibus. ibi, *Conchylia*, genus eſt, non modo Turbinatorum, ſed etiam Concharum omnium. Hac denique diſtinctione facilior remanet Purpuræ animalis inueſtigatio hucuſque à nemine traditi, ſed nec forſan à quopiam recentiorum viſi, quamuis illius hiſtoria ſatis ab Ariſtotele, & Plinio deſcripta inueniatur, quam hic inſerere, & repetere multum, moleſtumque eſſet. illas tantum notas recitabimus, quas in Teſtaceo à nobis propoſito obſeruare licuit. Teſta hæc parua eſt, regiæ nucis adhuc carnoſo tegmine obductæ magnitudine, quanquam eiuſdem generis inanes teſtas quadruplò maiores habeamus, atque maximas aſperiores, à vulgari Purpura Rondeletii, quæ Neapoli *Sconciglio* appellatur in his differens, cortice quippe rugoſiore, colore fuſco, aut cinereo, veluti limo obducto, quandoque flauicante, & faſcijs diſtincta, obliquè purpuraſcentibus, turbinis effigie oblongiore, ac etiam anguſtiore, eo quod non ſit ita ventricoſa: aculeis illis, ſiue muricibus longis caret, verum illorum vice, breuibus & craſſioribus horret tuberculis, quo etiam modo, & aliquæ teſtæ ſupradictæ Rondeletii Purpuræ non rarò inueniuntur; non enim omnes illius generis teſtæ longioribus clauis horridæ obſeruantur, ſed breuibus admodum tuberculis, vt in noſtra propoſita. Differt etiam, quia breui admodum tubulo, vel Canali oris pars ſuperior definiatur, vt in Buccino, ſed circa Columellæ partem aſpero, & auriculato, vel vmbilicato, à tribus vel quatuor prominentijs, quæ antea tubuli, ſiue cana-

Lib.4.de not. animal.cap.4. & lib. 5.c. 15.lib.9.c. 36. & inde.

les

les, ex qua lingua ad vſum proferebatur, fuere. Ab his dependent tuberoſæ, atque parum muricatæ ſtriæ, teſtam per longum exaſperantes, vt in extrema oris margine, qua teſtæ os definitur, obſeruatur: quibus ſignis, illius annos numerari poſſe cenſemus, quamuis orbes Ariſtoteles, & illum ſequutus Plinius velint eſſe, cum dixit, *patet per orbes, quibus totidem, quot annos habent*. Non enim *Lib.5.c.15* ex orbibus, quibus clauiculatim contorquentur teſtæ omnes, anni *Lib.9.c.36* earum obſeruari debent; cum, nos totidem orbes, & quandoque plures habere paruas & exiguas eiuſdem generis teſtas, quos maximas habere obſeruauerimus in pleriſque turbinatorum generibus ſi orbis nomine, quamlibet orbiculatam ventrioſam partem clauiculatim intortam teſtarum eſſe dicas, vt græcè legitur, καὶ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις τοῖς διαστήμασι, τοῖς ἐν τῷ ὀστράκῳ τῆς ἕλικος. & latinè, *& in ſingulos annos manifeſtum eſt incrementum diſtinctionibus illis in teſtaceo volutarum*. Nos autem, quot habent diſtinctiones in volutis, quæ ab antiquioribus oris, ſiue canalis ad linguæ vſum extuberantijs ortum ducunt per longum volutarum, tot annos habere certiorem notam eſſe putamus. In Rondelitij Purpura clauata, quamlibet muricatam ſtriam anni illius incrementum apertius oſtendere dicimus. In Buccino vero ſtriato, ac etiam in turbine magno eiuſdem, quem nos Plinij Buccinum cenſemus, & in vulgari Buccino manifeſtius apparet augmentum teſtæ, ob leuitatem, & laxiorem, minuſque frequentem limboſam extuberantiam; quæ dimidium ferè ſingularum volutarum orbem intercipere obſeruatur: Huius limboſæ maioris extuberantiæ cauſam eſſe putamus, quia cum ſtatuto tempore quotannis lateant Conchæ, ſcopulis oris margine adhærente, vis illa teſtæ incrementum addens, compreſſu adhærentiæ ſaxo, non poteſt marginem oris teſtæ producere in orbē, quare craſſeſcere circa extremū oris oportet. Manifeſtum eſſe apparet, quia non paucas habuimus teſtas villoſas omnes, præter recentem illam additionem ex anni præteriti diſtinctione, quæ leuis & nitida erat, nouumq; incrementum eſſe nemo ambigit. Atque ex hac obſeruatione non tantum annos ſeptem Purpuras viuere, ſed bis ſeptem, & plures eſſet cenſendum. Buccinas verò ob celeriorem auctionem, & laxiores diſtinctiones, pauciores. Nec obſtat Ariſtotelis & Plinij auctoritas, cum teſtæ omnes, vt diximus, paruæ, atque maximæ totidem habeant clauiculatos orbes; magnitudine illorum annoſæ ab infantibus differentes, nec habitu, aut proportione variantes. immo in exiguis quandoque plures orbium an-

fractus obſeruauimus, quos deinde atteri ob tenuitatem, alijs ſupercreſcentibus cenſemus, ob animalis volutationem, & teſtæ imbecillitatem. At mediocris magnitudinis teſtæ non minores orbes habent maximis, quod ſi id eſſet, longioris turbinis eſſent maiores paruis, quod contra obſeruatur, cum omnes eundem orbium numerum, & ſuam ſymmetriam retineant. Cauſa eſſe poteſt, quia teſtæ, quæ breui, & obtuſo turbine ſunt, & effigie ventrioſæ, oris marginem producendo, non gradatim in clauiculæ ſpeciem, per inferiorem orbem aſcendunt, ſed per eundem orbem pluries circumaguntur, deſcendendo potius, quam aſcendendo, vt ventrioſiores efficiantur, non longiores. Teſtæ verò, quæ magis oblongo ſunt turbine, aliæ bis eundem orbem ambiunt, aliæ ſemel tantum, vt ſunt Turbines illi tenues digitali craſſitie, qui detectos habent orbes, atque in Perſico turbine à nobis alias exhibito, & alijs Turbinibus vetrioribus apparet. Qui Conchas Perſicas, Cochleam Rondeletij maximam rugoſam, Muricem coraioidem eiuſdem, & ſimiles obſeruarit, illarum oris marginem imam, circa orbem leuem inueniet, atque orbem magis operientem, ita vt annis, potius obtuſiore Turbine annoſior teſta, minuſque conſpicuo inueniatur: quare fallax eſt

Deſcriptio orbium numerus ad obſeruationem annorum. Sed ad teſtam redeamus propoſitam. Intus læuis eſt, vitri modo ſplendens, colore obſoletè purpureo, vel cæruleo, aut flauicante, oblique percurrentibus purpuronigris maculis ex oris margine in interna ventroſa parte. Operculum habet rugoſum, tenue fuſcum, animalis capiti annexum, & innatum, incrementum accipiens cum ipſo animali, nota eſt, rugoſa ſuperficies orbiculatim. Animal continet effigie Cochleæ terreſtris carne flauicante, denſis maculis ex cæruleo purpurantibus depicta alijs exiguis luteis immixtis præſertim in ceruice. Corniculis verò à terreſtri Cochlea variat: huius quidem in acutum deſinunt, & oculi non in ſummo, vt in terreſtribus, ſed ſupra medium corniculorum obſeruantur, vbi cornicula veluti reſecta per longum tenuiora efficiuntur. Oculos verò aliquando tueri corniculis ſupra illos incuruatis, vt in pictura notatur, obſeruauimus, ac etiam partem illam ſupra oculum corniculorum contrahere, vt non niſi reliquum appareat in oculos deſinens craſſius: at quando intueri putatur, recta, tota exerta, & firma cornicula extenſaq; habet. Differt etiam, quia linguam ex canali exerit parum extra canalem cochleis deficientem, colore purpureo, & ab illa aquam expuere vidimus, fiſtulæ modo contrahentem, branchiarum vicem

explen-

explentem. Cum graditur limbo vtitur extenſo vt Cochlea, corpus deinde contrahens, iterumq́; limbum producens, quem latum habet. Teſtam aliquando gaudet circumagere, illam in totum extollens, corpore in baſis modum ad hoc elato. Colore tantum obſcuriore differt ab alijs vulgaribus aculeatis Purpuris Rõdeletij, dictis etiam *Sconcigli ſpinoſi* vulgò, ſicut & hæc etiam *Sconciglio* appellatur, ſed alijs diſtinctius vulgò, *Caroſa* nomine dicitur, quaſi ſpinis detonſa, & carens; quam copioſè Neapoli propè Vrbem in arenoſis Piſcatores venantur, pulmonum fruſtulis, iunceis cratibus ſuperimpoſitis allicientes, vt Ariſtoteles olfacere cenſuerit. Hanc littoralem potius in arenoſis degentem, quamuis in profundo mari, diceremus Purpuram purpurocæruleum colorem fundentem: ſed quare non omnes Purpuram fundant eiuſdem generis, & eodem tempore captæ inter quamplurimas, quæ toto anno capiuntur, & ſemper aliquæ colorem habeant, hucuſque ignorare fatemur. Venales habentur in foro quotidie, cibis quidem expetuntur, elixæ ac toſtæ, vel alijs modis. Capiuntur etiam prope Miſenum Promontorium in Puteolano mari, loco nunc vulgò, *Mare mortuum* appellato, vbi maris æſtus non recipitur, portuſque cenſetur olim ab Agrippa, & Auguſto conſtructus. Huius tantum teſtæ effigies ab alijs recentioribus vario nomine impoſito conſpicitur depicta, à nemine verò hucuſque interno animali obſeruato, nedum purpuream ſaniem fundente. Plinius Puteolanas Purpuras laudat, an de his intellexerit, aliorum ſit iudicium. Capiuntur etiam toto maritimo tractu auſtrali in ſinu Formiano olim dicto, nunc Molæ oppidi, vbi primum in menſa toſtas eſitantes Purpuram fundere, & digitos, & linteos inficere obſeruauimus, Harum vſum ſicuti Buccinorum non tantum propter inſcitiam, ac magnam impenſam & moleſtiam neglectum putamus, ſed ob maximam Fuci copiam, quam vulgus, *Roccella*, denominant, quo nunc infectores pulcherrimam Purpuram conficiunt, ſericia inficientes, varijs colorum gradibus, minore labore, ac impenſa, & maximo lucro, tantumq́; nobis hodie cum eſca ſint, non poſſunt Martialis exprobationem recitare, cum inquit: *Locus i*

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas.
Induis, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

Tarenti hucuſque accepimus officinarum veſtigia Purpurariorum

 conſpi-

conſpici, atque etiam ex Teſtarum fragmentis aceruos eſſe, quæ olim forſan, vt Plinius refert, Augusti tempore fuere Nepotis Cornelij teſtimonio, ibi: *Me*, inquit, *iuuene violacea Purpura vigebat, cuius libra denarijs centum veniebat, nec multo poſt rubra Tarentina.* Rubẽs color nigricante deterior, à Plinio dicitur, niſi color ſit nigricans aſpectu ſanguinis concreti, qui non ſine vtriuſque Purpuræ, & Buccini mixtura fieri poterat, qua vel Amethyſti, vel Tyrij iuxta medicaminis quantitatem color fiebat, vt idem Plinius retulit.

Lib.9.c.29

Lib.9.c.38 & inde.

Cochleæ, Ianthinæ cum Animali exactior icon, & hiſtoria. Cap. II.

DEpinximus, atque deſcripſimus hanc, à nobis alias obiter obſeruatam Cochleam, minus rectè: nunc autem anno 1609, in oppido dicto, *Torre della Nuntiata*, in Veſuuij montis radice ad maris oram inter Pompeianum, & Stabij ruinas, Maio menſe flantibus occidentalibus, maximoq; maris impetu illic æſtuantibus vndis, abiectas inter alia, Cochleas multas, ex his adhuc viuentes colligi curauimus: Maris aqua repleto quodam vaſe, conchiſque iniectis, vt viuere poſſent, illarum animal obſeruauimus prodiens: Ab omnibus Cochlearum terreſtrium, & maritimarum animalibus reliquis, quas hucuſque vidimus, huius animal valdè differt. Huic penis arrecti facies eſt, glandem habens, in cuius extremo fabam exprimit, rimam pro ore in medio fæmininum fere ſexum referens, rubeſcente magis interna parte, cum reliquum animal ex obſoleta cærulea Purpura candicet: circa medium vtrimque appendices habet binas, quarum altera exterior maior, earumque acies magis ſaturo colore purpuraſcunt. Ima pars animalis prope teſtam rugoſa eſt, & denique limboſa vt in Congeneribus, non tàm oblonga, nec acuta, ſed rotundior; ſub qua copioſam, extuberantem ſatis, atque veluti cartilagineam ſpumam vitream fundebant omnes, non ſecus ac aqua diluto ſapone multo, & concuſſa, atque paleæ, vel alterius rei exigua fiſtula intincta, & inflata paulatim euenit, vt puerorum mos eſt Neapoli, qua ſpherulæ veluti vitreæ inflantur, & denique à fiſtula dimittuntur ex feneſtris. iocum non iniucundum, Copioſum ſponte euomunt Cochleæ iſtæ ſuccum purpureum violaceum, vt ſeipſas inficiant, & colligentium manus: & paxillo, vel acu ſauciata animalis ceruice tres aut quatuor guttæ ex teſta decidunt, & quicquid tangunt inficiunt, purpurocæruleo colore admodum

Purpura noſtras uiolacea



Cochlea Ianthina



dum hilari,vt nihil ſupra commendari poſſit; carta vel album aliud lineum infectum, quandoq; variat maculis colore ad rubrum inclinantibus, adeoque infectura hæret,vt vix lotione eximi queat, vnde & ipſa teſta infecta reperitur, quæ, vt diximus alias,tenuis eſt, circa imas volutas candicante, tribus tantum volutis conſtructas, limbo circa vmbelicum elato admodum, quod nec in alijs Cochleis obſeruatur, & ab illis differre hac etiam nota conſpicitur.

Turbo Exoticus vmbilicatus. Cap. III.

HVnc Romæ apud quendam induſtrium hominem cum alijs non negligendis teſtis vidimus,atque raritate allecti iconem delineauimus, notaſque addidimus. Differt ab alijs,recentiorum, & à me deſcriptis quod obtuſus ſit cacumine,circa medium tenuior, deinde æneæ nolæ effigie in latitudinem ſe diffundens, atque, quod præcipuum huic eſt, in medio vmbilicatus. Craſſa eſt teſta, grauis, cortex ſuperior rugoſus, candicans ad pallidum vergens; maculis obliquis roſeo colore variegatur tam circa vmbilicum, quam in reliquis volutis:deraſus,vel cortice extimo mundatus,argenteo Margaritarum nitore quodammodo ſplendet, non admodum, vt in paruis noſtratibus, nitido. Quinque voluminibus definitur, inter quas veluti limbus apparet, ſimilis quodammodo Turbo hic videtur pyramidali Trocho Aldrouandi, ſed illius nulla extat delineatio, nec vmbilicus apparet. triunciali diametro quoquo verſu,vt æquilaterum retuſis angulis trigonum repræſentare videatur.

Buccinum paruum noſtras cum animali. Cap. IV.

BVccinum hoc frequentiſſimum in noſtris ſcopulis littoralibus Neapoli, & in foro Piſcatorio, nam eſculentum eſt, atque cibo gratum,faciliſque digeſtionis. Huius animal magnum eſt reſpectu teſtæ; caro ex flauo albicat, corpus variegatum obſcuris micis purpureis & infernè parum ad cæruleum tendens, limbo vt Cochleæ, graditur lato in extrema poſteriore parte biſulco, veluti infectum caudato; Ceruix craſſa eſt, lata, in cuius lateribus cornicula,vt in Purpura diximus in medio veluti reſecta,in quibus oculi eodem illo modo inſunt, atque natura: linguam habet longam admodum canaliculatam, ex qua aquam hauſtam expuit, & cum graditur elatam gerit, & incuruam ex aduerſo. Conuoluitur confeſtim

quo-

quoquo verſu, & ſupinè cum impetu quodam, inter alia congenera manens in catino repoſita, & viuens, ignoramus an præ timore contactus aliorum. Teſta leuis eſt, parua, & obeſo admodum ſuperiore orbe, pollicis ad ſummum magnitudine, flauicans: ſed circa volutarum imum caſtaneis notis diſtincta, reliquum verò teſtæ variegatum, vndoſis candicantibus parum lineis. Centri pars celata conſpicitur, vt ſunt Turbinuli illi ſtriati oblongi, quare obſeruandum eſt, an minimæ alia ſint effigie; operculum animal habet, vt congenerum, & mortuo, vel euanido animali aliqua de cauſa, vacuam teſtam Cancellus hoſpitatur, vt etiam in varijs teſtis obſeruatur. Natatilis teſta eſt cum ipſo animali, ac etiam cum Cancello in aqua impoſita, & Cancelli pes maior eſt ſiniſter. Amplo eſt ore Teſta, atque parum in extremo ſtriato. Si quis Neritem hanc eſſe dicet, nihil niſi magnitudo refragari poſſet; reſponderet magis quàm Cochlearum tot ſpecies non turbinatæ ab alijs propoſitæ.

Buccinum Exoticum paruum. Cap. V.

TVberculis nigro flauentibus, & lineis elatis candida teſta exornatur, quæ craſſa eſt, & marmorea effigie, candidaque. Figura parum abeſt à noſtratibus paruis Buccinis, nec aliud referre ex inani teſta extera poſſumus.

Lepas


Turbo exoticus
Buccinum cum animali
Buccinum exoticum
Lepas exotica
Lepas Myrti
Turbo terreſtris
alter
Cochlea turbinata

Lepas exotica variegata, & Lepas noua Myrti morbus. Cap. VI.

MAgnitudine noſtrates grandiores æquat exotica, & elegans Lepas hæc ab alijs non memorata, magis caua, rotundiore ambitu, nec in angulos deſinens, colore ad extremam teſtæ partem flauente, veluti faſciata, maculis fuſcis binis per interſtitia exornata, interius candicante Alabaſtritidis lapidis modo, in vmbilico vero iterum flauo & ſplendido colore, animalis vmbrã ferè deſcribente. Exterius verò obliquè rugoſa parum, colore ex pallido candicante, maculis radiatim nigro flauentibus, in ſuperna parte flaueſcit ex ruffo apexque candicat. Dono accepimus à N.V. ac doctiſſimo Franciſco Peregrino Romæ cum alijs etiam rarioribus, Buccino ſupradicto, & Cochlea marmorea, alijſque. Sed quia huius Lepadis occaſione in mentem venit aliud Lepadis genus non deſcriptum, terreſtre, quod morbus eſt, aut ſcabies, ſiue impetigo arborum, & fruticum, idemq; animal eſt ex morbo Myrti genitum teſtudinatum, hoc loco iconem, & obſeruationem addere non ingratũ ſtudioſis fore exiſtimauimus. Romæ anno 1610. in domeſtico Viridario domus Ioan. Baptiſtæ Raimundi Viri doctiſſimi, & Arabicæ linguæ, & aliarum periti ſupra templum Sancti Andreæ *delle fratte* appellatum, in qua degebat, ex Myrti ramis imis adhuc viuẽtes ferè teſtudinatas Lepades plurimas hærentes collegimus, quarum iconem eiuſdem magnitudinis expreſſimus, effigie Teſtudinis terreſtris, illiuſque more tabellis anguloſis conſtructas, colore cinereo ad purpuram inclinante, inferna parte, qua hærebant caudici, cauas, quarum aliquot adhuc ſeruamus, præter illas dono amicis communicatas, nec aliud ex eis notare potuimus. Impetiginis ſcabiei, & morbi in Fico, & alijs ortum & cauſam Theophraſtus de cauſis Plantarum lib.5. & de plantis lib.4. tradidit, quem curioſus lector videre poterit.

Turbo terreſtris non deſcriptus. Cap. VII.

RArior hic, & præter morẽ à Natura elaboratus, atque à nemine obſeruatus; cuius in orbes nõ in ſiniſtrã partẽ couoluũtur, vt in omnibus teſtaceis marinis, ac terreſtribus, ſed cõtrario modo ex ſiniſtra in dexterã orbes in amplũ os iuxta orbis proportionem

deſinunt, inciſuram in imo habens Buccinorum modo. Octo vel nouem orbibus definitur, in imo flauicantibus, reliquis cinereis ex flauo, & in ſummo magis candicante nouiſsimo. Stamine coniuncti acu videntur orbes, candidis punctis ſiue lineis inter orbes micantibus quibus depinguntur; & oculis gratiores redduntur ob punctorum diſtinctionem. Animal intus Cochlearum modo exiguum, ideo neglectum, continet, quamuis Cochlearum vſum præſtare poſſet. Teſta leuis eſt. Oritur non modo in ſaxis montanis, & rupibus, ſed etiam hortorum, ac etiam domorum parietibus aeri expoſitis.

Turbo alter minor. Cap. VIII.

EST & alter ſimili modo ex ſiniſtra parte in dexteram conuolutus, non adeo frequens, qui nitida teſta eſt, & adeo ſplendida, vt arte expolita cenſeatur, flauicante ex pallido cinereo, quatuor tantum orbibus compoſita oblongiore, & anguſtiore ore, quia ſublimius volutæ eriguntur, & ideo oblongiore teſta eſt proportione, quamuis paucioribus orbibus ſit conſtructa. iiſdem locis oritur. eiuſdem magnitudinis, vt icon eſt tam ſuperior, quàm Cochlea deſcribenda.

Cochlea terreſtris turbinata, & ſtriata. Cap. IX.

QVia in modum turbinis producit volutas, turbinatam Cochleam appellare libuit; quinque conſtat anfractibus, & quia diſtinctius orbes percurrit in longum more Turbinum producitur teſta, vmbilicum ferè relinquens in centro, & eodem orbium ordine ſtriantur orbes perquam densè, vt elegantiſsima videatur; os rotundum habet, quemadmodum orbis deſinit, geritque operculum craſſum, & cochleatum, vt in marinis obſeruatur. Colore ex pallido flauicant magis, minusve. Terreſtres has Cochleas, vt ab alijs diuerſas, & rariore effigie relictis alijs multis huc intrudere ad excitandum ſtudioſorum animos, & addere viſum fuit, qui montes tantum habent propinquos, mare verò longo interuallo diſiunctum, vt pulchriora quærant.

Cochlea marina exotica marmorea. Cap. X.

VAriat hæc à maritimis noſtratibus craſsitie teſtæ, atque hiatu qui non rotundus, nec à Columella, vt in alijs definitur, ſed

parte


parte media teſtæ, recta ferè linea, & plana, obliquè veluti reciſa teſta conſpicitur: & in anteriore, & rotunda parte Cochleæ parum infra extremum obſeruantur denticuli plures elati, ac etiam ex aduerſo in medio lineæ veluti Concharum cardines, quare operculo quodam craſſo forte tegi poſſe ſuſpicamur, alio quam in noſtratibus modo. Differt etiam quia vnica tantum voluta ſiue circuitione definitur, illaq; vix conſpicua. Maculis in cute nigris, magnis, inordinatis inſignitur, & per obliquum rugis etiam vix apparentibus circa os exaſperatur. Huic ſimilem Aldrouandus pro Nerite in ſuo de Teſtaceis volumine, tertio, & quarto loco depinxit, colore variantem: quantum verò à Nerite Antiquorum diſtet iam alias diximus: tam breuem, craſſamque teſtam natare minime poſſe, nec illum obſeruaſſe cenſemus. Variant magnitudine, teſtæ craſsitie, nam alias vidimus nigras foris, intus candidas tenuioris teſtæ, quæ clathrata lineis erat per rectum, & obliquum. Alteram candidam intus, craſſa teſta, & maiore, foris colore cinereo, maculis paruis albis, rugis obliquè profundioribus, vt quodammodo aſpera ſit tangenti.



Cochlea exotica marmorea




Concha πολυλεπτογίγγλυμος



Concha πολυλεπτογίγγλυμος. *Cap.* XI.

PLuribus hæc teſta notis ab alijs Conchis differt, propriamque habet notam innumeram ſeriẽ exiguorum cardinum, recta per obliquum linea, & admodum longa, Teſtæ connexum efficientium; quod hactenus in alijs minimè obſeruauimus. De hac etiam Plinium ſenſiſſe dici poſſet Concharum varietates enumerantem, cum ad differentiam earum, quæ breui nodo ligantur, vt ſunt vulgares, ait, *toto latere connexis*, quod in hac rectè conſpicitur, quamuis de Solene etiam intelligatur. Differt ceruice ad latum obliquè dependente, quod quamuis alijs teſtis etiam ſit commune, quia huius longius à connexu abeſt, plana remanente inter ceruicem, & cardines teſta veluti reciſa, & complanata, lineis multis vndoſis ſculpta, non parum ab alijs euariat: craſſa inſuper eſt reſpectu molis teſta, externe admodum denſè ſtriata, ac etiam obliquis denſioribus rugis exaſperata, vt imbricata etiam dici poſſit. Interna parte circa os tantum breuibus ſtrijs connectitur dentium vice, reliqua caua, leui. Ex huiuſmodi, Conchæ in montanis obrutæ, atque temporis diuturnitate corruptæ, terraque illa in ſaxeam naturam verſa, lapides illi cordis figuram æmulantes conſtruuntur, cauam conchæ partem replentes, quos vulgo *Bucardia*, vocant: quorum plures apud nos varietates iuxta Concharum, & locorum differentias, effigie, materiaq; prouenientes videre licet, quampluri mas apud Imperati muſæum ampliſſimum. Lib 9.c.33

Concha


Concha anomia uertice roſtrata
4.
1.
Altera
τρίλοβος. I
Concha faſciata
gemmea repleta

Concha rarior Anomia vertice roſtrato. I. Cap. XII.

ANomias Conchas illas eſſe dicimus, quarum altera pars cohærens aliquo modo ab altera effigie, aut magnitudine, aut vtroque modo differat ἀνόμοις, quidem contrarium eſt verbi ὅμοιος, quod eſt, *ſimilis, par, æqualis*, ſcilicet, *diſſimilis, impar, inæqualis*: ideo inter ceteras notas à Plinio memoratas, quibus Concharum varietates diſtinguit plurimas, cum inæqualitatis notam non inuenerimus, Anomias Conchas appellare libuit, vel Plinij more illas, *vertice roſtrato*, dicere; quarum etiam differentiæ ſunt plures: Nunc de hac in Ciuitate Andriæ reperta verba faciemus, in quo loco ſi quis curioſior perquirere vellet, illas etiam rariores non paucas inueniet adhuc incognitas, & inuiſas. Naturamq; in his efformandis multum luſiſſe animaduertet. Huius igitur effigies læuis, depreſſa, parum oblonga, ab alijs Conchis in hoc præcipuè differens, quod altera Conchæ pars oblongior eſt, collum, ceruicemq; totam, quæ oblongior eſt, & rotundior, atque acutior, prominetq; ſupra ceruicem alterius diffundit, vt infra illius collum altera ceruix connectatur. Concha parua eſt, candida, tenuis, obliquè parum additamentis rugoſa, ſed non ob id aſpera, ſed læuis. Repletam inuenimus candida tophacea concretione, qua totus ille cliuoſus locus, ſiue collis eſt editus, qui non magis terrena concretione tophacea, quam variarum Concharum fragmentis, & integris etiam innumeris eſt compactus: hanc & alias in vallecula illa, ſiue foſſa quadam parum ſubtus Eccleſiam D. Mariæ de Andria, extra vrbem miliario ſita, excepimus: illic enim ob gratias à Sanctiſsima Dei Genitrice acceptas referendas fuimus, ſicuti & alij magna cum frequentia vota ſoluentes concurrunt quotidie: Eccleſia quidem illa magnis donis, & miraculorum ſignis ornatur, nec non ſumptuoſa ſtructura ipſa Eccleſia, & Monaſterium. Huius ſimilem apud doctiſsimum Imperatum noſtrum in ſuo Muſæo, rerum omnium naturæ ſatis copioſo theſauro, obſeruauimus, quæ margine erat parum vndoſa, & longiore conchæ parte canalem vix cõſpicuum in dorſo, altero verò in medio, cõtrario modo extuberante, omneſque peculiari nota sũt prędıtæ, quod ceruice prominente roſtrata, pertuſa oriuntur, qua tur binatorum more aquam haurire & expuere, ſylueſtris Lepadis, aut Auris marinæ modo poſſunt: icon magnitudinem æquat. Huic ſimilem maiorem multo lapideam depinximus in prima parte, nomine Conchæ gibboſæ,

Lib. 9. c. 33

minor 2.

Altera

Altera Neptunia maior III. imbricata. Cap. XIII.

DVplò maiorem alteram Neptuni reperimus Albanen. dioceſis etiam vndoſa margine in tophaceis, ſiue ſabuloſis illis concretionibus, in quibus Caſtelli ſiue Arcis foſſa eſt, & maxima variarũ teſtarũ congeries conſpicitur, nec vnã reperies integram, ſed omnes inter ſe congeſtas, & implicatas, vt non Natura, ſed maris impulſu fractas, & eiectas cum ſabulone, & molem illam tophaceã conſtruxiſſe teſtarũ fragmentis repletã ſit cenſendum: quare mare aliquando varijs in regionibus excreuiſſe & æſtuaſſe ſatis cõſtat, locaq; immutata. Mirum quidem eſt huiuſmodi teſtas recentes, & viuas hodie non reperiri, quamobrem è longè maris alluuione, profectas, & aduectas cenſemus potius, quam Naturam deſijſſe ſimiles parere. tres pollices longa, duos lata eſt teſta, habetq; in medio veluti alteram concham ſuper elatam imbricis modo, vt in alijs obſeruatur, præſertim pectunculis.

Concha Anomia IV. margine vndoſa. Cap. XIV.

DIffert hæc à ſuperiore congenere colore ad pallidum inclinante, quæ etiam repleta erat concretione candida terrea, & quod margine ſit vndoſa in ſpiras contorta, M, litteram repræſentante, dorſumq; habeat elatum, non cauum; altera parte triplici canali diſtinguatur, ſed omnes ceruicem habent perforatam, ex Imperati noſtri muſæo habuimus inter alias.

Concha altera Anomia ſtriata τρίλοβος rarior. I. Cap. XV.

EX eodem genere & hæc videtur, maior Concha, & craſsior; cuius obeſa valua minor eſt, atque tribus ſimul iunctis teſtis, media magis extuberante conſtructa videtur, & ſenis ſtrijs, totidemq; ſtrigibus in ſingulis lobis, quibus margines denticulatæ fiunt, inſecta, pręterquam pars interiecta inter lobos, quæ recta linea marginẽ definit. Altera parte, qua valuæ in caput prominet, medium habet lobum depreſsiorem, & oblongiorem, reliquis à latere breuioribus, & elatis, eodemq; modo ſtriatis; qua parte tota concha expanſis alis auriculam incuruam repræſentare videtur Conchæ cortex ca-

ſtaneo

ſtaneo colore fuit, vt ex fragmento, quod in ceruice adhærebat obſeruauimus:lapideam quidem naturam interior pars,cuius effigiem damus,adæpta erat,colore ob vetuſtatem flauicante,intus verò,candicante. Et hæc ex ditiſſimo naturæ promptuario Imperati;Harum & paruas Auellanę nucis magnitudine binas habemus,quarū altera paucis,altera verò pluribus,& tenuibus ſtrijs & diſſecta,reliquis eādem effigiem retinent, orbiculatæ ſunt, & metallica ſubſtantia concretæ. Hæ omnes Anomiæ breui nodo ligantur ob ceruicis anguſtiam, & forſitā à Plinio ſub illa differētia his verbis expreſſa,*breui nodo ligatis*,quę multis Concharum generibus etiam conuenit,compræhenſæ, vt ſuo loco dicemus. Aliam exiguam admodum lapideam idem Imperatus communicauit, quæ veluti gemma nitida eſt, ceruice cærulea, reliquis obſcurioribus, & lateribus flauicans. Differunt ab alijs ſupradictis, quod ceruix foramine caret, & ideo quamuis Teſta ſit affinis,animal non idem natura erit, cum hiare oporteat, vt aquam haurire, & expuere poſſit, non habens teſtam in ceruice perforatam,vt quatuor ſuperiores.

II. & III.

Lib. 9. c. 35

IIII.

Concha faſciata gemmea concretione repleta. Cap. XVI.

MOroſi videntur nobis quidam,qui has & ſimiles concretiones, negant ex teſtaceorum interna caua parte ſibi effigiem parare, atque naturā contendunt proprijs initijs animantibus,aut vegetantibus lapideas haſce,& conſimiles perficere Conchas, & Buccinos,Cochleaſque,atque innumera alia. Non negamus quin multa alia ſint propria forma ſic concreta, ſed nullam illa habent cum cæteris rebus naturalibus, quæ vixerint, communitatem, nec aliquid ſimile rectè,aut perfectè referunt, vt ſunt quæ locum corruptæ rei replent.Inter alia & hæc teſtimonium perhibebit veritatis rariſſima Conchæ concretio, quæ non externam, ſed internam tantum partem refert, lineis obliquè ductis gradatim, vt in teſtæ interna parte fuerant, & exiguas ceruices,lineamq;cardinum,& marginis. Tota terrea cruſta,ac veluti ſordida colore ocreę foris eſt,intus verò propè marginem ab altera ex valuis, quæ forſan perforata, aut fracta fuit,origo ſtillati, & ingreſſi humoris apparet, in Chryſtallini lapidis ſpeciem,Electri,aut Chryſoliti colore,atque in plures anguloſas connexas pyramides concreti; quod ſi humor ille vegetam habuiſſet naturam, & externam partem ſplendidam, & propria effigie inſignitam efformaſſet; non ſordidam,ac alienam Conchæ induiſſet,

duiſſet, vt manifeſtè apparet. Nos huiuſmodi Concharum internas repletiones ex varijs lapidum, & tophorum generibus concretionis, ac etiam Concharum varijs generibus, Cochlearum, Turbinum, aliarumque rerum quamplures habemus, ex quibus refellitur iſtorũ opinio, cum maximè quia in multis adhuc Teſta viget cum ſilice interno, tum etiam quia fragmenta Teſtarum plerumque reperiuntur, & in integris interna concretio non omnem vacuum impleuit, ſed inanem medium locum reliquit, ſe in anguloſas gemmas contrahens per circumferentiam. Huius etiam copiam fecit ditiſſimus ille naturalium rerum promus noſter Imperatus, apud quem varias gemmeas concretiones, & varij lapidum generis Teſtas, Cochleas, Buccinos, Concham margariferam, nautili ſpeciem; pedem, & vngulam, parteſque plurium animalium immutatas in lapideam naturam videre poteris.

Concha exotica margine in mucronem emiſſa. Cap. XVII.

PEculiare huic rariori, quod præter ſtrias alijs conchis communes, quæ huic læues, & latiores duplò ferè ſunt ſtrigibus; ſtriæ ipſæ iterum ab anguſto, ſed elato limbo intus fiſtuloſo, ſupra illarum dorſum decurrente in alias tenues nouenas ſtrias efformantur & loco ſtrigium eſſe videntur: & Conchæ margo extrema roſtrata efficitur ſingulis nouenis ſtrijs, quæ interna parte cauæ apparent. Conchæ ceruix magna eſt, & craſſa, vt clauſa teſta ſe tangat cum alterius valuæ ceruice, mediumque locum occupat Cõchæ, quę circa illas in latus ampla fit obliquè, vt diametrum æquet, habeatq; ternas connexiones pyxidatas; quarum minima, quæ proximior maiori limbo, ſiue roſtro eſt, media maior, tertia longior. In ima omnium
Lib. 9. c. 33 ſtrige rugoſa obliquè lineis apparet Concha. Hanc Plinium nouiſſe, vel ſimilem cenſeri poteſt, & deſcripſiſſe ſub illa nota, *margine in mucronem emiſſa*, quamuis hæc in plures deſinat mucrones, totaq; margo mucronata, quare Concha μαχαιροραβδώτη, appellari poteſt. Quatuor vncias diametrum æquat. Concha tota candida, non nimis craſſa eſt Teſta, quam Romæ habuimus, & ſimilem Imperatus habet.

Concha


Concha exotica margine in mucronem emiſſa

Concha natatilis πειτώδης minima Perſicæ dictæ recentiorum congener, & varietates aliæ exoticæ. Cap. XVIII.

SIt ne Concha hæc, vel potius Cochlea natura, ſiue ſua ſpecie ita exigua, vel potius infans, adhuc & tenella, dubitamus: at quod à Perſicis differat aſſerere poſſumus: Concha eſt vnguis maioris digiti magnitudine, vnguis tenuitate, ſed fragilior, colore ex pullo candicans, amplo admodum hiatu, vt intra ſe turbinem colligat: caret illo lunato ſinu circa columellæ ſummum, quo lingua exeri poſſit, vt in congeneribus. Animal intus habet magnum, ſed quia non recens, ſed exſiccatum in ipſa Concha videmus, non aliud, quàm quod triplici veluti Loliginis officulo munitum eſſe obſeruauimus, quorum aliquod operculum, & carni annexum eſſe non dubitamus. Omnes quidem Teſtæ, quę conuoluuntur turbine operculum habere obſeruatum eſt, nec niſi dimoto illo ſaxis adhæreſcunt, vt iam Ariſtoteles docuit, præter Aurem marinam illam, quam nos Veneris aurem diximus, cui quamuis ſit Conchæ vertex muricatim, ſiue turbinatim intortus, & cochleatus in Concha, deeſt tamen operculum, quia non animal habet turbinatorum generi ſimile, ſed Lepadum, quibus natura illud ademit, ſaxum pro illo, cui adhærere pro tutela poſſint, tribuendum, & pro tubulo ad linguæ vſum foramina, quæ plura habet. Hanc Imperatus noſter nobis dono dedit, nec non & alias congeneres exoticas communicauit, de quibus, quia locus eſt, agemus, notas tantum varietatis addentes, cum ex illarum pictura ſatis Teſtæ differentia colligi poſſit. *Varietates duæ aliæ.* Prima, & maior longa eſt ſemipedem, & vnciam, lata palmum, colore ex cinereo flauicans, intus pallula nitida, circa columellam externè rugoſa aſpera, & magis flauicans, turbine infra baſim poſito, vt vetuſtate minus ſemper promineat, & includatur. Natat in aqua vt Congeneres, additoque pondere circa interiora, elata magis pars altera oppoſita, velificare videtur, ventoque impelli poteſt. Altera magis rugoſa, foris colore ex fuluo ad caſtaneum vergente, intus candicat, ſed zonis diſtinguitur flauis & cinereis, turbine prominente, ex canali diſtinguente volutas duas, quibus Teſta contorquetur: Natat, vt ſuperior: minor verò duplò, ſed craſſiore Teſta. Lunatæ ſunt in extremo columellæ ad linguæ vſum.


Concha exotica vertice muricatim intorto. Cap. XIX.

DEſcribuntur à Plinio Concharum genera, in quibus magna ludentis Naturæ varietas obſeruatur, & nos quotidie in admirationem adducimur, varias in manus noſtras ex varijs locis habentes, vt qui omnium Icones, & Deſcriptiones tradere vellet, maximum admodum volumen impleret, extra alias ab alijs deſcriptas. Hanc mutilam vna tantum valua ima dono accepimus Romę à Fabritio Chriſtiano reconditarum rerum viro curioſo, ac Argentariæ officinæ domino, inter alia plura, & perpulchra Teſtacea. Huius ſimiles noſtro mari haud conſpicuas ſe præbent, quare exoticam Concham ſicuti alias eſſe non dubitamus, ac à Plinio forſitan ſub illis verbis compræhenſa, *Vertice muricatim intorto vel*, ad *Buccinam recuruis*, ceruice quidem intorquetur, ac ſi non Concha, ſed Cochlea fieri deberet: nec aliud dicere poſſumus de ea, niſi quod craſſa ſit Teſta, & albicante, ac etiam ob vetuſtatem exeſa, in cuius ſuperficie rubri Corallij corniculatum ceſpitem, lata, ac tenui radice, veluti ſi cera liquefacta rubra ſuperinducta eſſet Teſtæ ſuperficiei, natura excitauit; vel ſi Corallij materies initio molle quid, ac muſcoſum viſcidum initium habuiſſet, vt opinamur. Li. 9. c. 33

Concha vtroque latere ſe colligens exotica. Cap. XX.

PArua eſt, vnciam longa, anguſta Teſta, læuis, obliquè circa medium extuberans, ac ſi anulo cincta eſſet, rimam pro ore habet leuem, craſſa Teſta eſt, candida, diaphana, ſplendens, & cum ſit exotica, nihil aliud referre poſſumus, niſi varietatem, qua naturæ ſolertiam admirandam proponimus; animal exiguum, nec profundè contineri in ipſa Teſta dijudicamus ex Imperati muſæo.

Meli-


Concha natatilis minima exotica
Altera magna
Altera
Concha utraq; latere se colligens.
Conche uertice muricatim intorto

Fabij Columnæ Lyncei

De Gloſſopetris Diſſertatio.

Qua oſtenditur Melitenſes Linguas ſerpentinas; ſiue Gloſſopetras dictas, non eſſe lapideas, vt quidam aſſerunt, ſed oſſeas & Carchariæ, Lamiæ, ſiue Canicularum, & ſimilium dentes, maris æſtu olim terra tenui, & lutoſa obrutos. Plurima interim, de figuris Lapidum, oſſium genitura, Gigantum buſtis ac oſſibus, maris, & terræ mutationibus, Teſtis ſaxo incluſis; adducuntur, ac exponuntur. Lapideorum Fungorum natura declaratur, & noua ſpecies proponitur.

NItuntur quidam arcanis Naturę in medium adductis, omni reſponſione ſecluſa, Linguas ſerpentinas, aut Gloſſopetras, [ſic illas appellant recẽtiores] quia non ſolum locis mari propinquis, & inſulis, ſed etiã longè diſſitis copioſè reperiri traduntur, ab ipſa formatrice Natura ſic genitas; atque lapideas eſſe: vel qui dẽtes eſſe dicunt, non Carchariæ, Lamiæ, Malthæ, aut eiuſdem generis Cætaceorum, ſed illis ſimiles ſponte ſic ortos; quin etiam id tantum Naturam produxiſſe eo loci, quod ratione materiei aptum erat ad formam illam recipiendã affirmant. Hoc argumento in dubium reuocare videntur, an vnquam locis illis mare fuerit, quod probatiſſimi antiquiores Philoſophi, & Hiſtorici affirmarunt. Nos quidem dicimus huiuſmodi concretionem non eſſe lapideam, ex ipſo aſpectu, effigie rei, & tota ſubſtantia: ac neminem cenſemus tam craſſa minerua natum, qui ſtatim primo intuitu non affirmarit dentes eſſe oſſeos, non lapideos. Sed præter aſpectum omnia, quæ ligneam, oſſeam, & carneam naturam habent, vſtione in carbonem prius abeunt, quam in calcem, aut cinerem. Ea verò, quæ tophacea, vel ſaxea ſunt natura, non in carbonem, ſed in calcem abire, niſi liquentur propter vitream, aut metallicam mixtionem. Cum igitur dentes hi ſtatim aſſati tranſeant in carbonem, & tophus adhærens minimè, clarum erit oſſeos eſſe dentes, non lapideos. Addenda eſt fibroſa intus compactio, & poroſa, & externus læuor ab interna materia varius, & exacta dentium effigies Lamiarum cum ipſa radice, quæ omnia oſſeam naturã declarant. Nullus quidem lapis, aut gemma, quod viderimus, læui ſuperficie, & figurata naturaliter reperitur, niſi

Chryſtallinæ, & ſimiles concretiones, quæ nitri; aut ſalis modo ſint concretæ, quarum effigies anguloſæ caſuales ex natura ſucci, non ad idem figurandum tendentes, vt ſunt huiuſmodi dentium figuræ, ad quas exactè perficiendas Naturæ conatus obſeruatur. Nec vt de Chryſtallinis & nitroſis quibus euenit anguloſa ſuperficies in ipſa humoris contractione, ita dici poteſt de his dentibus, atque ab initio eadem magnitudine ſic fuiſſe procreatos, qua effodiuntur: nam dentibus his incrementum ex radice ipſa, non coagulatione humoris in corpus ſolidum, ſed per foris emiſſionem, & vegetam naturam acceſſiſſe paulatim videretur dicendum, quemadmodum in Animalium dentibus, cornibus, & vnguibus obſeruatur, quæ omnia ab radice, & ex auctiuo excremento magnitudinem aſſequuntur longo temporis interuallo intercedente. Secus verò in lapideis, Chryſtallinis, & nitroſis rebus, quibus in ipſa concretione perficitur magnitudo, & effigies: & hoc dato, quod dentes hi dicantur ſimiles, [non ex Lamiarum maxillis detritis reliquiæ, vt verè ſunt], quod expreſſe negatur. Nec etiam vnquam obſeruatum eſt, in ſubterranea, & foſsilia, oſſea ſpecie indiuiduum aliquod naturam abdidiſſe, quod ſpontè vigeret, niſi ex cadaueribus, vt ſunt dentes hi, oſſa alia, Teſtacea, & ſimilia, quæ caſu obruta reperiuntur, immemorabili tempore abſcondita, vt quædam cum ambiente terra in lapides ſint immutata. Falſum omnino eſt, oſſa in terra eſſe genita, vt Plinius ex Theophraſto refert; non enim Natura quid fruſtra facit, vulgato inter Philoſophos Axiomate: Dentes hi fruſtra eſſent, non enim dentium vſum habere poſſunt, nec Teſtarum fragmenta tegendi, ſicuti nec oſſa vllum animal fulciendi. Dentes ſine maxilla, Teſtacea ſine animali, oſſa vnica [non niſi omnia coniuncta cum ipſo animali] in proprio elemento Natura nunquam fecit, quomodo in alieno nunc potuiſſe, & feciſſe eſt credendum? Oſſa enim ex eodem ſeminali excremento ortum habere ſimul cum animali ipſa experientia, & Natura docuit, tam in homine, quam in alijs animalibus ſanguine præditis, & ex ſemine initium habentibus, ac etiam quibuſdam alijs; quomodo in ſubterraneis terreſtribus ſemen hoc inueniri aſſeritur? qua experientia? hoc ſi daretur, & hominem ſpontè oriri eſſet obſeruatum, vel alia animalia, vt Bos, Equus, & ſimilia, quod quantum ſit dictu abhorrendum, & cōtra naturalem obſeruationē ſatis patet: ſicuti, quæ fuerũt à Goropio dicta de oſsibus humana ſpecie enormibus ſub terra inuẽtis, quæ Gigãtũ fuiſſe vana hominum ingenia credidiſſe aſſerit. Et nos addimus tempore Catharinæ

Pel-


Melitenſes linguę, Charcharię dentes, & Lamię.
Fungi lapidei Coralloïdes

Pellegrinæ nobis Auiæ in Abellino agro, cuius domina fuit, repertum ſepulcrum lateritium, in quo maximi hominis cadauer oſseum erat, cuius tibiæ quatuor pedum longitudinem æquabant, illarumq; vnicam diu ſeruaſse, veluti rem enormem, ac inſignem, quod non ſemel domeſticis, atque exteris aſſeruit, nobis adhuc pueris & ignaris literarum. Puteoli quoque non pauca Gigantum oſsa conſpici aſserit Scipio Mazzella, addiditq; Pomponij læti carmina de illis, ac etiam multa de Gigantis ab antiquis dicta in lib. italica lingua de Puteolorum antiquitate; omittimus quæ alij, & Plinius recitant: ſed addere voluimus in Sicilia frequentiſsima oſsa Gigantum reperiri, velut Incolæ inſulæ fuerint antiqui viri præſertim Panormi, vt teſtatur doctiſsimus, & clariſsimus vir D. Marianus Valguarnera in lib. de orig. & Antiquit. Panormi impreſso anno 1614. in eadem Ciuitate Panormi, in quo doctiſsimè agit de illorum ætate, & ſtatura, ſiue magnitudine.

Lib. 7. c. 16

Sed quid dicendum de enormiſsimo Gigante a Io. Boccatio relato in cap. 68. Genealogiæ gentilium Deorum, cuius dentes adhuc in Eccleſia D. Annunciatæ Drepani in Sicilia extare ait, & pondere centum vnciarum eſſe, & quod etiam vix credibile mea ſententia, tota Gigantis ſtatura ducentorum cubitorum fuiſse.

Quare nos oſsa, quæ reperiuntur hominis oſsibus, vel alterius animalis paria, non ſpontè, ſed olim obruta, & aliquando eadem cum ipſa terra ambiente poſtmodum in ſaxeam eius loci, vel aliam naturam eiuſmodi conuerſa. Sed ad dentes redeundo, negatur quod intra ſaxa, vel tophos huiuſmodi dentium materiei aptitudo inueniri queat, locis præſertim aridis tophaceis, cum talis materia excrementitia, & nutritiua potius ex aliquo viuenti animali proficiſci debeat, quam intra terram quærenda, vt ſupra diximus: & ſic deficiente materia pro ipſo animali, cuius dens, vel os, aut teſta ſit, nec dentem, nec os, nec teſtam oriri poſse eſt aſserendum. Attamen permiſsa ſpontanea vegetatione, quærendum eſt adhuc an dentes hi ab initio ſpontè ſic fuerũt geniti, vel intra tophos paulatim acceſsit magnitudo, vt fit in animalium dentibus, quorum æmulantur ſpeciem? Si dicatur ſic genitos; inſtabimus, fuit nè tophus ex quo extracti fuerunt, ante concretus, vel poſt dẽtium perfectionem? ſi tophus ſit ante genitus quæritur, erat nè locus in topho dentis illius effigie, ac magnitudine? an dens ipſe ſibi locũ parauit? & quidẽ ſi tophus erat ante concretus, & ſine cauitate, non poterat vis vegeta dentis exorientis in topho iam duro, & ſolido ſibi locum per vim

face-

facere: & ſi vis ineſſet, ſcindi oportebat tophũ. Et ſi locus erat prius in topho; reſpondetur nõ ex vegeta natura dentis ipſius in topho effigiem illius excauatam, ſed tophum ſua natura & cauitate pręcedẽti formam denti prębuiſse. Si vero dicatur paulatim vegetaſse, & excreuiſse, negabitur eadem ratione antedicta, ſcilicet, quia tophi durities non ceſsiſset virtuti vegetabili, vt reciperet ſignum dentis, ſed potius ſciſſurã perpeſſa fuiſſet: aut quod potius tophus vegetaſſet, vterum dentis effigie geſtans, in quo humor oſseus per poros penetrans, vteri cauitate repleta, per coagulationem, deinde illius effigiem accepiſset; vt in lapidibus ex fluore ortum habentibus obſeruatur. Negatur vtroſque vegetaſse, cum omnium dentiũ, quos viderimus, baſis, ſiue radix fracta reperiatur, non vniformi fractura, ſed varia in omnibus. Quod argumentum non paruifaciendum, declarat nõ adfuiſse vim vegetandi, ſicuti in alijs foſsilibus figuratis obſeruatũ eſt, quæ nunquã in illorũ matrice mutilata reperiuntur: & Natura illa formatrix in his defeciſse videretur, cũ sẽper in reliquis foſsilibus genera, & ſpecies vniformes, integras, nec fractas reddere ſoleat. Nec intra tophos caſu aliquo fractas radices, aut dentes fuiſſe, ſi dicatur, eſt credendum; cum potius eſset affirmandum caſu obrutos fuiſse, & in ipſa obrutione tunc ex maxillis animalium fractos deciſiſse, cũ antea integri in ipſis maxillis fuiſsent geniti, & deinde variè iuxta caſum & alliſionem mutilati. Negatur etiam intra tophos potuiſſe hos dẽtes, humoris denſatione fieri, tàm rationibus antedictis, quàm etiã, quia fruſtra illos natura feciſset tam eleganti ſpecie ſerratos, nitidos, acutos, Lamiarum dentibus pares, nec ad vſum illorum aptos, cum aliorũ ſententia propriũ cenſeatur vegetabile indiuiduum naturæ; quam, vt verius eſt, pars & inſtrumentũ animalis indiuidui ſenſitiui, nedum vegetantis ad vſum voracitatis explendæ genitum. Ad hoc affirmandum adducimus aliam obſeruationem, quę à natura inaniter eſset elaborata, niſi verè dentes, non lapides, & pars animalis demortui fuiſſent: variam nempè humoris electionem, vt aliam in radice dentis, aliam in dente interno, aliam in ſuperficie dentis fecerit: variam etiam dentium formam, magnitudinem, habitum, & aptitudinem: nam alij dentes ex tophis excepti, quos habemus, magni, & latiores ſunt, & trigoni ferè, alij anguſtiores, minores, & alij minimi anguſti, qui pyramidales, alij recti, alij prona parte incurui, alij ſupina, alij in ſiniſtram, alij in dexteram inclinati, alij ſunt ſerrati exiguis dentibus, alij magnis ſerraturis, quod in minoribus triangulis obſeruatur, & interioribus, alij nul-

lis, quod in anguſtis Pyramidalibus, quæ omnia in Lamiarum dentibus ab Auctoribus obſeruata reperiuntur, à Piſcatoribus, & Naucleris obſeruantur. Primi ordinis dentes extra os prominent, & in anteriorem partem inclinati proni conſpiciuntur, ſecundi ordinis recti ſunt præſertim ad latera oris, vbi trigoni, & latiores: reliqui ordines in interiorem oris partem ſupini procumbunt. Hæc omnia, qui obſeruarit, quod facilè pluribus conſpectis dentibus erit, vera eſſe, quæ modo retulimus affirmabit, & poſtea dentes fuiſse cum maxilla genitos, non autem ſpontè vegetaſse intra tophos dicat: quod quiſque recentes Lamiæ dentes ſi eiuſdem, aut etiam minoris magnitudinis in maxilla adhuc hærentes comparabit ipſos eruendo & frangendo, etiam interna eadem eſse ſubſtantia, materia, & compactione inueniet, ac ſi nequeat habere Imperati noſtri Muſæum adeat, & integras Lamiarum cum dentibus ſimilibus obſeruabit. Quod autem olim ſupra montes omnes mare fuerit, aut ſaltem ab hominibus tunc viuentibus occupatos non ſolum ſacra Scriptura Chriſtianis id affirmat; ſed alijs Ariſtotele, cæteriſque Philoſophis, Hiſtoricis, alijsq; Scriptoribus idem teſtantibus ſufficeret, itemq; à Poëtis, & inter cæteros Ouidio, qui ait. *Lib. 15. metam.*

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum; vidi factas ex æquore terras,
Et procul à Pelago Conchæ iacuere marinæ
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis.

Certum eſt Anchoram non potuiſse vegetare, nec in montium iugis ad aliquem vſum abſque mari eſse potuiſse vtilem. Id autem non modo accidiſse vniuerſalis diluuij tempore, ſed alijs ſæculis, alijs in locis mutatam tellurem, & mare, viciſsimque alternaſſe, non minus ex hiſtoria Plinij à c.85. ad 92. lib.2. colligi poteſt, ſed ab alijs. Et nos oculati teſtes ſumus in Caſtro vulgo dicto, *Torre della Nũtiata*, propè Stabij ruinas quod olim Pompeianũ fuiſſe putatur, egeſto terreno ſolidiſsimo, quod taxum appellant, quaſi naturale terrenum, altitudine pedum quadraginta propè mare, ad vſum molendinorum ibi conſtruendorum, inuentos in imo iuxta aquam ferè, nam arena erat iam reperta, carbones, & lateritia fragmenta, quæ ibi ante congeſtionem illius terreni deiecta fuiſſe eſt credendum, & forſan illa congeſtio facta fuit Veſuuiani incẽdij tẽpore, quo Plinius obijt, cũ antea littus eſſet, nec diſpari modo, mons nouus Puteoli appellatur, mõtis ſpecie egeſtio, ignis vi ex ſulphuraria dicta, loco illo deiecta: quare loca illa mutata non eſt dubium, poſſuntq; ſub illis multa

reperiri obruta,quæ minime vegetare potuiſsēt,in teſtimoniū congeſtionis deſuper factæ lōgo tēpore præterito. Obijcitur poſtremò abſurdiſſimum dictu,non eſſe credendum tot millia dentium,qui effoſſi ſunt,& effodi poſſunt varijs in locis,ex demortuis Cætaceis eſſe reliquias, cum plures videantur numero hi,quam qui ab origine mundi excidi potuiſſent ex maxillis vniuerſorum Cętaceorum:quaſi facilius natura in ſiccis montibus ſingulos dentes procreare potuiſſet intra ſaxa,quam in mari proprio elemento,& patre,ſiue matre rerum omnium ducentos ſimul dentes in maxillis innumerabilium Cetaceorum congenerum; quæ ab initio mundi vſque ad diluuij tempus demortua potuiſſent ab æſtu maris, varijs in locis iuxta animalium iter, dum viuerent, & poſt demortua, iuxta etiam ventorum impulſum eliſa, & obtrita, limoque obuoluta cum alijs maritimis, & terreſtribus rebus congeri, & deinde in ſicco relicta propter receſſum aquarum, in lapideam naturam aliqua cum ipſo limo commutari,iuxta loci aptitudinem,& limi,& ſucci ſpeciem, alio verò loco etiam num immutata reperiri, eo quod ſicciori, & ſabuloſo ſint obruta,vt in tophaceis locis,& ſabuloſis, Apuliæ, Melitæ, & Neptuni, locis à nobis obſeruatis. Id verum eſſe patet: nam in Melitenſi topho ſimul cum dentibus hiſce,ſiue linguis dictis Conchæ,& Buccini, & eorum fragmenta teſtacea, atque etiam illarum repletiones eiuſdem materiei tophaceæ obſeruantur, ac illarum impreſſiones; quare qui hæc omnia obſeruarit noſtram ſententiam approbare compelletur. Hoc facile quiſpiam obſeruare poterit, ſi ex Melita, vel ſimili loco mediocre tophum habere contenderit, in quo aliquid ex his adhæſerit. Nec, vt quidam recentiores contra Philoſophiæ præclariſsimos ſcriptores ac præceptores relicta veritate, ſimiles dentes, & Concharum varietates ſpontè intra ſaxa oriri amplius dicet, niſi mare eodem loco, eo temporis interuallo conſtiterit,quouſque ſuam naturam præbuerit monti,vt in eo poſsit oriri, & incrementum animal cum teſta, vel aliud accipere poſsit, non alio, quam ſi in ipſo mari eſſet genitum modo, ſicuti & aquaticæ plantæ locis arte aquoſis factis, vel caſu ſolent eo loci etiam, vt in naturalibus paluſtribus oriri. Nec ita natum, & enutritum poterit ſuam ſuperficiem ſaxo,vel topho imprimere,vt in his,quę obruta inueniuntur,ſicuti nec imprimit vnquam,nec enim poteſt Concha illa in argumentum,& exemplum allata,quæ intra ſaxorum cauitates, aliarumque rerum, ipſarumq; teſtarum [in Spondylorum teſtis obſeruauimus externa parte, intra quandam cauitatem vix

 fora-

foraminulo apparente] ſpontè in mari, & rupibus maritimis, in quibus allidit vnda oriens, quæ *Cappa longa*, dici aſſeritur à Goropio & alijs, vulgo, *Dattili*, à Piſcatoribus, quia Dactylorum effigiem,& Glandium præſeferunt; ab alijs *Pholas*, ea ratione dicitur, quia occultè in cauernis oritur, & viuit, & tamdiu incrementum capit, quouſque intra cauernulam illam commode hiare poſsit, alias periret: nec vnquam in ſaxo,quo vixit,& perijt, ſuæ formæ ſignum, vel ſtriam aliquam,aut lineam reliquiſſe eſt obſeruatum,cum nec potuerit, propterea quod teſta creſcens extrema parte, qua hiat,tenerior eſt reliqua in omnibus teſtaceis,nec poſſet vim ſaxo,& non ſibi ipſi inferre, vt impreſsio fieret ſaxo. Nec etiam in dictis cauernulis dimidia teſta,vel pars illius, aut fragmentum tantum ſpontè ortum fuit repertum, nec etiam ipſa teſta integra,quæ per compreſsionem ſaxi,rimam,aut fracturæ ſignum paſſa ſit: ſicuti in montibus, & alijs locis extra mare reperiuntur ferè omnes, vt vix paucæ integræ poſſint reperiri. Nos quidem non modo naturalium rerum ignarum, ſed inſanum putamus, qui fruſtulum, aut dimidiam teſtam,vel integram ſpontè editam eadem magnitudine ab initio, vel alio modo intra ſaxa ſic genitam aſſeruerit, quæ etiam adeo cohærere ſaxo reperta ſit,vt reperiuntur in ſaxis,quę vix eximi poſsit,& non integra, & exempta impreſsionem ſui relinquat,tanquam cuneum eiuſdem. Non enim natura illas etiam num noſtro ſeculo procreare deſijſſet, ſi alias procreaſſet, atque clarum eſt piſcatoribus, nedum naturæ ſtudioſis obſeruatoribus, teſtas in ipſo mari, quibus animal perijt, illas ingredi Cancellos pro ſua tutela, nec vnquam teſtæ illæ cum Cancello, aut ſine,incrementum accepiſſe eſt obſeruatum, ſed contra,quod ob maris volutationem atteruntur: atque demum inſaniſſimum, qui lapides Conchæ figuram integram, vel dimidiam, aut partem aliquam exprimētes illarum,ſic vegetaſſe affirmauerit,cum omnes illæ figuræ à cadaueribus vegetantium,& obrutarum rerũ originē traxiſſe non dubitemus.Qui verò non modò quæ apud nos,ſed quæ apud doctiſsimum noſtrum Imperatum in ſuo muſæo ſeruantur omnis generis teſtaceorũ,aliarum rerum in lapides verſa,vel repleta vario genere concretionis lapidea viderit, quin noſtram,& antiquorum ſententiam probauerit experientia non veremur. Lapides verò, qui ſpontè oriuntur figurati,nullam habent cum animalibus, vel partibus animalium, communitatem, ſed propria figura,nec ita exactè reperiuntur, nec eiuſdem generis ita ſibi reſpondent,vt in ſupradictis rebus ex cadaueribus imaginem recipientibus. Sic etiam

qui

qui fungi marini dicuntur lapidei, quia non ex fungorum cadaueribus, ſed propria vegetatione ortum ducunt, ſtrias habent in ſuperna parte, non inferna, vt in terreſtribus, & pediculo etiam ex leuiore parte præditi reperiuntur, vt doctiſsimus Cluſius depinxit, ſuntq; vegetabiles eodem modo, quo Corallij ſpecies poroſæ à doct. Ferdinando Imperato, *Madreporæ*, denominatæ. differunt quia non ramoſi, & ſtatim in latera ſe expandunt, Cluſius in Nilo oriri, qui petiolum habent, aſſeruit. Nos ex poroſa Corallij ſpecie, & hos pyxidatos ortos proponimus, cuius iconem damus. Horum dentium, aliarumq; rerum intra candidam illam tophaceam Melitenſem concretionem repertarum vires, eaſdem cum ipſa terra Melitenſi, quæ vulgo ab Empyricis circumfertur, & Sancti Pauli appellatur terra, eſſe aſſeritur. Caniculæ dentes alligati repentinos pauores tolli Plinius recitat. Rondeletius refert, dentes ab Aurificibus argento includi, quos Serpentis dentes vocant: hos è collo puerorum ſuſpendunt mulieres, quia dentitionem iuuare creduntur, ac etiam puerorum pauores arcere. Confici etiam dentifricia, nam etiam ignita duritiem ſeruant, & puluis aſperitate dentes dealbat illos detergendo. Bellonius verò, *Lamias enim qui capiunt, ex earum dentibus, ac maxillis magnum quæſtum facere ſolent, quos aiunt aduerſus venena conferre, quamobrem auro, & argento includere vulgus eos ſolet.*

Fungi lapidei.

Libro 6. Exot.

Lib. 27. c. 3

Vires.

Libro 32. cap. 10.

FINIS.

Erra-

Errata præuidenda, & ſit Corrigenda.

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 1	Cõchylijsq;	Conchylijq;
4	Ianthynum	Ianthinum.
Ibid.	Buccinus.	Buccinum.
5	Conculis.	Conchulis.
Ibid.	Pallucem.	Pollucem.
Ibid.	Turbanatũ	Turbinatum
Ibid.	Firmiſſima,	Firmiſſimas
10	ventroſa,	ventrioſa.
14	conſtructas,	conſtructa

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 14	Vmbelicum	Vmbilicum à
25	&	eſt
26	muc ronem,	mucronem,
28	videmus,	vidimus.
28	pallula.	pallida.
32	in ſubterra-nea,	inter ſubterranea.

Reliqua candido Lectori remittuntur.

INDEX EORVM

quæ hoc volumine continentur.

A

ANOMIAE *Conchæ quæ, & quare ſic dictæ. deſcriptio.23. Varietates. 25. vide, Conchæ anomiæ.*

Ariſtotelis & Plinij hiſtor. de vita teſtaceorum emendata. 9

B

B*Vcardia quid, 21. & ex quibus. ibid.*

Buccini color. 4.

Buccinum exoticum paruum. deſcrip. 15. *icon.* 16

Buccinum impropriè dictum Murex, & quare. 7

Buccinum non habet aculeos. 7

Buccinum paruum noſtras cum animali, deſcriptio. 14. icon. 16

C

C*Ancelli inanes Cochleas inhabitant, nec illis incrementum addere poſſunt.* 38

Cancellus non tantum in Neritis, ſed omnibus ferè teſtis inhabitat iuxta ipſius magnitudinem. 15

Cappa longa, vbi naſcitur. 38

Caroſe dicuntur Neapoli teſtacea purpuram fundentia violaceam. 11

Cochlea Ianthina quæ, deſcriptio. 22.icon. 13

Cochlea marina exotica marmorea 18. icon. 20. varietates. 19. non eſt Nerite. ibid.

Cochlea terreſtris turbinata, quæ. 18.icon.16.

Concha anomia quæ, rarior vertice roſtrato Plin. deſcript. 23. icon. 22. Altera imbricata. 24. altera margine vndoſa, ibid. &. 25

Concha anonia ſtriata τρίλοβος *rarior quæ, deſcript. 24. icon.* 22

Concha ad Buccinum recurua quæ. 29

Concha exotica margine in mucronem emiſſa quæ. 26. icon. 27

Concha exotica vertice muricatim intorto quæ 29. icon. 30

Concha faſciata gemmea concretione repleta quæ. deſcript. 25. icon. 22

Concha gibboſa. 23

Concha natatilis τεριτώδης*, & varietates, quæ, deſcript. 28. icon.* 30

Conchæ animali demortuo non amplius creſcunt. 38. & cur. ibid.

Conchæ variæ lapideæ apud nos & Muſæum Imperati. 26

Concha vtroque latere ſe colligens quæ 29. icon. 30

Concha Plinij toto latere connexa quæ. 21

Concha πολυλιτθογιγγλυμος*, quæ, deſcript. 21. icon.* 20

Conchylium quid 1. & 3. eius color. 4. nomen genericum 5. quale Dioſcoridis. 5

Concretiones concharum effigie quomodo fiant. 25

Congeries teſtaceorum in foſſa arcis Neptuni. 24

E

E*Cclesia D. Mariæ de Andria miraculorum monumentis ornata.* 23

F

F*Vngi lapidei quomodo fiant & vbi. 39. icon.* 33

Fucus quo Purpura color fit, dicitur Roccella *Neapol. vulgo.* 12

G

GIgantes incolæ Siciliæ. 34
Gigantea oſſa in ſubterraneis, fuiſſe hominum cadauera, non vegeta, 34
Gloſſopetræ dictæ, ſiue linguæ Serpentinæ aut Melitenſes, ſunt Lamiæ & ſimilium dentes 31. icon. 33

H

HEliotropij color. 4

I

IMperati Muſæum ditiſſimum rerum naturalium. 25.26. 36

L

LApidei Fungi qui, 39. icon. 33
Lapides vegeti propriam habent figuram. 38
Latere toto connexa concha Plinij, quæ. 21
Lepas exotica variegata quæ, deſcript. 17. icon. 16
Lepas Myrti morbus, quæ, deſcript. 17. icon 16. Teſtudinis modo tabellata. 17
Lingua Serpentinæ ſiue Gloſſopetræ non lapides, ſed dentes Lamiarum. 31. quare per totum icon. 33
Loca immutata varijs temporibus. 36
Locus aptus contrario modo fit, ſi contrarium ſuperabundet. 37

M

MAluæ floris color. 4
Maris iraſcentis color. 4
D. Marianus Valguarnera Panorm. vir Doctiſſ. librum edidit, de Orig. & antiquit. Panormi, in quo, de Gigantum natura ſtatura & incolatu. 34
Melitenſes linguæ, dentes ſunt lamiarum & ſimilium 31. quare non lapides. ibid. icon. 33
Morbus in arboribus ſcabies & impetigo, & cauſa. 17
Murex quid, eius Synonyma, color, generatio. 6 &. 7
Muſæum Ferd. Imperati naturæ Theſaurus 23. 25. 26. 36
Myrti morbus lepas animal teſtudinatum. 17. icon. 16

N

NErita Aldrouandi an Antiquorum 19
Neritæ natant, & ipſa teſta velificant. 28
Neptuni Arcis foſſa teſtaceorum fragmentis compacta. 24

O

OStracea quid. 5
Oſtrum vnde dictum 2. & quid ibid. &. 7

P

PHolas concha quæ & cur ſic dicta. 38
Polypus veſcitur carne Conchyliorum. 2
Purpura teſtaceum purpuram fundens cum animali, quæ, deſcript. 1. & inde. icon. 13
Purpuræ oculi infra medium corniculorum 10
Purpurei coloris varietates & ſimilitudines 4. &. 7
Puteolana Purpura. 11

R

ROccella dicitur Fucus ad Purpuram tingendam. 11

T

TEſtæ Concharum demortuo animali ſuo non creſcunt. 38
Turbo exoticus vmbilicatus, qui, deſcript. 14. icon. 16
Turbo terreſtris non deſcriptus 17. Deſcrip. 18. icon 16. Alter minor. 18. icon. 16
Tyrius color qui. 5

V

VAriæ effigies dentium Lamiarum 36
Violæ color. 4

FINIS.

Mo. Bot. Garden,
1893